






De Sanctissima Trinitate.



Summma


praelectionum, quas in C. R. Universitate Oenipontana

habuit

Josephus Müller S. J.

Liber in privatum auditorum usum ordinatus.

IIa Ed.



Oeniponte.

Typis Feliciani Rauch.

1920.



Prooemium.

1. Tractatus argumentum atque gravitas. — Tractatio de ss. Trinitate una est ex praecipuis totius theologiae dogmaticae. Etenim *primo* in eo de mysterio sanctissimo agitur, cui tamquam fundamento totus cultus christianus innititur. „Funis enim triplex, inquit *Origenes*, non rumpitur (Eccl. 4, 12.), quae est Trinitatis fides, ex qua dependet et per quam sustinetur omnis ecclesia.“ (In exod. hom. 9. n. 3.) Et *Tertulliano* doctrina de ss. Trinitate „est opus evangelii et substantia novi testamenti.“ (Adv. Praxeam c. 31.). Eiusdem igitur mysterii professio semper considerata est tamquam signaculum vel tessera, qua christiani a Iudaeis, fideles ab infidelibus discernantur. Reipsa mysterium ss. Trinitatis quasi centrum et radix est ceterarum veritatum superrationalium, utpote in quo innituntur et quod tamquam fontem suum supponunt tum alterum mysterium incarnationis et redemptionis tum tertium filiationis adoptivae et inhabitationis Spiritus Sancti: haec autem mysteria cum illo praecipuam et specificam doctrinae christianae partem constituunt. 1.

Praeterea, cum sub respectu theologico eo magis doctrina aliqua emineat, quo magis a naturali ratione remota est vel in sola revelatione innititur, sub hac ratione maxime praestat sublimis de sanctissima Trinitate doctrina, utpote quae mysterium stricte dictum, primum omnium et altissimum est; neque enim in ea perfectiones Dei exponuntur, quae etiam naturali ratione ex creaturis cognoscantur, sed vita Dei interna atque ipsa profunda Dei proponuntur et revelantur. 2.

Quare de hac doctrina imprimis valent, quae Apostolus docet: *„Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est . . ., quam nemo principum huius saeculi cognovit . . . sed sicut scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit . . . Nobis autem Deus revelavit per Spiritum suum; Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei . . .“* (1. Cor. 2); necnon illud Evangelistae: *„Deum nemo vidit unquam: unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.“* (Joh. 1, 18.)

3. *Denique* praesentis tractationis gravitas etiam ex historia dogmatum manifesto elucet, quippe qua teste nullum fere praeter ss. trinitatem dogma inde a principiis aerae christianae ad nostram usque aetatem adeo impugnatum atque in alienos et perversos sensus detorsum sit. Etenim succedente tempore impugnatores huius dogmatis secundum unum eiusdem vel alterum elementum sibi successerunt primo Iudaei, Ebionitae, Sociniani; deinde Sabelliani, Ariani, Semiariani, Macedoniani, Photiani: rursus Tritheitae et Nominales quidam; denique moderni Rationalistae, ad quos Protestantes plerique nunc accedunt.

4. **2. Methodus in hoc praesertim tractatu servanda.** — Cum argumentum huius tractatus totum in mysterio stricte dicto et altissimo contineatur, methodus κατ' ἐξοχήν dogmatica sit oportet. Scilicet in tali argumento evolvendo theologus nunquam ex sola ratione naturali argumentari potest, sed ex revelatione vel fide procedens ad aliquam huius altissimi mysterii intelligentiam pertingere conabitur; quo sensu in applicationem venit et verissimum est adagium illud notum: Credo, ut intelligam. Quae cum ita sint, theologica tractatio imprimis de ss. Trinitate SS. Patrum et summorum temporis anteacti theologorum vestigiis insistat atque regia traditionis via incedat necesse est; utpote qua via fides illibata semper servata est. Hac igitur sola via imprimis in hoc tractatu verus vel catholicus profectus obtineri potest; qui vero ea relicta mysterium ss. Trinitatis ex sola naturali ratione demonstrare et explicare praesumpserunt, misere hallucinati in graves contra fidem errores inciderunt, ut v. g. hac nostra aetate Güntheriani aliique.

Cum ea sit tractatus de ss. Trinitate indoles, existimandum tamen nequaquam est, eam doctrinam densissimis tenebris involutam atque plane imperviam esse ita, ut solum ad intellectum tentandum vel vexandum proposita esse videatur. Absit prorsus! Quamvis enim homo viator positivam, propriam, perfectam huius mysterii cognitionem acquirere nequeat, negativam tamen, analogicam, imperfectam intelligentiam obtinere valet. Imo vero spectata scientiae theologicae ratione hic tractatus vel prae aliis tractatibus theologicis praestat; cum enim principalis et fundamentalis doctrina, scilicet in Deo existere processiones internas, ex revelatione statuta est, ceterae omnes plane logice consequuntur, ita ut ex singulis tamquam elementis apte inter se et cum aliis connexis pulchrum et mirabile veritatum superrationalium systema construatur atque in totum christianae doctrinae organismum lux inexspectata atque suavissima respergatur. Quare vere et pulchre de hac doctrina *Augustinus*: „Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur." (De Trinit. 1. 3.) 5.

3. *Divisio tractatus.* — Cum tota inquisitio vel perscrutatio, sicuti cuiusvis mysterii, ita imprimis mysterii ss. Trinitatis nequeat esse nisi „fides quaerens intellectum", apertum est, normam illam generalem theologiae, secundum quam positiva demonstratio et explicatio ex revelatione derivata speculativae inquisitioni praecedat oportet, in hac tractatione speciali cura servandam esse. Quod quidem non solum de singulis quaestionibus vel thesibus, sed de tota etiam evolutione vel divisione tractatus valet ita, ut quantum fieri potest, positiva praemittantur atque ab his ad speculativa procedatur. Iam hac norma cum aliis simul spectata totus tractatus apte et commode in sex quaestiones dividi videtur: 6.

Quaestio prima:	De existentia mysterii.
Quaestio secunda:	De processionibus divinis.
Quaestio tertia:	De relationibus divinis sive de personarum divinarum differentia.
Quaestio quarta:	De divinarum personarum convenientia.
Quaestio quinta:	De missione divinarum personarum.

Quaestio sexta: De cognitione ss. Trinitatis deque regulis loquendi circa hoc mysterium servandis.

7. ***4. Auctores insigniores.*** — Quoniam mysterium SS. Trinitatis, ut iam notatum est, vel inde a principiis aerae christianae ab incredulis et diversis haereticis vehementer impugnatum et defiguratum est, mirum non accidit, quod iam apud SS. Patres fusa atque expolita de eodem mysterio doctrina inveniatur: merito autem admiratione percellitur mens considerantis, qua profunditate, subtilitate, systematica consecutione speculativam quoque huius doctrinae partem iam SS. Patres executi fuerint. Etenim eiusdem mysterii absconditi tum rationes internas tum ad alia mysteria, ut incarnationem et gratiam, relationes acutissime investigarunt et exposuerunt ita, ut mira Dei providentia ecclesiam in deposito revelationis custodiendo tutans atque regens ea in re cerni vix non possit. Imprimis autem in doctrina de ss. Trinitate eminent:

8. *S. Gregorius Thaumaturgus,* Expositio fidei in ss. Trinitatem: *S. Athanasius,* Orationes quatuor contra Arianos; Liber de Trinitate et Spiritu Sancto; Epistola de Nicaenis decretis; qui tum positive tum speculative doctrinam catholicam exponit et defendit; *S. Basilius,* Libri quinque adv. Eunomium; Liber de Spiritu Sancto: imprimis philosophicas obiectiones investigat atque solvit; *S. Gregorius Naz.,* Orationes quinque de theologia; *S. Gregorius Nyssenus,* Oratio catechetica magna; Libri duodecim contra Eunomium; non adeo re et doctrina, quam modo inquisitionis vel expositionis aliquantum singularis est; *Didymus Alexandrinus,* Libri tres de Trinitate; Liber de Spiritu Sancto: *S. Ambrosius,* Libri quinque de fide (al. de Trinitate); *S. Hilarius Pictaviensis,* Libri duodecim de Trinitate: Liber de Filii et Patris unitate; solidus et subtilis, sed simul aliquando difficilis et obscurus est; *S. Cyrillus A.,* Thesaurus de sancta et consubstantiali Trinitate; De Trinitate dialogi septem; opusculum de ss. et vivifica Trinitate; clarissime et solide doctrinam catholicam exponit et vindicat; *S. Augustinus,* de Trinitate libri quindecim, cuius operis prima pars (l. 1—7.) positivam mysterii

demonstrationem, altera speculativam magis explicationem continet; prae omnibus fere Patribus Augustinus etiam hac in re sublimitate, profunditate, ingeniosa speculatione excellit; ***Boëthius,*** liber quomodo Trinitas unus Deus ac non tres dii: Utrum Pater et Filius et Spiritus Sanctus de divinitate substantialiter praedicentur; *S.* ***Fulgentius*** Ruspensis, Libri tres ad Trasimundum; ad Felicem Notarium de Trinitate liber unus; *S.* ***Joannes Damascenus,*** liber de ss. Trinitate; ***Alcuinus,*** de Fide sanctae et individuae Trinitatis; Libellus de processione Spiritus Sancti.

Inter theologos medii aevi excellunt: S. ***Anselmus,*** De **9.**
fide Trinitatis; De processione Spiritus Sancti; Monologium; valde subtilis est et nonnunquam difficilis. ***Richardus a S. Victore,*** libri sex de Trinitate; *S. Thomas Aq.,* Summa theol. 1. p. q. 27—43; Cont. gent. l. 4. c. 2—26; mira profunditate mentisque acie procedens hanc imprimis doctrinam egregie excoluit, ad systematicum ordinem revocavit, eiusque scientificam expositionem omnibus fere numeris absolvit; *S.* ***Bonaventura,*** in 1. l. sententiarum; cum S. Thoma profunditate et ingeniosa rerum conceptione et dispositione aemulatur atque insuper suavitate quadam et unctione excellit; *J. D. Scotus,* in 1. l. sententiarum; subtilitate eminet; ***Petrus Paludanus,*** in 1. l. sent.; ***Bessarion,*** Liber de Spiritu Sancto contra Marcum Ephesinum.

Post Concilium Tridentinum in doctrina de ss. Trinitate **10.**
excolenda egregie versati sunt: ***Gregorius de Valentia,*** de Trinitate libri quinque; ***Suarez,*** de ss. Trinitatis mysterio; *D.* ***Ruiz de Montoya,*** commentaria et disputationes de ss. Trinitate, quod opus tum positive tum speculative classicum et maxime insigne habetur; ***Petavius,*** dogmata theologica de sanctissima Trinitate; ***Thomassinus,*** dogmata theologica de divina et sanctissima Trinitate; uterque tum Thomassinus tum Petavius magis vel imprimis ex doctrina SS. Patrum dogma probant et exponunt.

Ex recentioris aetatis theologis specialem mentionem **11.**
merentur: Card. ***Franzelin,*** De ss. Trinitate; ***Kleutgen,*** Theologie der Vorzeit, 1. Band: De ipso Deo; ***Scheeben,*** Dogmatik,

1. B.: Mysterien des Christentums; docte et ingeniose, nonnunquam vero minus lucide vel distincte procedit: *L. Billot*, de Deo uno et trino, qui in quibusdam quaestionibus speculativis satis excellit; *Régnon*, Études sur la très-sainte Trinité, 4 vol.; docte et ingeniose doctrinam Patrum graecorum cum doctrina Patrum latinorum necnon utramque cum doctrina Scholasticorum satis fuse comparat atque ea ratione omni ex parte mysterium illustrat; nimis tamen facilis esse videtur in admittendis vel statuendis dissidiis inter diversos Patres vel scriptores ecclesiasticos; nonnunquam enim, quam ponit esse diversitatem doctrinae vel rei, nonnisi diversitas expositionis vel modi concipiendi potius esse videtur. Cf. *Ch. Pesch.* Theologische Zeitfragen, Heft 1.



Quaestio prima.

De existentia mysterii ss. Trinitatis

Articulus primus.

De propositione hujus mysterii per fidei regulam facta.

Thesis I. Mysterium SS. Trinitatis inde ab exordiis religionis christianae tamquam dogma fidei clarissime propositum est.

Declaratio.

1. Argumentum et divisio quaestionis. — Cum 1.
ratione mysterii stricte dicti connexum est non solum, ut in ejusdem theologica tractatione positiva demonstratio, quantum fieri potest, speculativam explicationem praecedat; sed eadem ratio etiam postulat, ut utraque, scilicet tum positiva demonstratio tum speculativa expositio praelucente regula fidei sive magisterio authentico duce fiat, utpote cui depositum revelationis illibate conservandum et transmittendum divinitus commissum est. Quare in theologica tractatione imprimis mysterii SS. Trinitatis non opportunum modo, sed vix non necessarium est, brevem saltem expositionem praemittere eorum, quae per regulam fidei sive a magisterio authentico credenda proposita sunt. Ea enim ratione scopus totius tractatus ab initio manifestus proponitur atque sine ambagibus intendi et obtineri potest. Quae cum ita sint, triplex exstat primae quaestionis articulus:

Articulus primus: De regula fidei dogma SS. Trinitatis proponente.

Articulus secundus: De testimonio scripturae.
Articulus tertius: De testimonio traditionis.

2. **2. *Praevia et nominalis mysterii ss. Trinitatis explicatio.*** — Fides in ss. Trinitatem quoad substantiam eo spectat, ut quemadmodum *symbolum Athanasianum* declarat, „unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes“; vel aliis verbis summa mysterii est: tres esse in Deo personas realiter distinctas, unam vero tantum substantiam, cum qua illae tres personae realiter identicae sint. Quare, ut jam ab initio aliqualis magis distincta etsi obvia conceptio hujus dogmatis habeatur, operae pretium est, ut notiones naturae, personae, et quae cognatae sunt, substantiae et essentiae aliquatenus explicentur: cum in his notionibus conceptio dogmatis innitatur atque ex earundem perversa intelligentia vel usu indebito omnis hac in re haereticorum error originem duxerit. „Id unum, inquit *J. Damascenus*, fraudi est haereticis in hoc genere, quod naturam et hypostasin idem esse persuasum habent.“ (De fide orthod. l. 3 c. 3.) Verum aliqualis tantum et obvia illarum notionum intelligentia hoc loco intenditur, quia accuratior earundem explicatio infra suppetetur vel totius tractationis fructus erit. Itaque:

3. 1) *Essentia* est primum et internum rei principium, seu est id, quo res est, quod est, vel quo res haec et non alia est. Item essentia primum et radicale rei constitutivum dicitur: *constitutivum* quidem, quia non emanat ex re, sed eam constituit; *primum*, quia essentia prior est, quam proprietates: *radicale*, quia ex essentia tamquam ex radice proprietates promanant. Porro essentia generica est ipsa res abstracte concepta, quatenus in hoc genere est, et ab omnibus essentiis alterius generis differt; essentia specifica modo analogo ac generica intelligitur; denique essentia individualis est, quatenus hanc rem individualem ab omnibus aliis distinctam dicit.

4. 2) *Substantia* accidentibus opponitur et definitur: ens per se, quod in alio tamquam in subjecto non est. Dividitur

autem substantia in primam i. e. singularem, et secundam i. e. universalem (ita saltem nunc jam communiter haec divisio accipitur); praeterea in completam et incompletam, quatenus vel integram essentiam specificam vel ejusdem partem solum continet. Sic v. g. hic homo est substantia prima et completa, haec manus vel haec anima substantia prima sed incompleta, humanitas vel homo in genere substantia secunda est.

3) *Naturae* nomen (φύσις) a nascendo derivatur et ideo 5.
primitiva ejus significatio generationem viventium dicit; deinde hujus generationis principium significat; praeterea, quia principium generationis viventibus internum est, quodlibet actionis principium internum denotat; denique quia principium generationis in essentia rei continetur, quae producit vel generat, essentiam alicujus rei designat, ut principium operandi est. Natura igitur ab essentia eo solum differt, quod haec ad esse, illa ad operari refertur.

Si jam tres illae notiones essentiae, substantiae, naturae cum invicem comparantur, manifesto intelliguntur distingui ratione quidem, minime vero realiter, saltem cum in eadem re considerantur. Una videlicet eademque res simul sub diverso respectu principium essendi, subsistendi, agendi est. Sic in Petro v. g. eadem animalitas-rationalitas ratio est, tum quod Petrus homo est, tum quod operationes vegetativas, sensitivas, rationales elicit, tum denique, quod subjectum per se subsistens est, cui accidentia inhaereant. *Notandum* autem est, ad notionem substantiae non pertinere, ut subjectum accidentium sit vel esse possit. Deus enim, cum sit perfectissima substantia, accidentia nulla habet nec habere potest.

4) *Suppositum* (ὑπόστασις) est naturae alicujus individua 6.
substantia. Individuum autem est, quod in se est indivisum et distinctum ab omnibus aliis ita quidem, ut non sit communicatum neque *primo* tamquam accidens, quod ut albedo substantiae inhaeret; neque *secundo* tamquam universale, quod ut humanitas in alio inesse concipitur et de alio praedicatur; neque *tertio* tamquam pars, quae, ut v. g. manus vel forma substantialis vel materia prima cum aliis elementis

totum componit; neque *quarto* tamquam quasi-pars, cujusmodi est humana Christi natura, quae a principaliori habetur: neque tandem *quinto* tamquam realiter commune pluribus, qualis natura divina relate ad personas divinas est. Uterque hic postremus modus indistinctionis ab alio tantum ex revelatione notus est. Jamvero duo postremi imprimis modi indistinctionis ab alio uno termino *tota in se* exprimuntur; quare hypostasis sive suppositum aliis terminis definiri potest: substantia singularis, integra sive completa, tota in se.

7. Hinc igitur hypostasis vel suppositum ex una parte et substantia ex alia parte idem quidem ethymologice significant, sed in sermone philosophico sedulo discernantur oportet, cum significatio alia et alia sit. Substantia enim etiam de essentia incompleta et universali dicitur et alteri communicari potest; hypostasis vero ex modo loquendi iam semper subiectum aliquod singulare et completum significat, quod nulli inest neque de quopiam praedicatur, cum ipsi substantia et accidentia inesse concipiantur et de ipso praedicentur. Sic cum homo in genere vel anima vel corpus non sint hypostases, hic homo determinatus hypostasis est, utpote qui non alterius sed suiipsius est et rationem habet subiecti inhaesionis et praedicationis relate ad essentiam vel substantiam vel naturam et proprietates necnon actiones vel passiones. Denique ratio formalis, qua substantia aliqua est hypostasis vel qua substantia prima et completa ultimo in ratione hypostasis constituitur, subsistentia vocatur; *animadvertendum* autem est, hoc vocabulum a veteribus sumptum esse identicum cum termino hypostasis atque demum post medium aevum abstractam illam significationem obtinuisse.

8. 5) *Persona* (πρόσωπον) hypostasis rationalis est vel, ut Boëthius definit, rationalis naturae individua substantia; quae altera definitio cum priore identica est, cum terminus *individua* omnimodam incommunicabilitatem exprimat. — Falsa autem est definitio a *Günthero* conficta, secundum quam hypostasis substantia sui conscia sit: etenim anima humana sui conscia nec tamen persona est, infantes et amentes conscientia carent et tamen personae sunt, humanitas Christi

iterum sui conscia nec tamen persona est, et tandem pariter natura divina, ut in se et distincta a personis concipitur, conscientiam quidem nec tamen personae rationem habet, vel aliis verbis: In Deo tres quidem personae, sed una tantum conscientia est.

Notandum vero hic est quam maxime, terminos substantiae, naturae, hypostasis etc. paulatim tantum illum sensum firmum et distinctum obtinuisse, qui supra definitus est. Scilicet cum spectata ethymologia ad sensum distinctum vel diversum determinata non essent, ante saeculum 5. imprimis a SS. Patribus promiscue ad idem significandum usurpabantur. Apposite *S. Joannes Damascenus:* „Nomen hypostasis duplicem habet significationem: interdum enim simplicem existentiam significat, quo sensu inter substantiam et hypostasin nihil interest: unde nonnulli SS. Patrum naturas hypostases appellarunt: interdum eam, quae per se est et seorsim subsistit, existentiam." (Dialect. 42.: cf. Disp. Joannis orthodoxi c. Manichaeum.) Inde autem a saeculo quinto usus ille distinctus et determinatus supra definitus magis magisque invaluit. Sic jam *Cyrillus A.* hypostasin proprium esse habere vel propria subsistentia pollere: ἰδικῶς, ἰδιοσύστατον εἶναι repetitis vicibus declarat. (In Joan. l. 9.: l. 11.) Similiter *Joannes Damascenus* ceterorum Patrum doctrinam complectens: „Etenim hypostasis id proprie est et dicitur, quod per se propria subsistentia: καθ' ἑαυτὸ ἰδιοσυστάτως consistit." (L. c. c. 44.) Et paulo ante: „Nec anima sola, nec corpus hypostasis, sed ἐνυπόστατα dicuntur; quod vero ex ambobus perfectum et absolutum est, id amborum hypostasis est." (c. 43.) Et iterum alibi: „Hypostasis hoc habet, ut per se subsistat, essentia vero non per se subsistit, sed in hypostasi." (De fide orthod. l. 3. c. 6.) 9.

Jam his notionibus suppositis *distinctior quodammodo conceptio SS. Trinitatis efformari potest.* Scilicet est in Deo una essentia et quidem una non solum generice vel specifice, sed una singularis et individua. Hinc Pater et Filius et Spiritus Sanctus formaliter Deus sunt non per aliquid singulis proprium, sed per aliquid, quod ipsis non logice vel universaliter, sed realiter commune est: scili- 10

cet tres illi Deus sunt per ipsum illud esse absolutum, quod in tractatu de Deo uno demonstratum est esse perfectissime unum unitate singularitatis. — Pariter in Deo una substantia est, cum essentia et substantia convertantur; scilicet illud esse absolutum totum per seipsum existit, non autem ullatenus in alio inhaeret nec inhaerere concipi potest. Pater igitur et Filius et Spiritus Sanctus per unum idemque ideoque una substantia sunt. — Item in Deo una natura est, cum natura nihil aliud sit, nisi ipsa essentia, ut principium operandi est: igitur Pater et Filius et Spiritus S. eandem numero naturam habent et unum principium operationis sunt. — Neque vero haec essentia vel substantia vel natura divina in se spectata hypostasis vel persona est; ratio est, quia eidem sic consideratae definitio hypostasis vel personae non convenit. Etenim est quidem singularis non universalis, substantia non accidens, completa non pars vel quasipars; verum non tota in se, sed tribus realiter communis est, scilicet Patri, Filio, Spiritui Sancto realiter distinctis. — Quare non una, sed tres in Deo realiter distinctae personae sunt. Etenim tres sunt ab invicem et ab omnibus aliis realiter distincti, qui naturam divinam habent, qui subsistunt in natura divina, de quibus praedicatur natura divina, qui autem ipsi de natura divina non praedicantur. Tandem igitur ad quaestionem: Qui est Deus? respondendum est: Tres, i. e. Pater et Filius et Spiritus Sanctus Deus sunt; ad quaestionem vero: quid est Deus? respondetur: Deus ipsum esse infinitum est, quod est absolute unum.

11. ***3. Conspectus haeresum mysterio SS. Trinitatis oppositarum.*** — Cum regula fidei circa SS. Trinitatem decursu temporis pro variis haeresibus ortis magis magisque exacta ac proposita sit, corpori thesis, utpote quod in exponenda fidei regula versatur, conspectum aliquem variarum haeresum praemittere iuvat, quae contra hoc dogma propositae et propugnatae sunt. Iamvero omnes hae haereses ad triplicem formam revocari possunt:

1) *Haereses trinitatem personarum negantes.* — Prima forma distinctionis vel diversitatis inter personas divinas ne-

gatione continetur. Ad eam formam primo *pertinet error eorum, qui concedentes quidem tum Patrem tum Filium tum Spiritum Sanctum Deum esse, realem inter eos distinctionem negarunt.* Scilicet contendebant, nonnisi unam esse personam divinam, quae varios essendi modos habeat vel pro diversis in ordine salutis functionibus modo Patris, modo Filii, modo Spiritus Sancti nomen induat; unde Modalistae vocati sunt. Praeterea Patripassiani audiebant, quia Patrem incarnatum et passum esse tenebant, necnon Monarchiani, quia tamquam tesseram suae fidei profitebantur: „monarchiam tenemus", i. e. unam personam divinam esse statuebant. Hunc errorem propugnavit Praxeas, quem refutat *Tertullianus* (de praescript. c. ultim.); Noëtus, quem impugnavit *Hippolytus* (cf. Epiphanius, Haer. 57.); Sabellius, quem *Dionysius A.* imprimis debellavit. Postremus ille haereticus tanto cum fervore errorem illum propugnavit, ut ceterorum antesignanus esset iisque nomen Sabellianorum impertiretur. Postea Sabelliani haeresim suam modificasse videntur; *Epiphanio* saltem referente in Deo tres realiter distinctas admittebant entitates, quae ita unam personam constituerent, sicut corpus, anima, spiritus unum hominem efficiunt. Ad hunc errorem postea etiam Paulus Samosatenus et Marcellus Ancyranus eiusque discipulus Photinus accesserunt. Et secundum Paulum S. quidem Christus merus homo neque igitur sapientia divina est, sed eam in se habitantem et operantem habet; sapientia autem divina ipsa sive verbum cum Deo simpliciter identicum est. Marcellus vero et Photinus Christum verbum esse a Patre distinctum concedentes inter verbum prolatum et verbum insitum discernebant: hoc idem cum Deo Patre et divinum, illud cum Christo idem et creatum esse ponebant. Hinc secundum eosdem nulla Trinitas personarum est; sed manifestatio Dei triplex est et triplex ideo nomen: scilicet quatenus se manifestavit per creationem, Pater est; in quantum apparuit in Christo, Filius est; in quantum Apostolis et ecclesiae se dedit, Spiritus sanctus est.

Secundo huc pertinet illorum error, qui distinctionem 12.
quidem inter Patrem, Filium, Spiritum Sanctum admittentes

solum Patrem Deum esse contenderunt vel Spiritum Sanctum saltem a divinitate excluserunt. Et quidem *primo* Ariani duce Ario, presbytero Alexandrino, Filium sive Verbum Patri non esse aequale neque igitur verum Deum, sed creaturam perfectissimam quidem et instrumentum in ceterarum productione esse contenderunt; hinc etiam saltem rigidi Ariani seu Anomaei duce Aëtio Filium Patri esse per omnia dissimilem ἀνόμοιον docuerunt. *Secundo* vero Semiariani similitudinem quidem Filii cum Patre admittebant alii eum cum Eusebio Caesariensi similem secundum substantiam ὁμοιούσιον, alii cum Acacio eum simpliciter similem ὅμοιον vocantes. Denique *tertio* alii duce Macedonio, primum Semiariano et deinde opera Arianorum episcopo Constantinopolitano electo, divinitatem et consubstantialitatem Spiritus Sancti negaverunt: unde Macedoniani vel Pneumatomachi dicti sunt; scilicet Spiritum Sanctum creaturam solum perfectissimam et Patris atque Filii ministrum esse contenderunt.

Omnes hi haeretici, qui consubstantialitatem Filii et Spiritus Sancti cum Patre negarunt, uno simul nomine Subordinationi vocantur, cum priores communi nomine Monarchiani appellari soleant. Tum hi vero tum illi uno communi termino Antitrinitarii nuncupantur.

13. 2) *Haereses divinae naturae unitatem negantes.* — Altera forma errorum contra SS. Trinitatem in negatione perfectae unitatis divinae essentiae posita est. Eiusmodi scilicet errores Tritheitae professi sunt, qui distinctionem inter personas divinas nimis urgentes vel exaggerantes divinae substantiae multiplicationem vel compositionem asseruerunt.

Iam primus errorem tritheismi saeculo 5. propugnasse videtur Philoponus, celeber Aristotelis interpres, qui personam cum natura confundens sicuti in Christo unam personam et naturam, ita in Deo tres personas et tres naturas esse statuebat; nihilominus unitati divinae per hanc naturarum distinctionem et pluralitatem non derogari opinabatur, cum scientia, voluntate, operatione perfectissime cum invicem conspirent.

Deinde saeculo 11. Roscellinus, celeber Nominalium doctor, tres personas divinas tres esse statuit realitates, quae

ea fere ratione ab invicem differant, qua tres animae aequali potentia et voluntate praeditae ab invicem distinguuntur; scilicet unitatem divinae naturae logicam, non vero realem admisit.

Praeterea saeculo 12. *abbas Ioachimus* unitatem divinae naturae solum collectivam vel moralem esse contendit, quatenus divinae personae perfecta voluntatis consensione in unum quasi esse conspirent; ita enim eius errorem reddit *concilium Lateranense IV.*: „Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt una essentia, una substantia unaque natura: verum unitatem huiusmodi non veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam esse fatetur: quemadmodum dicuntur multi homines unus populus et multi fideles una ecclesia."

Denique saeculo 19. ex falsa sua personae notione procedens in Tritheismi errorem illapsus est *Güntherus*, theologus Germanus. Ex eius sententia, cum persona sit substantia sui conscia, in Deo sicut tres personae, ita et tres substantiae sunt; quare substantia divina non quidem unitatem numericam, sed duplicem aliam habet: et primo quidem personae divinae unitatem naturae habent formalem, quatenus singulae absolutam sui et aequalem conscientiam habent et ideo perfecte aequales sunt; et secundo unitatem organicam habent, quatenus conscientia processionum vel originis relatione ad membrorum organismi instar connectuntur atque ita ex tribus substantiis relativis seu personis una persona absoluta coalescit.

3) *Haeresis processionem Spiritus Sancti a Filio negans.* **14.** — Ut conspectus haeresum contra mysterium SS. Trinitatis completus sit, tandem notandus est error Graecorum circa processionem Spiritus Sancti. Cum scilicet ex doctrina catholica Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedat, saeculo 9. *Photius*, pseudo-patriarcha Constantinopolitanus, acriter propugnavit, Spiritum Sanctum a solo Patre procedere, atque Latinos tamquam haereticos denuntiavit, quod symbolo particulam *Filioque* addiderunt. Quae Photii haeresis, quamvis in Concilio Florentino etiam ab ipsis Graecis damnata sit, hodiedum a Graecis schismaticis retinetur.

15. 4) *Protestantium opinationes.* — Denique in fine, quid Protestantes de SS. Trinitate senserint et sentiant, breviter referendum est. Itaque Lutherus, Calvinus, Zwinglius haeresiarchae fidem Trinitatis servaverunt, imo ex novatoribus unus, Michaël Servetus, medicus hispanus, Genevae Calvino auctore ob negatae Trinitatis crimen vivus concrematus est. Postea Sociniani *Laelio* et *Fausto Socini* ducibus haeresin Subordinatianam resuscitantes contenderunt, SS. Trinitatis mysterium in ss. scripturis expressum non esse, et Christum quidem non Deum, sed merum prophetam eximia sanctitate insignitum, Spiritum Sanctum vero non personam divinam, sed solum Dei virtutem vel operationem esse. Quae Socinianismi haeresis inter Protestantes valde propagata est.

Socinianis accessit *Swedenborg* docens, Trinitatem divinam nihil esse nisi triplicem eiusdem unius personae divinae manifestationem, quae scilicet tamquam creans Pater, tamquam incarnata et redimens Filius, tamquam sanctificans Spiritus Sanctus appelletur. — Denique nostra aetate ex Protestantibus *Orthodoxi* quidem, numero pauciores, Trinitatis fidem cum symbolo Apostolorum retinent; *Liberales* autem, numero longe plures, cum symbolo Apostolorum ceterisque veritatibus superrationalibus etiam SS. Trinitatem tamquam rationi contrariam reiiciunt.[1]) Re autem dogmatis negata multi quidem nomen retinent et docent alii, divinam trinitatem constitui ex divina bonitate, sapientia, sanctitate; alii, ex potentia, intellectu, voluntate; alii, ex infinito, finito, et inter utrumque oppositione; alii, Filium vel Verbum esse manifestationem ideae divinae in mundo externo, Spiritum Sanctum vero in animis fidelium; alii denique cum Kantio, Deum ut creatorem et legislatorem esse Patrem, ut gubernatorem esse Filium, ut iustum iudicem esse Spiritum Sanctum. Omnes isti recentiores Trinitatis impugnatores sub nomine Unitariorum comprehendi solent.

---

[1]) De theologia protestantica recentiori sub hoc respectu refert v. g. *Luthardt:* „die Theologie des Neu-Protestantismus — auch der Ritschl'schen Schule — ist mehr oder weniger unitarisch und eine modifizierte Erneuerung des Sozinianismus.“ (Compendium der Dogmatik S. 119.)

4) ***Argumentum praesentis articuli vel thesis.*** 16.
— Iam in praesenti thesi nondum agitur demonstratio mysterii SS. Trinitatis ex fontibus revelationis. sed, ut supra iam indigitatum est, ipsa regula fidei circa hoc mysterium exponenda venit, sive summam mysterii supra propositam in documentis magisterii authentici contineri ostendendum est; quod vero ita praestabitur. ut ex iisdem documentis accuratior quaedam expositio et intelligentia derivetur.

Demonstratio.

In demonstratione vel expositione sic procedere iuvat, ut quantum fieri potest, singula quasi elementa dogmatis singillatim producantur et explicentur atque in documentis afferendis successionis ordo servetur. Itaque

1. *Ex regula fidei Deus essentia sive natura* 17.
absolute unus est. — Cum haec propositio iam ex tractatu de Deo uno ad fidem pertinere intelligatur et manifestissime per varia concilia aliisque magisterii authentici enuntiationibus proposita sit, hoc loco breviter ostendendum est, absolutam Dei unitatem etiam in primaeva ecclesia ad regulam fidei pertinuisse. Id autem manifesto constat ex symbolo Apostolico. Hoc enim symbolum, quod ex forma baptismi ortum eiusque distinctior explicatio est, ad antiquissimam ecclesiae aetatem pertingit, imo vero *Rufino* (Expositio symboli c. an. 309.) *Ambrosio* (Ep. ad Siricium c. an. 390.) et *auctore ignoto* (Explanatio symboli ad initiandos, ex eodem tempore,) testibus ex maiorum traditione ab ipsis Apostolis originem ducit et imprimis in ecclesia Romana absque diminutione et additione integrum conservatum est; omnino autem certum est, formam Romanam huius symboli iam priore parte saeculi 2. exstitisse et in usu fuisse. De qua re conferri possunt: *Blume*, das apostolische Glaubensbekenntnis; *Bäumer*, das apostolische Glaubensbekenntnis; *Dörholt*, das Taufsymbol; *Caspari*, Ungedruckte, unbeachtete und wenig beachtete Quellen zur Geschichte des Taufsymbols.[1])

---

[1]) Hic auctor, solidissime quaestionem de origine symboli apostolici versans, haec notat: „Das Taufbekenntnis geht ohne alle Frage seinem

18. Iamvero in omnibus huius symboli formis professio unitatis Dei in primo articulo continetur; cum enim in formis ecclesiae occidentalis: *Romana*, *Aquilejensi*, *Ravennatica*, *Africana*, *Hispanica*, *Gallicana*, *media aliqua inter Gallicanam et Hispanicam*, id ex constructione manifestum sit: „Credo in Deum Patrem omnipotentem“: in formis ecclesiae orientalis plerisque insuper expresso termino significatur, in *Professione fidei Marcelli Ancyrani:* πιστεύω εἰς θεὸν παντοκράτορα: *in forma Alexandrina:* πιστεύω εἰς ἕνα, ἀγέννητον, μόνον ἀλήθινον θεὸν παντοκράτορα; *in forma Caesareensi:* πιστεύομεν εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα, τὸν τῶν ἁπάντων ὁρατῶν καὶ ἀοράτων ποιητήν; *in forma Antiochena:* Credo in unum solum et verum Deum; in *forma Hierosolymitana:* πιστεύομεν εἰς ἕνα θεὸν, πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς. — Ad symbolum Apostolicum addi possunt symbolum Nicaenum: πιστεύομεν εἰς ἕνα θεὸν, πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν; et tandem Constantinopolitanum I.: πιστεύομεν εἰς ἕνα θεόν, πατέρα παντοκράτορα ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων. (Cf. *Denzinger*, Enchiridion.) Hanc vero fidem unitatis Dei symbolis expressam in universa ecclesia ab initio viguisse diversae formae symboli diversis regionibus adhibitae manifesto ostendunt; idem pro universa ecclesia vel diversis par-

---

ganzen Inhalte nach und wenigstens meiner wissenschaftlichen Überzeugung zufolge zum grössten Teil auch nach seiner Form in das apostolische Zeitalter zurück; . . . und das verhältnismässig Wenige, was später zu ihm hinzugekommen ist, ist nicht nur Gegenstand apostolischer Verkündigung und urchristlichen Glaubens gewesen, sondern hat sich auch im Grunde nur unter verschiedenem äusseren Anlass und Anstoss aus der vorhandenen Formel, in der es von Anfang an beschlossen lag, und vor deren Thüre es, prädestiniert zur Aufnahme gelagert war, heraus entwickelt. Ja, wer erwägt, wie das Tautekenntnis in der alten Kirche allerorten denselben Grundtypus hatte, der wird sich selbst kaum des Gedankens erwehren können, dass dieser Grundtypus oder die ursprüngliche Formel von einer höheren Autorität, einer apostolischen, ausgegangen sein müsse, wenn auch nur in irgend welcher mittelbaren Weise, durch Billigung oder Sanktion des kirchlich Entstandenen.“

tibus eiusdem diversi scriptores ecclesiastici testantur. ut v. g. *Irenaeus*, qui scribit in Galliae ecclesiis viguisse „firmam fidem in unum Deum Patrem omnipotentem". ac ecclesiam „ab Apostolis eorumque discipulis accepisse eam fidem, quae est in unum Deum Patrem omnipotentem" (adv. haer. l. 1. c. 1.) necnon Clementem Romanum exhibet litteras vigore et auctoritate plenas ad Corinthios mittentem et „reparantem fidem eorum. et annuntiantem, quam in recenti ab Apostolis acceperat traditionem. praedicantem unum Deum omnipotentem factorem coeli et terrae." (Ib. l. 3. c. 3.). Idem de ecclesiis Africae testatur *Tertullianus* (praescr. c. 13; de vel. virg. c. 2.; c. Marcion. l. 1. c. 5.); de ecclesiis Sardiniae testatur *Lucifer Calaritanus* (de vitanda haeretici communione) necnon alii de aliis ecclesiis.

Iamvero unitas, cuius professio in symbolis proponitur, 19. manifesto unitas absoluta singularitatis esse intelligitur. Etenim haec professio testantibus antiquis Patribus et scriptoribus ad triplicem vel quadruplicem errorem reiiciendum spectabat: primum polytheismum gentilium; alterum haereticorum illorum, qui duo principia statuebant, bonum alterum, alterum malum, ut Manichaei; tertium secundum aliquot Patres. qui terminum *unum* cum vocabulis sequentibus *creatorem coeli et terrae* nectebant, illorum, qui materiam infectam dicebant; quartum denique (supposita eadem constructione) eorum, qui ab angelis effectam esse rerum universitatem opinabantur. Atqui saltem primus et secundus error reiecti non sunt, nisi unitas, cuius professio fit, unitas absoluta singularitatis intelligatur. Ergo.

2. Ex eadem regula fidei una eademque natura divina in tribus personis realiter distinctis subsistit. 20. — Quae altera quoque propositio primaeva imprimis ecclesiae aetate attenta ex symbolis atque ecclesiae decretis colligenda et explicanda est:

1) *Ex symbolo Apostolico.* — Sicut unitas Dei absoluta ita etiam trinitas personarum iam in symbolo Apostolorum credenda clare proponitur, in *forma Romana*: „Credo in Deum Patrem omnipotentem; et in Iesum Christum filium eius unicum Do-

minum nostrum . . . Et in Spiritum Sanctum . . ."; in *forma hispanica*: „Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Iesum Christum filium eius unicum, Deum ac Dominum nostrum . . . Credo in Spiritum Sanctum . . ."; in *forma media inter Gallicanam et Hispanicam*: „Credo in Deum Patrem omnipotentem. Credo in Iesum Christum, Filium eius unicum, Deum et Dominum nostrum . . . Credo in Spiritum Sanctum . . ."; in *forma Alexandrina*: πιστεύω εἰς ἕνα, ἀγέννητον, μόνον ἀληθινον θεὸν παντοκράτορα, τὸν πατέρα τοῦ Χριστοῦ, κτίστην καὶ δημιουργὸν τῶν ἁπάντων, ἐξ οὗ τὰ πάντα. καὶ εἰς τὸν κύριον Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν, τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν, τὸν πρωτότοκον πάσης κτίσεως, τὸν πρὸ αἰώνων εὐδοκίᾳ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο . . . καί πιστεύομεν εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ οὐκ ἀλλότριον πατρὸς καὶ υἱοῦ, ἀλλ' ὁμοούσιον ὂν πατρὶ καὶ υἱῷ, τὸ ἄκτιστον, τὸ τέλειον, τὸ παράκλητον, . . . οἰκοῦν ἐν ἁγίοις . . .: in *forma Caesariensi*: πιστεύομεν εἰς ἕνα θεὸν . . . καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν τοῦ θεοῦ λόγον, θεὸν ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, ζωὴν ἐκ ζωῆς, υἱὸν μονογενῆ, . . . δι' οὗ καὶ ἐγένετο τὰ πάντα . . . πιστεύομεν καὶ εἰς ἓν πνεῦμα ἅγιον; in *forma Hierosolymitana*: πιστεύομεν εἰς ἕνα θεὸν . . . καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα θεὸν ἀληθινὸν πρὸ πάντων αἰώνων, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο . . . καὶ εἰς ἓν ἅγιον πνεῦμα, τὸν παράκλητον τὸ λαλῆσαν ἐν τοῖς προφήταις.

21. Iamvero in his omnibus symboli Apostolorum formis tres, scilicet Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tamquam ab invicem distincti exhibentur, quod tum ex tota constructione patet, cum tamquam fidei obiecta distinctim et singulatim enumerentur, tum inde manifestum est, quia duo saltem scilicet Pater et Filius tamquam principium et principiatum ad invicem referuntur. Iidem vero tres illi pariter, non solum Pater sed etiam Filius et Spiritus Sanctus naturam divinam habere vel Deus esse dicuntur: quod patet, quia tum ut personae pariter obiectum fidei esse sistuntur, tum in aliquibus saltem formis disertis verbis vel ipsa natura divina vel saltem pro-

prietas divina iisdem adscribitur. Manifesta igitur est ex symbolo Apostolorum etiam trinitas personarum divinarum. Idem adhuc manifestius patet:

2) *Ex duplici vel triplici alio antiquae ecclesiae symbolo.* — Tertio scilicet saeculo ad finem vergente *Lucianus Antiochenus* Martyr fidei formulam edidit, quae invenitur apud *Athanasium* (de synod. n. 23.), *Hilarium* (de synod.), *Socratem* (hist. eccl. l. 2. c. 10.). Haec vero fidei formula ita habet: „Credimus iuxta evangelicam et apostolicam traditionem in unum Deum, Patrem omnipotentem . . . Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium eius, unigenitum Deum, per quem omnia: genitum ex Patre ante saecula, Deum ex Deo, Totum ex Toto, Solum ex Solo (μόνον ἐξ μόνου), Perfectum ex Perfecto, Regem ex Rege, Dominum ex Domino, Verbum vivens, Sapientiam viventem, veram Lucem, . . . divinitatis, substantiae, consilii, potestatis et gloriae Patris immutabilem imaginem, primogenitum omnis creaturae, qui erat in principio apud Deum . . . per quem omnia facta sunt et in quo omnia consistunt . . . Et in Spiritum Sanctum, qui ad consolationem et sanctificationem credentibus datur, sicut et Dominus noster Iesus Christus praecepit discipulis suis dicens: Euntes docete omnes gentes . . . Patris, scilicet vere Patris, et Filii vere Filii, et Spiritus Sancti vere Spiritus Sancti, nominibus neque temere neque inutiliter positis, sed accurate propriam singulorum, qui nominantur, hypostasim, ordinem et gloriam significantibus, adeo ut hypostasi quidem tria sint, concordia autem unum." **22.**

Alteram formulam, quae multo illustrior est, eodem tertio saeculo *Gregorius Thaumaturgus* populo Neo-Caesareensi tradidit: „Unus Deus, Pater Verbi viventis, Sapientiae subsistentis, potentiae ac characteris sempiterni; perfectus Perfecti Genitor, Pater Filii Unigeniti. Unus Dominus solus ex solo, Deus ex Deo, character et imago Deitatis, Verbum efficax, Sapientia constitutionem universorum comprehendens, et virtus universae creaturae effectrix. Filius verus veri Patris, Invisibilis ex Invisibili, Incorruptibilis ex Incorruptibili, Immortalis ex Immortali, Sempiternus ex Sempiterno. Unusque Spiritus **23.**

Sanctus, ex Deo existentiam habens, et qui per Filium apparuit, videlicet hominibus; imago Filii perfecti perfecta: vita viventium causa; fons sanctus, sanctitas, sanctificationis dator. In quo manifestatur Deus Pater, qui super omnia et in omnibus est, et Deus Filius, qui est per omnia. Trinitas perfecta, quae gloria et auctoritate ac regno et imperio non dividitur neque abalienatur. Non igitur creatum quid in Trinitate aut servum, neque superinductum quid et adinventitium, quasi prius non existens, posterius vero adveniens. Non enim defuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus: nec crescit monas in dyadem; neque dyas in triadem. Sed immutabilis et invariabilis eadem semper manet sancta Trinitas.“

24. Alia quoque fidei formula eidem *Gregorio* adscribitur atque primum edita est a Cardinali *Mai* (collect. script. vet. tom. 7. p. 170. ss.). In ea haec occurrunt: „Credimus igitur in unum Deum, h. e. in unicum principium, Deum legis iuxta ac evangelii, aequum et bonum. Et in unum Dominum Iesum Christum, Deum verum, videlicet imaginem veri Dei, et germen unigenitum, et Verbum sempiternum, vivens et subsistens et efficax, semper Patri coëxistens. Et in unum Spiritum Sanctum . . . Profitemur consubstantialem esse Patri Filium et Spiritum Sanctum, et unam esse essentiam Trinitatis, id est, unam naturaliter (φυσικῶς) Deitatem: Patre quidem manente ingenito, Filio autem genito ex Patre vera generatione, non libera effectione, Spiritu ex essentia Patris per Filium aeternaliter misso, sanctificatore universae creaturae.“

Ad regulam fidei in antiqua ecclesia vigentem notificandam utiliter conferuntur etiam *Origenes*, praef. in lib. de princ. n. 4.; *Tertullianus*, de veland. virginibus c. 1.; de praescript. c. 10.; cont. Prax. c. 2.; *Irenaeus*, adv. haer. l. 1. c. 1. 2. 19.; l. 3. c. 4. 20.

25. ***3. Ex regula fidei monarchia cum oeconomia sive unitas naturae cum personarum trinitate componitur.*** Videlicet subsequentia symbola vel magi-

sterii authentici decreta non solum eandem fidem de SS. Trinitatis mysterio continent, sed eandem magis evolvendo et explicando rationes mysterii internas pandunt atque aliqualem eiusdem intelligentiam subministrant:

1) *Symbolum Nicaenum:* „Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem visibilium omnium et invisibilium: et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, genitum ex Patre unigenitum, h. e. ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, tum quae in coelo tum quae in terra sunt . . . Et in Spiritum Sanctum. Qui autem dicunt: Erat, quando non erat; priusquam gignebatur, non erat; et: ex non entibus factus est, aut ex alia substantia vel essentia; aut: Filius Dei creatus est vel mutabilis vel variabilis, eos anathematizat catholica et apostolica ecclesia." Iam hac professione imprimis Filius vera et proprie dicta generatione sane spirituali ex ipsa substantia Patris, non vero ex eiusdem potentia vel libera voluntate, ab aeterno processisse ideoque verus Dei Filius et verus Deus in proprio sensu esse declaratur; quo modo iam ratio quoque distinctionis inter Patrem et Filium, scilicet processio huius ab illo attingitur. Cf. *Dionysii* Papae epist. ad Dionysium Alexandrinum (apud Athanasium, in lib. de sent. Dionys. Alex.) necnon Anathematismos *Damasi* Papae in synodo Romana quarta emissos. (apud *Denzinger*, Enchirid. n. 22. ss.)

2) *Symbolum constantinopolitanum.* — Hoc quidem symbolum in ceteris cum Nicaeno consentiens fidem in Spiritum Sanctum eo tempore a Macedonianis oppugnatam expressius urget: „Credimus et in Spiritum Sanctum, Dominum, Vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas." Videlicet Spiritus Sanctus eiusdem naturae et dignitatis cum Patre et Filio esse declaratur et huius veritatis ratio redditur, quia non per Filium factus est, sed sicut ipse ex substantia Patris procedit. — *Symbolum Athanasianum* (cf. *Denz.* n. 135.) complectitur totam fidem Tri- **26.**

nitatis usque ad saecul. 5. circiter definitam et formulam: „Unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate“ evolvens nominatim urget. divinas personas non solum in substantia, sed etiam in quibusvis attributis vel proprietatibus absolutis penitus identicos esse.

27. 3) *Symbolum synodi XI. Toletanae.* — Hoc symbolum maxime completam antiquae de SS. Trinitate fidei expressionem continet atque tamquam fructus considerari potest pugnarum, quas antiqua ecclesia ad Trinitatis dogma contra haereticos defendendum decertavit. In quatuor vero partibus tractat *primo* de singulis personis, *secundo* de vera unitate substantiae in trinitate personarum, *tertio* de vera trinitate personarum in unitate substantiae, *quarto* de inseparabili personarum connexione:

„Confitemur et credimus sanctam et ineffabilem Trinitatem. Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum naturaliter esse unius substantiae, unius naturae, unius quoque maiestatis atque virtutis. Et Patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur: ipse enim a nullo originem ducit. ex quo et Filius nativitatem et Spiritus Sanctus processionem accepit: fons ergo ipse et origo est totius divinitatis. Et Pater essentia quidem ineffabilis substantiae suae Filium ineffabiliter genuit; Deus Deum, lux lucem: ab ipso est ergo omnis paternitas in coelo et in terra. — Filium quoque de substantia Patris sine initio ante saecula natum, nec tamen factum esse fatemur: quia nec Pater sine Filio, nec Filius aliquando exstitit sine Patre. Et tamen non sicut Filius de Patre, ita Pater de Filio: quia non Pater a Filio, sed Filius a Patre generationem accepit. Filius ergo Deus de Patre, Pater autem Deus, sed non de Filio; Pater quidem Filii, non Deus de Filio: ille autem Filius Patris et Deus de Patre; aequalis tamen per omnia Filius Deo Patri: quia nec nasci coepit aliquando nec desiit. Hic etiam unius cum Patre substantiae creditur. propter quod et ὁμοούσιος Patri dicitur, hoc est eiusdem cum Patre substantiae creditur; ὁμός enim graece unum, οὐσία vero substantia dicitur. quod utrumque coniunctum

sona: una substantia. Nec enim de nihilo, neque de aliqua alia substantia, sed de Patris utero, id est, de substantia eius, idem Filius genitus vel natus esse credendus est. Sempiternus ergo Pater, sempiternus et Filius. Quodsi semper Pater fuit, semper habuit Filium, cui Pater esset: et ob hoc Filium de Patre natum sine initio confitemur. Nec enim eundem Filium Dei pro eo, quod de Patre sit genitus, desectae naturae portiunculam nominamus; sed perfectum Patrem perfectum Filium sine diminutione, sine desectione genuisse asserimus, quia solius divinitatis est inaequalem Filium non habere. Hic etiam Filius Dei natura est Filius non adoptione, quem Deus Pater nec voluntate nec necessitate genuisse credendus est, quia nec ulla in Deo necessitas cadit, nec voluntas sapientiam praevenit. — Spiritum quoque Sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, unum atque aequalem cum Deo Patre et Filio credimus esse Deum, unius substantiae, unius quoque esse naturae: non tamen genitum vel creatum, sed ab utrisque procedentem amborum esse Spiritum. Hic etiam Spiritus Sanctus nec ingenitus nec genitus creditur: ne aut si ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus, aut si genitum duos Filios praedicare monstremur. Qui tamen nec Patris tantum, sed simul Patris et Filii Spiritus dicitur: nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad sanctificandum creaturam, sed simul ab utriusque processisse monstratur, quia caritas sive sanctitas amborum agnoscitur. Hic igitur Spiritus Sanctus missus ab utrisque creditur; sed minor a Patre et Filio non habetur, sicut Filius propter assumptam carnem minorem se Patre et Spiritu Sancto esse testatur. Haec est sanctae Trinitatis relata narratio: quae non triplex, sed Trinitas dici et credi debet. Nec recte dici potest, ut in uno Deo sit Trinitas, sed unus Deus Trinitas.

In relativis vero personarum nominibus Pater ad Filium, 28. Filius ad Patrem, Sanctus Spiritus ad utrosque refertur: quae cum relative tres personae dicantur, una tamen natura per substantiam creditur. Nec sicut tres personas, ita tres substantias praedicamus, sed unam substantiam, tres autem

personas. Quod enim Pater est, non ad se, sed ad Filium est; et quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est: similiter et Spiritus Sanctus non ad se, sed ad Patrem et Filium relative refertur, in eo quod Spiritus Patris et Filii praedicatur. Item cum dicimus: Deus, non ad aliquid dicitur, sicut Pater ad Filium vel Filius ad Patrem, vel Spiritus Sanctus ad Patrem et Filium, sed ad se specialiter dicitur Deus. Nam et si de singulis personis interrogemur, Deum necesse est fateamur. Deus ergo Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus singulariter dicitur: nec tamen tres Dii, sed unus est Deus. Item et Pater omnipotens et Filius omnipotens et Spiritus Sanctus omnipotens singulariter dicitur; nec tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens, sicut et unum lumen unumque principium praedicatur. Singulariter ergo, sicut unaquaeque persona plenus Deus et totae tres personae unus Deus confitetur et creditur: una illis vel indivisa atque aequalis Deitas, maiestas sive potestas, nec minoratur in singulis nec augetur in tribus: quia nec minus aliquid habet, cum unaquaeque persona Deus singulariter dicitur, nec amplius cum totae tres personae unus Deus enuntiatur (al. enuntiantur). Haec ergo sancta Trinitas, quae unus et verus est Deus, non recedit a numero, nec capitur numero. In relatione enim personarum numerus cernitur: in divinitatis vero substantia, quid numeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solum numerum insinuat, quod ad invicem sunt: et in hoc numero carent, quod ad se sunt. Nam ita huic sanctae Trinitati unum naturale convenit nomen, ut in tribus personis non possit esse plurale. Ob hoc ergo credimus illud in ss. litteris dictum: *Magnus Dominus noster et magna virtus eius et sapientiae eius non est numerus.*

29. Nec quia tres has personas esse diximus unum Deum, eundem esse Patrem quem Filium, vel eum esse Filium, qui est Pater, aut eum, qui Spiritus Sanctus est, vel Patrem vel Filium dicere poterimus. Non enim ipse est Pater, qui Filius; nec ipse Filius, qui Pater; nec Spiritus Sanctus ipse, qui est vel Pater vel Filius; cum tamen ipsum sit Pater, quod Filius; ipsum Filius, quod Pater; ipsum Pater et Fi-

lius, quod Spiritus Sanctus: id est, natura unus Deus. Cum enim dicimus, ipsum esse Patrem quod Filium, ipsum Filium quod Patrem, ipsum Spiritum Sanctum quod Patrem et Filium, ad naturam, qua Deus est, vel substantiam pertinere monstratur, quia substantia unum sunt: personas enim distinguimus, non deitatem separamus. Trinitatem igitur in personarum distinctione agnoscimus; unitatem propter naturam vel substantiam profitemur. Tria ergo ista unum sunt, natura scilicet, non persona.

Nec tamen tres istae personae separabiles aestimandae **30.** sunt; cum nulla ante aliam, nulla post aliam, *nulla sine alia vel exstitisse, vel quidpiam operasse aliquando credatur. Inseparabiles enim inveniuntur et in eo quod sunt et in eo quod faciunt*: quia inter generantem Patrem et generatum Filium vel procedentem Spiritum Sanctum nullum fuisse credimus temporis intervallum, quo aut genitor genitum aliquando praecederet, aut genitus genitori deesset, aut procedens Spiritus Patre vel Filio posterior appareret. Ob hoc ergo inseparabilis et inconfusa haec Trinitas a nobis et praedicatur et creditur. Tres igitur personae istae dicuntur, iuxta quod maiores definierunt, ut agnoscantur, non ut separentur. Nam si attendamus illud, quod Scriptura Sancta dicit de Sapientia: *Splendor est lucis aeternae;* sicut splendorem luci videmus inseparabiliter inhaerere, sic confitemur Filium a Patre separari non posse. Tres ergo illas unius ac inseparabilis naturae personas sicut non confundimus, ita separabiles nullatenus praedicamus. Ita nobis hoc dignata est ipsa Trinitas evidenter ostendere, ut etiam in his nominibus, quibus voluit singillatim personas agnosci, unam sine altera non permittat intelligi: nec enim Pater absque Filio cognoscitur, nec sine Patre Filius invenitur. Relatio quippe ipsa vocabuli personalis personas separari vetat, quas etiam, dum non simul nominat, simul insinuat. Nemo autem audire potest unumquodque istorum nominum, in quo non intelligere cogatur et alterum. Cum enim igitur haec tria sint unum et unum tria, est tamen unicuique personae manens sua proprietas. Pater enim aeternitatem habet sine nativitate, Fi-

lius aeternitatem cum nativitate, Spiritus vero Sanctus processionem sine nativitate."

31. Post hanc fusam atque fere absolutam fidei Trinitatis expositionem, quae sequuntur, symbola vel documenta nonnisi unum vel alterum elementum ad quamvis diversitatem vel separationem in Deo excludendam explicatius proponunt.

32. 4) *Concilium Lateranense IV.* — Et hoc quidem Concilium imprimis absolutam divinae naturae unitatem et cum personis identitatem inculcavit et expressius declaravit: „Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus, immensus et incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens et ineffabilis, Pater et Filius et Spiritus Sanctus; tres quidem personae, sed una essentia. substantia seu natura simplex omnino. Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque, absque initio, semper ac sine fine, Pater generans, Filius nascens, et Spiritus Sanctus procedens, consubstantiales et coaequales, et coomnipotentes et coaeterni, unum universorum principium, creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium . . . Haec sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates discreta, primo per Moysen et prophetas, aliosque famulos suos iuxta ordinatissimam dispositionem temporum doctrinam humano generi tribuit salutarem." Deinde capite 2. errore Abbatis Ioachim exposito vera doctrina hunc in modum definitur et declaratur: „Nos autem sacro approbante Concilio credimus et confitemur cum Petro Lombardo, quod una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres simul personae ac singillatim quaelibet earundem; et ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas, quia quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina, quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest; et illa res non est generans, neque genita, neque procedens, sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit. ut distinctiones sint in personis et unitas in

natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud. Sed id quod est Pater, est Filius et Spiritus Sanctus, idem omnino, ut secundum orthodoxam et catholicam fidem consubstantiales esse credantur. Pater enim ab aeterno Filium generando, suam substantiam ei dedit, iuxta quod ipse testatur: *Pater, quod dedit mihi, maius omnibus est.* Ac dici non potest, quod partem substantiae suae illi dederit, et partem ipse sibi retinuerit, cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi, alioqui desiisset esse substantia. Patet ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit, et ita Pater et Filius habent eandem substantiam, et sic eadem res est Pater et Filius, necnon et Spiritus ab utroque procedens. — Cum vero veritas pro fidelibus suis orat ad Patrem: *Volo* (inquiens), *ut ipsi sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus*: hoc nomen unum pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio caritatis in gratia: pro personis vero divinis, ut attendatur identitatis unitas in natura, quemadmodum alibi Veritas ait: *Estote perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est*, acsi diceret manifestius: Estote perfecti perfectione gratiae, sicut Pater vester coelestis perfectus est perfectione naturae, utraque videlicet suo modo: quia inter creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda."

5) *Concilium Lugdunense II. et Concilium Florentinum.* **33.** — Haec duo concilia contra Graecos Schismaticos imprimis processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio urgent atque ea ratione plenam Filii cum Patre communitatem necnon Spiritus Sancti cum utroque coniunctionem vindicant. Primum itaque declarat: „Credimus sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem totamque in Trinitate Deitatem coessentialem, coaeternam et coomnipotentem, unius voluntatis, potestatis et maiestatis, Creatorem omnium creaturarum . . . Credimus singulam

quamque in Trinitate personam, unum verum Deum, plenum et perfectum. Credimus ipsum Filium Dei, Verbum Dei, aeternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, et aequalem per omnia Patri in Divinitate . . . Credimus et Spiritum Sanctum, plenum et perfectum verumque Deum, ex Patre Filioque procedentem, coaequalem, et consubstantialem et coomnipotentem et coaeternum per omnia Patri et Filio. Credimus hanc sanctam Trinitatem non tres Deos, sed unicum Deum, omnipotentem, aeternum et invisibilem et incomprehensibilem." Alterum vero sic definit: „In nomine sanctae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti . . . definimus, ut haec fidei veritas ab omnibus christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et una spiratione procedit, declarantes quod id, quod sancti doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem. Et quoniam omnia, quae Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem, hoc ipsum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo etiam aeternaliter genitus est. Definimus insuper, explicationem verborum illorum, *Filioque*, veritatis declarandae gratia et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam."

34. 6) *Decretum pro Iacobitis.* — Denique Concilium Florentinum in hoc decreto totam fidem de Trinitate comprehendit et praecedentibus magisterii authentici definitionibus quasi coronam imponit easque absolvit declarans primo personarum divinarum inconfusibilem distinctionem in subsistentia, secundo absolutam earum in natura unitatem, tertio earundem ad invicem habitudinem: „Sacrosancta Romana ecclesia, Domini et Salvatoris nostri voce fundata, firmiter credit, profitetur et praedicat unum verum Deum omnipoten-

tem, incommutabilem et aeternum. Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum in essentia, trinum in personis: Patrem ingenitum, Filium ex Patre genitum, Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedentem. Patrem non esse Filium aut Spiritum Sanctum: Spiritum Sanctum non esse Patrem aut Filium: sed Pater tantum Pater est, Filius tantum Filius est, Spiritus Sanctus tantum Spiritus Sanctus est. Solus Pater de substantia sua genuit Filium, solus Filius de solo Patre est genitus, solus Spiritus Sanctus simul de Patre procedit et Filio. Hae tres personae sunt unus Deus et non tres Dii: quia trium est una substantia, una essentia, una natura, una divinitas, una immensitas, una aeternitas, *omniaque sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Propter hanc unitatem Pater est totus in Filio, totus in Spiritu Sancto: Filius totus est in Patre, totus in Spiritu Sancto: Spiritus totus est in Patre, totus in Filio. Nullus alium aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Aeternum quippe et sine initio est, quod Filius de Patre exstitit; et aeternum ac sine initio est, quod Spiritus Sanctus de Patre Filioque procedit. Pater quidquid est aut habet, non habet ab alio, sed ex se, et est principium sine principio. Filius quidquid est aut habet, habet a Patre, et est principium de principio. Spiritus Sanctus, quidquid est aut habet, habet a Patre simul et Filio. Sed Pater et Filius non duo principia Spiritus Sancti, sed unum principium: sicut Pater et Filius et Spiritus Sanctus non tria principia creaturae, sed unum principium."

Cum haec sit symbolorum et decretorum authenticorum 35. doctrina de augustissimo Trinitatis mysterio, *fides catholica ad haec summa capita revocatur*: *Primo* Deus absolute unus vere realiter et essentialiter existit tamquam Pater, Filius, Spiritus Sanctus, sive substantia divina subsistit in tribus personis realiter distinctis, Patre, Filio, Spiritu Sancto, utpote quorum quilibet eandem summam, incomprehensibilem, ineffabilem rem: naturam divinam possidet. — *Secundo* hae tres personae a communi essentia vel natura non realiter, sed virtualiter tantum differunt, quatenus modum diversum dicunt,

quo eadem natura subsistit in Patre incommunicata, in Filio communicata per generationem, in Spiritu Sancto per spirationem. Quare divinae personae consubstantiales sunt, quod nimirum unam eandemque non specie sed numero naturam habent. Una enim est summa res, quae veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres simul personae ac singillatim quaelibet earundem. Hinc licet alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen ullo modo aliud et aliud et aliud, sed id ipsum omnino, quod est Pater, est Filius et Spiritus Sanctus. — *Tertio* divinae personae ab invicem realiter non distinguuntur nisi spectata ipsa personalitate vel subsistentia, quatenus scilicet alio et alio modo divinam naturam habent vel in eiusdem possessione sibi opponuntur. Nimirum Pater non est aliunde, non est factus, non genitus, non ab alio existit aut procedit, principium est principio carens, fons non solum totius mundi creati, sed etiam ipsius Deitatis scilicet Filii ac Spiritus Sancti. Filius principium est ex principio, non factus, sed a solo Patre ab aeterno genitus; cum Patre sine ulla commixtione et confusione una penitus natura connexus et identicus et a Patre solum hypostasi sine ulla divulsione distinctus. Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternus ex aeternis ita procedit, ut cum utroque eiusdem naturae divinae communione copulatus et identicus, alius et distinctus ab utroque sit sola subsistentia. Quatenus vero Pater et Filius ad Spiritum Sanctum referuntur, id inter eosdem interest, quod Pater ab aeterno spirat virtute sibi nativa non accepta, Filius autem eadem quidem virtute, verum non nativa, sed per generationem a Patre una cum essentia vel natura accepta. Quare cum Pater et Filius una eademque virtute atque uno eodemque actu spirent, non duplex, sed unum Spiritus Sancti principium sunt. — *Quarto* ex unitate divinae naturae et e distinctione vel habitudine personarum simul consequitur earundem personarum connexio vel unio. Nimirum cum eandem numero naturam habeant atque ad invicem tamquam principium et actus actionum immanentium referantur, necessario et essentialiter cum invicem et in invicem sunt, ita ut vel sola cogitatione ab invicem

separari vel una sine altera cogitari nequeant. Quae intima connexio vel unio latine circumincessio, graece περιχώρησις appellari solet. — *Denique quinto*, cum natura generatim principium quo operationis sit necnon divinae personae unam eandemque realiter naturam habeant, manifesto consequitur, omnem operationem divinis personis communem esse saltem eatenus, quatenus terminus eiusdem non est ipsa persona divina producenda. Quod eo magis dicendum est, quia divina operatio propter absolutam Dei simplicitatem cum natura divina identica est. Hinc igitur divinae personae unum principium creationis omniumque rerum sunt.

4. Ad rationem SS. Trinitatis, prout a fidei regula proponitur, rite percipiendam duplex conceptus spectat alter absolutus, alter relativus. — 36.
Quae hoc loco adduntur, in praecedentibus quidem iam quadantenus continentur, sed explicatius proponenda sunt ad intellectum dogmatis in sua luce ponendum, qualis semper in ecclesia viguit. Itaque duplex relate ad mysterium SS. Trinitatis discernendus est conceptus: alter absolutus, qui quod in Deo unicum est et singulare, exhibet, alter relativus, qui quod distinctum est et triplex, designat. Scilicet, quae de Deo praedicantur, non omnia secundum substantiam, sed alia quidem ad se, alia ad aliquid enuntiantur. Apposite *Ioannes Damascenus*: „Unus est Deus unaque divina substantia, quae agnoscitur et existit in tribus hypostasibus, Patre et Filio et Spiritu Sancto, adeo, ut Pater et Filius et Spiritus Sanctus omnino unum sint, excepta ingeniti, generationis et processionis proprietate" (De fide orthodoxa, l. 1. c. 2.). Unus igitur conceptus ad Trinitatem spectans illud exhibet, quod omnino unum est et realiter commune, alter vero, quod multiplex et distinctum est: et illius quidem obiectum absolutum, huius vero obiectum relativum est atque habitudinem oppositionis prae se fert. Porro hanc conceptuum distinctionem ad intellectum catholicum dogmatis pertinere eiusque intimam rationem spectare facile patet:

1) Ex symbolis et conciliis. — Etenim symbola profitendum proponunt ex una parte unum Deum principium uni- 37.

versorum, creatorem omnium, visibilium et invisibilium: ex altera parte hunc Deum declarant esse Patrem, qui generat, Filium, qui generatur de substantia Patris, Spiritum Sanctum, qui ex Patre et Filio aeternaliter procedit. Iamvero sicuti professio illa in eo tota versatur, quod absolutum et tribus commune est, ita haec id omnino complectitur, quod proprium et relativum est. — Pariter concilia duplicem considerationem necessariam nobis esse docent ad Trinitatis rationem rite percipiendam: alteram, quae in eo, quod absolutum et tribus personis commune est absque ulla distinctione, tota versatur; alteram, quae ea tamquam obiectum suum complectitur, quae propria atque ex intima sua natura relativa sunt. Atque expressis quidem verbis hanc conceptuum distinctionem *concilium florentinum* exhibet eamque tamquam principium catholicae de Trinitate doctrinae statuit: *„Trium personarum omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.“*

38. 2) *Ex SS. Patrum testimonio.* — Hanc conceptionem vel hunc intellectum fidei in antiqua ecclesia viguisse imprimis constat ex controversia, quam Patres egerunt cum Eunomianis Filii divinitatis osoribus. Eunomianis scilicet argumentantibus: *Pater ingenitus atque principii expers est atque in hac quidem ratione essentia ipsius invenitur; Filius autem genitus est atque principium sui habet; ergo Filius eiusdem essentiae ac Pater non est,* SS. Patres occurrerunt *primo* negantes eandem esse omnium, quae de Deo dicuntur, nominum rationem vel omnibus ipsam essentiam qua talem significari: et *secundo* quidem duo praesertim eorum, quae de Deo praedicamus, genera distinxerunt, quorum unum complectatur nomina, quae simpliciter et immediate ad divinam naturam referantur et absoluta sint, alterum autem nomina comprehendat, quae mutuam ad invicem relationem dicant atque illud significent, quod singulis personis individuae Trinitatis proprium sit easque ab invicem distinguat. Haec vero relativa ab illis absolutis non re quidem differre concedebant, verum alium et alium conceptum diversis illis nominibus respondere ideoque virtualem inter ab-

soluta illa et relativa distinctionem intercedere simul asserebant et inculcabant. Ita v. g. *Basilius* et *Gregorius Nyssenus* in suis contra Eunomianos operibus passim procedunt atque ex hac inter rationem absolutam et rationem relativam distinctione solutionem repugnantiarum obiectarum derivant.

Apposite omnino ad rem disserit etiam ***vetustus auctor*** **39.** (Ap. *Mai*, tom. 9. p. 404.; saec. 6. esse videtur) haec symboli Athanasiani: *Unus ergo Pater, non tres Patres*, explanans: „Haec sunt illa relativa nomina vel appellativa, in quibus Trinitas invenitur. Non enim sic dicitur unus Pater, aut unus Filius, sicut dicitur unus immensus aut unus aeternus aut unus Deus, quia illa nomina sunt substantiae h. e. unitatis, ista vero: Pater videlicet, Filius Verbum, et Spiritus Sanctus nomina sunt personarum, h. e. Trinitatis. Et ideo relativa sunt nomina, quia Pater ad alium refertur, h. e. ad Filium: non enim sibi ipsi est Pater, sed alteri h. e. Filio; similiter Filius ad Patrem refertur; sed et Spiritus Sanctus vel Donum, cum dicitur, refertur ad Patrem et Filium, a quibus procedit vel datur. Nam illa nomina substantialia, h. e. Deus, Dominus, aeternus, et cetera, in quacunque persona dicantur, non referuntur ad alium, sed ad seipsum. Nam etsi Apostolus dicat Christum Dei virtutem et Dei sapientiam, tamen non ita est relativum in eo virtus et sapientia, sicut est, quod dicitur Verbum aut Filius; virtus enim et sapientia in Deo substantia est. Verbum autem aut Imago aut Filius relativum. Quodsi Pater, qui genuit sapientiam, et ex ea sit sapiens, neque hoc illi esse sit, quod sapere, qualitas eius erit Filius, non proles eius, et non ibi erit iam summa simplicitas; sed absit, ut ita sit. Ergo et ipse sapientia est, et ita dicitur Filius sapientia Patris, quomodo dicitur lumen Patris, i. e. ut quemadmodum lumen de lumine, et utrumque unum lumen, sic intelligatur sapientia de sapientia, et utrumque una sapientia. Pater igitur et Filius simul una essentia et una magnitudo et una virtus et una sapientia. Sed non Pater et Filius ambo unum Verbum, quia non simul ambo unus Filius. Verbum enim relative, sapientia essentialiter intelligitur. Sapientia ergo Filius de

sapientia Patris, sicut lumen de lumine, et Deus de Deo, ut singulus Pater Deus, et singulus Filius Deus; ergo et singulus Pater sapientia, et singulus Filius sapientia: sicut utrumque simul unum lumen, et unus Deus, sic utrumque una sapientia; sed Filius factus nobis est sapientia a Deo, de qua cum aliquid in scripturis dicitur, Filius nobis insinuatur. Spiritus quoque Sanctus sapientia, et simul non tres sapientes, sed una sapientia, Pater et Filius et Spiritus Sanctus."

40. Similiter rem declarat auctor libri, qui *expositio fidei* inscribitur et aliquando quidem Iustino adscribebatur, sed saeculi 5. esse videtur. Videlicet quaerenti, *qua ratione posita distinctione inter Patrem gignentem et Filium genitum, atque Spiritum Sanctum procedentem et huius processionis principium fiat tamen, ut Filius et Spiritus Sanctus illud idem sint (i. e. eandem essentiam habeant) ac Pater*: respondet, ingenitum, genitum ac procedens non essentiae nomina esse, sed modos subsistentiae (τῆς ὑπάρξεως), ita ut Patri quidem differentia sit a Filio et Spiritu Sancto secundum modum subsistentiae (τὸν τῆς ὑπάρξεως τρόπον), identitas autem secundum essentiam (τὸν τῆς οὐσίας λόγον). „Quatenus enim ille quidem ingenite habet esse, hic autem genite, et Spiritus procedendo, secundum haec considerari differentia solet . . . Quapropter ingenitum, genitum et procedens nomina sunt non essentiam declarantia, sed hypostases significantia. Nobis namque inserviunt ad discernendas personas, et Patris ac Filii et Spiritus Sancti peculiariter indicant hypostasim." Videlicet ex fide huius auctoris accurate discernenda sunt ea, quae ad essentiam referuntur et absoluta sunt, ab eis, quae ad modum subsistendi spectant et relativa sunt.

41. Eandem distinctionem ad intellectum catholicum mysterii SS. Trinitatis pertinere, iam *Augustinus* quoque testatur. Etenim l. 5. de Trinitate hanc Arianorum obiectionem examinans: „*Quidquid de Deo dicitur, vel intelligitur, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur. Quapropter ingenitum esse Patri secundum substantiam est, et*

genitum esse Filio secundum substantiam est; diversum est autem ingenitum esse et genitum esse; diversa est ergo substantia Patris et Filii", s. doctor respondet, nihil quidem in Deo secundum accidens (i. e. proprie dictum) dici, nec tamen omnia secundum substantiam, sed quaedam ad aliquid, seu secundum relativum dici, quod accidens non sit, cum mutari nequeat: „Illud, inquit, praecipue teneamus, quidquid ad se dicitur praestantissima illa et divina sublimitas, substantialiter dici, quod autem ad aliquid, non substantialiter, sed relative" (c. 8). Et interius: „Quod autem proprie singula in eadem Trinitate dicuntur, nullo modo ad seipsa, sed ad invicem aut ad creaturam dicuntur, et ideo relative, non substantialiter ea dici manifestum est. Sicut enim Trinitas unus Deus dicitur magnus, bonus . . ., non sic potest dici Trinitas Pater, nisi forte translate ad creaturas propter adoptionem filiorum. Quod enim scriptum est: *Audi Israel Dominus Deus tuus Dominus unus est,* non utique excepto Filio aut excepto Spiritu Sancto oportet intelligi, quem unum Dominum Deum nostrum recte etiam dicimus Patrem nostrum per gratiam suam nos regenerantem. Trinitas autem Filius nullo modo dici potest."

3) Ex unanimi theologorum consensione. — Eundem vero intellectum fidei in ecclesia semper perseverasse, diversarum aetatum theologi testantur. Audiatur imprimis *S. Thomas*: „Quidquid in divinis absolute dicitur, commune est et unum in tribus personis, sicut quod dicitur Deus bonus, sapiens et omnia huiusmodi. Ibi enim solum invenitur distinctio, ubi aliquid invenitur pertinens ad relationem originis; quia scilicet Pater a nullo est, et secundum hoc innascibilis dicitur. Filius autem dicitur Filius, quia a Patre est per generationem, et secundum hoc Patri attribuitur paternitas et Filio filiatio. Spiritus autem Sanctus ab utroque procedit, et secundum hoc Spiritui Sancto tribuitur processio, Patri vero et Filio communis spiratio, quia scilicet communiter spirant Spiritum Sanctum" (Opusc. 19. in decret. 1.). 42.

Similiter *S. Bonaventura*: „In divinis sunt duo modi 43.
praedicandi, scilicet per modum substantiae et relationis . . .

Omnia ergo haec praedicta praedicamenta sunt id ipsum, quod est illud, de quo praedicantur; et ita per comparationem ad subiectum, in quo sunt omnia, dicuntur transire in substantiam, relatione tamen excepta, quae cum duplicem habeat comparationem, scilicet ad subiectum in quo, ad terminum ad quem, primo modo transit, ne faciat compositionem, sed secundo modo manet, ut faciat distinctionem. Et hinc est, quod substantia continet unitatem, et relatio multiplicat Trinitatem: et ideo manent ibi hi duo tantum modi praedicandi differentes, de quibus talis datur regula: Quae dicuntur secundum substantiam, de omnibus dicuntur, et singillatim et simul et singulariter: quae vero secundum relationem, aut non de omnibus dicuntur, aut si de pluribus pluraliter, ut relati, distincti, similes, aequales, propter relationem intrinsecam. Nomen autem Trinitatis comprehendit utrumque" (Brevil., p. 1, c. 4.).

44. Ex theologis posterioribus testis sit *Petavius*: „Sciri illud imprimis convenit, quidquid de SS. Trinitate vel cognoscendo capitur vel dicendo a nobis explicatur, ad duo fastigia pertinere. Nam quaedam Deo ipsi per sese tribuuntur, ac sunt communia personis tribus, quaedam privatim unicuique conveniunt, per quae discernuntur ac discrepant. Primum genus naturam ipsam complectitur sive essentiam, quam Graeci οὐσίαν et φύσιν vocant, tum absolutas et ab omni respectu liberas velut affectiones, quas perfectiones et attributa moris est dicere, ut sunt immensitas, aeternitas, bonitas, sapientia, iustitia. Posterius personales, ut vocant, proprietates ac notas, quas vulgo notiones appellant. Graeci variis utuntur nominibus . . . Eiusmodi sunt proprietates illae, quae σχετικαί dicuntur et τῶν πρός τί, relativas Latini vocant, ex quibus personae sive hypostases aut constituuntur aut certe dignoscuntur et explicantur. Ac tametsi interdum universe τὰ ὑποστατικά proprietates eae nuncupantur, quae a priore genere distant, quod οὐσιώδεις continet et absolutas, nihilominus a quibusdam proprietates istae personarum bifariam scinduntur. Quaedam enim ὑποστατικά vocantur ἰδιώματα, hoc est proprietates (Calecas, lib. cont. Graec. c. 38), quae maxime pro-

priae sunt personarum, et eas constituunt, velut est paternitas, quae personam Patris subsistentem facit. Aliae sunt, quae tantummodo designant et dignosci faciunt personam aliquam, sed non constituunt; verum constitutae iam quodammodo accidunt, ut ingenitum esse . . ." (lib. 4. de Trinitate, Prooem.).

Scholion.

1. De divisione theologiae in unitam et distinctam. — SS. Patres doctrinam de Deo in duo capita dividere, eaque nominibus theologiae unitae et distinctae designare consueverunt. Ita v. g. *Ps. Dionysius* caput 2. de divin. nom. inscribit „de unita et distincta theologia"; et *Ioannes Damascenus* de fide orthod. l. 1. c. 10. „de divina unitione et distinctione" notat; necnon *Antiochus monachus* animadvertit: „Theologia omnis unita est et distincta" (De fide, hom. 1.). Cuius distinctionis vel denominationis rationem sic reddit ipse *Ps. Dionysius*: „Quodcunque nomen absolutum ad totam deitatem (i. e. ad tres personas in communi) pertinere putandum est . . . At est etiam in superessentialibus theologiis distinctio, quatenus in ipsa unione quaelibet persona impermixta et inconfusa subsistit, et ea, quae superessentialis processionis sunt, inter se minime convertuntur. Sic igitur et nos divina sermone coniungere et distinguere satagimus, prout ipsa in se unita sunt et distincta" (L. c. n. 5. et 6.): et *Pachymeres* in paraphrasi: „Cum de divinis nominibus propositum esset Dionysio loqui, divina vero nomina ita se habeant, ut quaedam communiter tribus personis divinis conveniant, quaedam uni tantum ex personis privatim, idcirco illa quidem nomina, quae communiter divinae naturae congruunt, unitam inscribit theologiam, quae vero cuilibet personae privatim congruunt, distinctam." Unde patet illam distinctionem vel denominationem supponere et includere professionem dogmatis SS. Trinitatis, prout supra secundum intellectum catholicum propositum est. Apposite Cardinalis *Franzelin:* „Ex hac communione naturae in tribus distinctis, quod personae relationibus distinctae, absoluta vero essentia sunt unum, a Patribus doctrina de essentia et attributis absolutis vocatur theologia unita, theologia unitionis. Si enim sola singularitas 45.

naturae non autem distinctio personarum comperta esset, posset quidem de theologia unitatis, non vero de theologia unita et unitionis sermo haberi. Porro quoniam relationes, quibus personae singulae constituuntur et distinguuntur, eo ipso sunt propriae singulis, non autem communes tribus; doctrinam de his Patres dixerunt theologiam distinctam, quae praesupponit et includit theologiam unitam, siquidem personae unam numero naturam ita includunt, ut non nisi hac unitate supposita et simul considerata intelligi queat earum vera distinctio, contraria non minus divisioni Arianae quam confusioni Sabellianae" (De Deo uno, Prolegomenon IV. n. II.).

46. **2. *De nomine Trinitatis.*** — Antiquorum scholasticorum sententia fuit, nomen Trinitatis non simpliciter numerale et collectivum sed quasi collectivum esse, utpote quod non modo multitudinem suppositorum, sed etiam essentiae unitatem directe significet, cum ex adverso nomina simpliciter collectiva praeter suppositorum multitudinem non quidem essentiae unitatem vel unitatem simpliciter, sed solum unitatem quandam ordinis alicuius vel unitatem secundum quid significent. Cuius opinionis *Magister sententiarum* auctor fuisse videtur, eo quod Isidorum putavit *Trinitatem* explicasse per *Trium unitatem*, adeo ut etymo spectato *Trinitas* idem sit ac *Triunitas*. Atvero haec opinio falsa est eiusque explicatio per Magistrum facta fundamento caret. Etenim vocabulum latinum Trinitas idem prorsus valet, ac graecum ἡ Τριάς ideoque sicuti hoc nomen est simpliciter numerale et collectivum; quare unitatem naturae directe non significat, vel exhibet quidem tres, qui sunt unus Deus, non vero quatenus unum, sed quatenus praecise tres sunt. Confirmatur ex ratione loquendi apud latinos graecosque Patres usitata, quam his verbis expressit *Fulgentius*: „Ipse verus Deus personis Trinitas est, et in una natura unus est" (De fide ad Petrum c. 1.); necnon ex professione fidei *Concilii Tolet.* 11.: „Haec ergo sancta Trinitas, quae unus et verus est Deus, nec recedit a numero, nec capitur a numero. In relatione enim personarum numerus cernitur; in divinitatis vero substantia, quid enumeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc

solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, et in hoc numero carent, quod in se sunt." Denique de etymologica Magistri explicatione recte notat *Petavius*: „Ratione caret omni etymon illud vocabuli *Trinitas*; nihiloque plausibilius est, quam si dicam: humanitas est humana unitas, benignitas benigna unitas, bonitas bona unitas" (L. c.).

3. De multiplicatione nominum de tribus personis praedicatorum. — Supposito intellectu catholico mysterii SS. Trinitatis, ut ex symbolis aliisque fidei documentis derivatus est, iam opportune solvi potest quaestio aliqua logica, quam *S. Thomas* inscribit: „Utrum nomina (essentialia) praedicentur singulariter de tribus personis" (S. th. p. 1. q. 39. a. 3.). Haec quaestio satis intricata est atque ad intellectum exercendum idonea, ut facile patet, consideratis dubiis quibusdam, quae solutioni praemittit: „1. Videtur, quod nomina essentialia, ut hoc nomen *Deus*, non praedicentur singulariter de tribus personis, sed pluraliter. Sicut enim homo significatur ut habens humanitatem, ita Deus significatur ut habens deitatem. Sed tres personae sunt tres habentes deitatem. Ergo tres personae sunt tres dii." Et: „4. Praeterea, sicut hoc nomen *Deus* significat habentem deitatem, ita hoc nomen *persona* significat subsistentem in natura aliqua intellectuali. Sed dicimus tres personas. Ergo eadem ratione dicere possumus tres deos." 47.

Porro *S. Thomas in corpore eiusdem articuli hanc quaestionis explicationem proponit:* „Nominum essentialium quaedam significant essentiam substantive, quaedam vero adiective. Ea quidem, quae substantiae essentiam significant, praedicantur de tribus personis singulariter tantum, et non pluraliter; quae vero adiective essentiam significant, praedicantur de tribus personis in plurali. Cuius ratio est, quia nomina substantiva significant aliquid per modum substantiae, nomina vero adiectiva significant aliquid per modum accidentis, quod inhaeret subiecto. Substantia autem, sicut per se habet esse, ita per se habet unitatem vel multitudinem; unde et singularitas vel pluralitas nominis substantivi attenditur secundum formam significatam per nomen. Accidentia autem, sicut 48

esse habent in subiecto, ita ex subiecto suscipiunt unitatem vel multitudinem; et ideo in adiectivis attenditur singularitas et pluralitas secundum supposita. In creaturis autem non invenitur una forma in pluribus suppositis, nisi unitate ordinis, ut forma multitudinis ordinatae. Unde nomina significantia talem formam, si sint substantiva, praedicantur de pluribus in singulari, non autem, si sint adiectiva; dicimus enim, quod multi homines sunt collegium, vel exercitus aut populus, dicimus tamen, quod plures homines sunt collegiati. In divinis autem essentia divina significatur per modum formae . . . quae quidem simplex est et maxime una . . . Unde nomina significantia divinam essentiam substantive singulariter et non pluraliter de tribus personis praedicantur. Haec igitur est ratio, quare Socratem et Platonem et Ciceronem dicimus tres homines; Patrem autem et Filium et Spiritum Sanctum non dicimus tres Deos, sed unum Deum: quia in tribus suppositis humanae naturae sunt tres humanitates; in tribus autem personis est una divina essentia. Ea vero, quae significant essentiam adiective, praedicantur pluraliter de tribus propter pluralitatem suppositorum. Dicimus enim tres existentes vel tres sapientes aut tres aeternos et increatos et immensos, si adiective sumantur. Si vero substantive sumantur, dicimus unum increatum, immensum, et aeternum, ut Athanasius dicit in symbolo fidei." *Ad argumenta vero supra relata respondet*: „ad primum ergo dicendum, quod licet *Deus* significet habentem deitatem, est tamen alius modus significandi. Nam Deus dicitur substantive; sed habens deitatem dicitur adiective. Unde licet tres sint habentes deitatem, non tamen sequitur, quod tres sint dii": et: „ad quartum dicendum, quod forma significata per hoc nomen *persona* non est essentia vel natura, sed personalitas. Unde cum sint tres personalitates, id est, tres personales proprietates in Patre, in Filio et Spiritu Sancto, non singulariter, sed pluraliter praedicatur de tribus." — Iamvero haec S. Thomae explicatio quaestioni solvendae respondet ac vera est; sed consideratis diversorum nominum significatione, adsignificatione, modo significandi, complenda et perficienda esse videtur. Itaque:

1) *Nomina abstracta, sive significant formam substantialem sive accidentalem, multiplicantur multiplicata forma, etsi suppositum non multiplicetur; atque non multiplicantur non multiplicata forma, etsi suppositum multiplicetur.* — Etenim nomina abstracta quaelibet formas i. e. naturas et proprietates significant secundum se sive ut vel re vel ratione saltem a subiecto distinctas et subiectum ad summum adsignificant; cuiusmodi nomina sunt: humanitas, divinitas, sapientia, potentia, immortalitas aliaque eiusmodi: iamvero cum unitas sit attributum entis, unumquodque sicut esse, ita et unitatem vel pluralitatem habet; ergo tales formae secundum se vel per se unitatem vel pluralitatem habere concipiuntur ideoque nomina abstracta sola forma multiplicata multiplicantur et sola forma non multiplicata non multiplicantur. Hinc hominis unius, qui tum mathesin tum philosophiam, tum theologiam callet, plures i. e. tres scientiae sunt; trium vero imperatorum vel consulum conregnantium una potestas vel auctoritas est. Pariter igitur divinitas, potentia, sapientia etc. trium personarum divinarum una est; Christi vero natura, scientia, sanctitas, bonitas etc. duplex est. **49.**

2) *Nomina concreta adiectiva multiplicantur multiplicato solo subiecto, etsi non multiplicetur forma, et non multiplicato subiecto non multiplicantur, etsi forma multiplicetur.* — Nimirum nomina concreta significant subiectum cum forma vel hypostasin cum natura vel proprietatibus, ut si dico: Deus, homo, sapiens, mortalis, immortalis et similia: et quidem, cum subiectum ut habens formam significent, in recto subiectum, in obliquo formam significant, sive subiectum significant, formam vero adsignificant; ita homo est persona habens humanitatem, sapiens est qui sapientiam habet. Verum quod sedulo considerandum est, alia est haec adsignificatio in nominibus adiectivis et alia in nominibus substantivis. Videlicet adiectiva adsignificant formam praecise tamquam accidens, i. e. tamquam aliquid ad subiectum significatum in se plene constitutum accedens; quare sicut subiectum per se, non a forma esse habet, ita etiam per se, non a forma unitatem vel pluralitatem habet; forma autem **50.**

adsignificata tamquam accidens, sicut esse habet in subiecto, ita ex subiecto accipit unitatem vel pluralitatem. Ergo nomina adiectiva singularitatem vel pluralitatem secundum supposita suscipiunt. Hinc aliquis homo, qui tres scientias habet: mathematicam, philosophicam, theologicam, unus tamen sapiens est, non tres sapientes; tres vero homines, etsi eandem numero auctoritatem vel potestatem in republica habeant, tres tamen regnantes vel consules vel imperatores sunt; et tria corpora, si una numero albedine informarentur, tria alba essent. — Quare pariter Christus cum unum suppositum sit, unus sapiens, sanctus, potens, bonus est, etsi duas sapientias, duas sanctitates, duas potentias, duas bonitates i. e. humanam et divinam habet. Tres vero personae divinae translato ad ipsas hoc modo significandi nominum adiectivorum, cum tria supposita sint, tres omniscii, omnipotentes, immensi dici possunt, etsi scientia, potentia, immensitas eorum numero una sit.

51. 3) *Nomina concreta substantiva multiplicantur multiplicato utroque, scilicet tum subiecto tum forma; non vero multiplicantur multiplicato tantum altero sive supposito sive forma.* — Etenim eiusmodi quoque nomina, ut corpus, planta, brutum, homo, angelus, Deus, in recto quidem subiectum, in obliquo formam significant, vel subiectum significant et formam adsignificant, cum homo v. g. nihil aliud sit, quam suppositum habens humanitatem; verumtamen, quod sedulo considerandum est, haec nomina substantiva essentialiter diverso modo formam adsignificant, quam nomina adiectiva. Videlicet cum nomina adiectiva adsignificent formam, quae et quatenus ad subiectum plene constitutum accedat ideoque extra ipsam sit; nomina substantiva concreta ex opposito adsignificant formam, quae per se stat, in subiecto eodem subsistit, idem subiectum substantialiter complet et constituit atque ideo unum per se cum eodem subiecto constituit. Hinc, cum quale sit esse, talis sit unitas, significata nominum substantialium plura non sunt, nisi etiam formae plures sint; quare nomina substantiva multiplicantur multiplicatis tum subiecto tum forma et non multiplicantur tum utroque tum etiam alterutro non multiplicato. Tria igitur corpora dicunt aliud

et aliud subiectum cum alia et alia corporeitate. duo homines. duo diversa supposita sunt habentia aliam et aliam humanitatem: tres habentes unam humanitatem essent unus homo: tres homines unum tantum sunt collegium.

Iamvero translato hoc modo significandi substantivorum 52. concretorum ad Deum, usus eorundem nominum circa Deum satis facile regulatur. Itaque tres personae divinae unus Deus sunt. cum eandem naturam divinam habeant et nomen *Deus* substantivum sit; sunt autem tres habentes naturam divinam, cum hoc nomen *habens naturam divinam* tamquam adiectivum adhibeatur. Item eaedem tres personae unus creator sunt, cum unum principium operandi quo i. e. unam naturam habeant; possunt autem dici tres creantes, cum nomen *creans* secus ac nomen *creator* non nomen substantivum, sed potius adiectivum sit. Pariter Pater et Filius unum etiam principium quod Spiritus Sancti dici debent, quia, quamvis diversa supposita sint, tamen eandem naturam et eandem relationem spirationis activae ad Spiritum Sanctum habent. Necnon Pater tum generator tum spirator unum principium quod Filii et Spiritus Sancti est. quia etsi multiplicetur relatio, suppositum tamen non multiplicatur. Similiter Christus Deus-homo non duo redemptores, vel duo messiae vel duo principia quod. sed unus redemptor et unus Messias et unum principium quod est. cum forma vel natura quidem duplex, subiectum autem vel suppositum unum sit.

Oppositum videri potest symbolum Athanasianum. ut- 53. pote in quo expressis verbis nomina adiectiva non multiplicantur pro trinitate suppositorum, sed pro unitate naturae in numero singulari ponuntur: „Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus; increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus: immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus; aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus: et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus; sicut non tres increati, nec tres immensi; sed unus increatus et unus immensus; similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus: et tamen non tres omnipotentes; sed unus omnipotens, ita Deus

Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus: et tamen non tres Dii, sed unus est Deus; ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus: et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.“ Itaque in eodem prorsus sensu, quod multiplicationem attinet, nomina substantiva et adiectiva habentur. — *R. Primo* considerandum est, ab eodem symbolo paulo inferius nomina adiectiva in numero plurali adhiberi: „In hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales.“ Itaque ex symbolo Athanasiano nihil contra regulas supra statutas conficitur, sed videndum est, qua ratione duo illi diversi modi adhibendi nomina adiectiva cum invicem et cum regulis statutis componantur. Iamvero *secundo* dicendum praecise est, nomina adiectiva de tribus personis adhibita considerari posse vel tamquam adiectiva, atque tunc multiplicantur pro trinitate suppositorum, vel tamquam substantiva, atque tunc pro unitate substantiae vel naturae divinae in numero singulari ponuntur. Revera ea nomina ad Deum applicata adhiberi possunt tamquam substantiva; etenim cum in Deo non sint formae accidentales, id quod illa nomina de Deo adhibita significant, est ipsa substantia divina; atque ideo hac ratione imprimis considerata eadem nomina tamquam substantiva tractari possunt et rectius tractantur; imo vero, „si essentiam eius in seipsa videremus, non requireretur nominum multitudo, sed esset simplex nomen eius, sicut est simplex essentia eius; et hoc in die gloriae nostrae exspectamus, secundum illud Zach. 14, 9.: *In die illa erit Dominus unus, et nomen eius unum.*“ Verum eadem nomina, cum a creaturis abstracta sint atque ideo perfectionem ad modum qualitatis adiacentis significent, ad divinam perfectionem translata hunc modum significandi retinere solent atque tunc secundum communem regulam adiectivorum pro pluralitate vel unitate suppositorum vel multiplicantur vel non multiplicantur. Neque in eo usu quidquam falsum asseritur, cum divinae perfectiones accidentia esse nequaquam dicantur, sed solum pro imperfectione nostrae intellectionis divinae perfectiones imperfecte ad modum qualitatum adiacentium concipiantur.

4) Nomina concreta personalia pro sola subsistentia multiplicata vel non multiplicata multiplicantur vel non multiplicantur. — Etenim nomina personalia quaevis significant subiectum *habens naturam* vel subiectum *subsistens in natura;* ubi termini *habens naturam* et *subsistens* in natura nomina adiectiva sunt; ergo nomina personalia eadem ratione sicut nomina adiectiva subiectum significant et formam adsignificant; vel sicut substantiae indifferenter se habent ad unum vel plura accidentia, ita suppositum indifferenter se habet ad unam vel plures naturas habendas; quare sicut nomina adiectiva, ita et personalia cum subiecto vel multiplicantur vel non multiplicantur. Unde Pater et Filius et Spiritus Sanctus tres hypostases, tres personae, tria supposita, tria ego sunt, cum tria sint subiecta habentia naturam, etsi natura, quae habetur, una sit. Christus vero una hypostasis, una persona, unum suppositum, unum ego est, cum sit unum subiectum habens naturam, etsi natura, quae habetur, duplex sit, scilicet divina et humana. 54.

Paulo aliter res hunc in modum explicari posse videtur: 55. Cum persona sit natura subsistens vel natura habens subsistentiam, duo elementa substantialia, natura ut subiectum et subsistentia ut forma, personam constituunt. Verum ex his duobus elementis magis forma vel subsistentia attenditur, quia per eam subiectum in formali ratione personae constituitur; quoties autem forma ponitur, toties effectus formalis habetur, ergo cum subsistentia persona vel multiplicatur vel non multiplicatur. Atque hinc imprimis esse videtur, quod cum nomina adiectiva ut immensus quoad Deum substantive adhiberi possunt, nomina tamen personalia considerata eorundem multiplicatione nunquam tamquam nomina substantiva usurpari possunt.

Ex proposita explicatione intelligitur primo, inadaequatam vel minus veram esse hanc Cardinalis *Franzelin* declarationem: „Substantiva enim illa: principium, spirator, creator significant formam per quam seu principium, quo spirant et creant, personas autem in confuso adsignificant vel supponunt: ideoque, quia forma significata una est, unus 56.

est Spirator et unus creator sicut unus Deus" (De Trinit. th. 25 not. p. 383.). — Videlicet *primo* etiam haec concreta substantiva sicut cetera significant subiectum et formam adsignificant, cum creator v. g. nihil sit nisi principium creans. *Praeterea* ea declaratione supposita videretur dicendum esse. Christum esse duo principia quod, duos redemptores, duos dominos etc., cum in ipso duplex forma sit: reipsa autem tantum unum principium, unus redemptor, unus dominus est; ergo.

57. *Secundo intelligitur*, neque *Petavium* satis feliciter in solvenda praesente quaestione versatum esse. Etenim inquirens, qua ratione symbolum Athanasianum tres personas dixerit unum immensum, unum aeternum etc., S. Thomae explicationem reiciens declarat incredibile sibi videri nec ulla ratione probari, vocabula illa in eadem constructione contra Grammaticorum regulas substantive potius quam adiective usurpari, utpote quae omnes adiectivorum conditiones habeant, substantivorum autem omnibus careant. Considerandum igitur esse ait, quo consilio illa symboli verba posita sint: „Adversus Arianorum haeresin opposita videntur a conditore symboli, quae Trinitatem ex tribus componebat personis inaequalibus et substantia diversis, quorum singulae singulis constabant ut naturis, ita proprietatibus naturae. Itaque formas iis inesse putabant totidem, quot sunt individuae personae, quas quidem formas, qui tolerabilius insaniebant in illo grege, in Patre saltem ac Filio collocabant per omnia similes, quemadmodum in hominum genere filii sunt patrum similes, et naturae sunt in duobus duae ac naturales totidem affectiones. Quamobrem et homines illic duo, et sentientes, intelligentes, ac volentes sunt duo, quoniam formae sunt, a quibus eae denominationes oriuntur, numero reque ipsa diversae. Quod ne idem de tribus divinitatis personis existiment Christiani, iure haec in symbolo formula credendi proponitur, ita singulas personas Deum esse, et aeternum et omnipotentem, ut tamen non sint tres dii nec aeterni aut omnipotentes, sed unus Deus, aeternus unus et unus omnipotens. Ac nisi id, quod dixi, metuendum esset ab Ariana professione, poterant

non minus enuntiari ista sic: tres sunt aeterni, tres omnipotentes, sicut coaeternae in eodem symbolo personae dicuntur. Ad hunc enim sensum illa revocantur: tres sunt habentes aeternitatem et omnipotentiam. Deos porro tres usurpari similiter, nefas arbitror: quod non solum adversus Arianos, sed etiam contra gentiles ea nos cautione scripturae sacrae praemuniant, ut ne plures appellemus deos, cum ita scriptum sit Deuteron. 6.; *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est.* Possent tamen non tres dii, sed tres divini i. e. divinitate dici praediti, si usus ita ferret Ecclesiae sanctorumque Patrum" (l. 3. c. 9.). — Videlicet neque haec explicatio sufficit, cum ea quidem modi loquendi, de quo quaeritur, ratio externa et finalis, non autem ratio interna et formalis vel logica assignetur; hanc vero, scilicet rationem logicam vel formalem a S. Thoma recte assignatam esse, supra satis ostensum est.

Articulus secundus.

De testimonio scripturae.

Thesis 2. Dogma SS. Trinitatis imprimis a scriptura N. T. clare proponitur.

Declaratio.

Momentum et ratio demonstrationis instituendae. — Doctrina SS. Trinitatis, quae in praecedenti thesi secundum fidei regulam exposita est, iam demonstratione instituta vindicanda est; qualis vero esse debeat ea demonstratio et ex quibus fontibus derivanda sit, ipsa interna huius dogmatis ratio docet. De hac autem opportune animadvertit *Gregorius Nyssenus*: „nullo id sermone consequi nos posse, quemadmodum res eadem numerabilis sit, et numerum fugiat; tum ut distincta cernatur, et in unitate nihilominus intelligatur, atque et hypostasi disiuncta, et subiecto minime divisa sit; ac rursus aliud sit illud, cuius et Verbum est et Spiritus. Porro, cum id, quod distinctum est in illis, 1.

animo conceperis, rursus naturae singularitas partitionem respuit adeo, ut neque monarchiae dominatus in diversas divinitates secetur, neque cum iudaico dogmate fides nostra consentiat, sed inter duas opiniones interiecta veritas procedat, et utramque sectam ita destruat, ut ab utraque, quod utile est, assumat. Etenim iudaicum dogma cum Verbi professione, tum fide, quae est in Spiritum Sanctum, evertitur: ut gentilium in multos deos distracta superstitio per hoc extinguitur, quod inane commentum multitudinis naturae singularitas excludit. Rursus igitur e iudaica persuasione naturae singularitas maneat; ex gentili autem errore solum discrimen hypostaseon; et utrinque congruenti remedio impia curetur opinio. Est enim velut medicina quaedam iis, quae circa unum aberrant, Trinitatis numerus: iis vero, qui in multitudinem dispersi sunt, singularitatis ratio" (Orat. catech. 3). Similiter *Leo M.*: „Bene ergo ipsa difficultas loquendi cor nostrum ad intelligentiam trahit, et per infirmitatem nostram coelestis doctrina nos adiuvat, ut, quia in deitate Patris et Filii et Spiritus Sancti, nec singularitas est nec diversitas cogitanda, vera unitas et vera trinitas possit quidem mente simul sentiri, sed non possit simul ore proferri" (Tract. cont. haeres. Eutych.). Videlicet dogma SS. Trinitatis ineffabile et incomprehensibile mysterium est, quare per supernaturale cognitionis medium vel ex fontibus revelationis eius existentia demonstranda est. Primo loco venit demonstratio ex scriptura, quae bipartita est; altera in scriptura N. T. mysterium Trinitatis clare proponi demonstratur, altera idem mysterium in scriptura V. T. saltem innui ostenditur. Illa demonstratio in praesenti, haec in subsequenti thesi exequenda est.

Demonstratio.

2. ***1. Probatur argumento generali.*** — Sacra Scriptura N. T. *primo* passim Patrem, Filium et Spiritum Sanctum tamquam tres realiter ab invicem distinctos exhibet; item *secundo* passim unumquemque horum trium verum Deum esse variis modis clare docet: denique *tertio* aperta atque crebra eiusdem scripturae doctrina est, verum Deum esse

unum ea unitate, quae cum quavis multiplicabilitate naturae divinae repugnet, quaeque unitas absolutae et perfectissimae singularitatis sit. Ergo tres realiter distincti: Pater et Filius et Spiritus Sanctus unus numero verus Deus sunt. Iamvero usu loquendi ab omnibus communiter recepto essentialis perfectio, qua quis constituitur et per quam ad quaestionem, quid res sit, respondetur, essentia seu natura appellatur: qui autem in eiusmodi essentia vel natura convenientes realiter ab invicem distinguuntur hypostases vel, si natura est intellectualis, personae nominantur. Ergo auctoritate scripturae ad professionem adigimur, tres personas realiter distinctas, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum esse unum numero verum Deum, seu, quod idem est, naturam divinam in tribus hypostasibus seu personis realiter distinctis subsistere.

Consequentia argumenti manifesta est; item minor patet 3.
ex documentis in praecedenti thesi allatis: pariter doctrina scripturae de unitate divinae naturae aperta est ex tractatu de Deo uno: restat igitur solum, ut ceterae assumptiones maioris, scilicet divinitas illarum trium personarum necnon earundem realis distinctio ex scriptura N. T. demonstrentur.

Haec vero demonstratio hoc loco magis obvie et summatim institui potest, cum accuratior inquisitio infra de singulis personis instituenda sit. Et Patrem quidem Deum esse nulla demonstratione indiget, cum ea veritas clarissime a scriptura proposita atque nunquam in controversiam vocata sit. Etenim non solum simpliciter *Deus* saepe numero vocatur (Ioan. 5, 18.: 6, 46. etc.), sed etiam dicitur *Deus vivus* (Matth. 16, 16.), *solus Deus verus* (Ioan. 17, 3.), *Dominus coeli et terrae* (Matth. 11, 25.) et multis aliis nominibus Deo vero soli propriis insignitur. Restat igitur, ut de Filio et Spiritu Sancto breviter dicatur.

1) *Filius tamquam a Patre distinctus atque verus Deus* 4.
exhibetur. — Quod manifeste patet vel obiter inspecta doctrina Christi et Apostolorum:

a) Et imprimis quidem *tum divinitas Filii tum eius distinctio a Patre* inde manifesta est, quod ubique tamquam *verus et proprius Filius* exhibetur. Etenim nomine sibi pro-

prio non solum Filius simpliciter vocatur, sed *unigenitus Filius, qui est in sinu Patris* (Ioan. 1, 8.), *Filius Dei unigenitus* (ib. 3, 16.), *Filius proprius* (Rom. 8, 32.). *Filius cuius proprius Pater est Deus* (Ioan. 5, 18.), *Filius verus* (1. Ioan. 5, 26.), Filius eo sensu, quo *nemo alius neque angelus filius vocari potest* (Heb. 1, 5.), Filius, qui talis non est, quia obediens Patri, sed *factus est obediens, quamvis esset Filius* (Heb. 5, 8.), Filius *ab aeterno et manens in aeternum* (Ioan. 8, 35. 58.), Filius qui *dedit aliis potestatem, filios Dei fieri* (ib. 1, 12.), *Filius dilectus* (Matth. 3, 17.), *Filius dilectionis paternae* (Col. 1, 13.). Iamvero qui ea ratione Dei Filius est, necessario naturalis Dei Filius esse intelligitur. Cum igitur naturalis Filius tum a Patre suo personaliter distinctus sit tum eandem cum eo naturam habeat, Filius Dei a scriptura exhibetur tum ut Deus tum ut distincta a Deo Patre persona.

5. b) Idem Filius *variis aliis modis Deus esse exhibetur*. Sic imprimis disertis verbis Deus vocatur v. g.: Filius dicitur Verbum, Verbum vero Deus esse dicitur: θεὸς ἦν ὁ λόγος (Ioan. 1, 1. coll. 1, 14.); item Christum, Filium Dei. Deum esse confessus est Thomas: ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου (Ioan. 20, 28.); idem Paulus testatur: „*Ad Filium* (dixit Deus): *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi*" (Heb. 1, 1.: cf. Tit. 2, 13.: Rom. 9, 5.). — Praeterea Filio aequalis vel eadem cum Patre natura adscribitur: „*Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo*" (Phil. 2, 6.), „*Ego et Pater unum sumus*" (Ioan. 10, 30.). — Deinde Filius etiam vitam essentialem, quam Pater in semetipso et ex seipso habet, communicatam a Patre possidet et ideo sicut Pater ita et Filius ipsa vita est: „*Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso*" (Ioan. 5, 25.). — Item quaecunque habet et operatur Pater, haec et Filius habet et operatur: „*Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt*" (Ioann. 15, 16.). „*Pater meus usque modo operatur, et ego operor . . . Quaecunque ille fecerit, haec et Filius similiter* (ὁμοίως) *facit*" (Ioan. 5. 17. 21.). „*Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum . . .*

et ad eum veniemus, et apud eum mansionem faciemus" (Ioan. 14, 21. 23.). „*Et* (iterum dicit scriptura): *tu in principio, Domine, terram fundasti*" (Heb. 1, 8. ss.). Filius est „*splendor gloriae Patris et figura substantiae eius, portans omnia verbo virtutis suae*" (Heb. 5, 3.). — Denique cum haec sit Filii ratio et natura, eundem sibi cultum supremum postulat, qui Patri debetur: „*Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*" (Ioan. 5. 23.). Cf. Tract. de Verbo Incarnato th. 1. ss.

c) Filius item multis modis tamquam *distincta a Patre* **6.**
persona exhibetur. Et primo quidem de Patre et Filio praedicata in numero plurali enuntiantur, quod sane distinctionem personalem omnino postulat: „*Ego et Pater unum sumus.*" „*Et ad eum veniemus, et apud eum mansionem faciemus.*" — Deinde iis modis ad invicem referuntur, qui item personalem distinctionem plane supponunt. Sic Filius a Patre genitus dicitur, a Patre vitam accepisse et omnia quaecunque habet Pater; item dicitur esse in Patre, apud Patrem, cum Patre: „*Pater in me et ego in Patre*" (Ioan. 10, 14.); „*Et Verbum erat apud Deum*" (Ioan. 1, 2.); „*Solus non sum, sed ego et qui misit me Pater*" (Ioan. 10, 17.); deinde a Patre exivit et ad eum rediturus est: „*Credidistis, quia ego a Deo exivi. Exivi a Patre et veni in mundum et vado ad Patrem*" (Ioan. 16, 27. 28.), a Patre missus est, eum testem habet, voluntatem eius facit: „*Pater misit me; et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me*" (Ioan. 5, 37.); „*ego veni in nomine Patris mei*" (Ib. 43.). „*Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Haec est autem voluntas eius, qui misit me, Patris . . .*" (6, 39. ss.); denique Filius Patrem rogat, ut ab eo clarificetur, discipuli serventur etc.: „*Clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te . . . Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi . . . Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos . . . Non rogo, ut eos tollas de mundo, sed ut serves eos a malo*" (Ib. 17, 15.).

2) *Spiritus Sanctus tum ut distinctus a Patre et Filio tum ut Deus exhibetur.* — Cum haec assertio inferius ex professo demonstranda sit, obvia solum rei probatio hic sufficit. Itaque:

7. a) Spiritus Sanctus *ut distinctus a Patre et Filio* exhibetur. Etenim *primo* in scriptura N. T. Spiritus Sanctus saepenumero cum Patre et Filio vel uno ex ambobus connumeratur et tamquam tertius a primo et secundo discernitur. Ita in baptismate Christi testimonium perhibente Patre de Filio Spiritus Sanctus corporali specie apparuit distinctus ab utroque (Matth. 3. 16. 17.). *Praeterea* imprimis ipse Christus Dominus in ultima coena doctrinam de Spiritu Sancto declarans eundem constanter exhibet tamquam alium paracletum, qui a Patre procedat, a Filio accipiat, quem Pater mittat in nomine Filii, quem Filius mittat a Patre: „*Ego rogabo Patrem et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum . . . Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*" (Ioan. 14, 16. 26.). „*Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*" (Ib. 15, 16.). Iamvero, qui paraclitus alius a Patre et Filio est, qui ab iis mittitur et procedit, manifesto ab iis realiter distinctus est, cum nemo sane a semetipso procedere vel mitti dici possit. Apposite igitur in hanc scripturae doctrinam *Athanasius* contra Sabellianos: „Cum de se Filius loquitur, *ego* inquit; cum de Patre, *ille* dicit; cum de Spiritu Sancto, *alium* subiungit. Cur non igitur manifestae defectionis et apostasiae crimen sit negare tria et illum, qui ista locutus est, unum solum dicere." Et *Basilius*: „Nonne palam imprudens es, cum audis *ego* de Filio, *ille* de Patre, *alius* de Spiritu Sancto et omnia tu misces, et omnia confundis et uni rei omnes appellationes attribuis" (Serm. cont. Sabellianos et Arianos.).

8. b) Spiritus Sanctus item clare tamquam *Deus verus* exhibetur. Et *primo* quidem disertis verbis Deus in proprio sensu dicitur, ut Act. 5. 3. 4.: „*Anania, cur Satanas tentavit cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto! . . . Non es*

mentitus hominibus, sed Deo": et 1. Cor. 3. 16.: "*Nescitis, quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis?*" Cf. ib. 6. 19. 20.; 12. 4. 5. 6. — *Secundo* attributa Deo soli propria Spiritui Sancto adscribuntur: est ipsa veritas sive "*spiritus veritatis, qui docet omnem veritatem . . . alius paraclitus, qui maneat cum Apostolis in aeternum, Spiritus veritatis*" (Ioan. 12. 16. 26.: 16. 13.). Sicut Verbum dicitur esse apud Deum, ita Spiritus in Deo et ex Deo esse declaratur (1. Cor. 2. 10—12.). Et sicut Pater et Filius, ita et Spiritus Sanctus in iustis inhabitare dicitur: "*Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri*" (1. Cor. 6. 19. cf. 2. Cor. 6, 16.). — *Denique* operationes essentialiter divinae imprimis supernaturales ordinis gratiae et charismatum Spiritui Sancto attribuuntur, ut v. g.: scrutatio et revelatio mysteriorum Dei: "*Nobis Deus revelavit per Spiritum suum; Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei*" (1. Cor. 2. 10. ss.): inspiratio prophetarum: "*Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (2. Pet. 1, 21.): praedictio futurorum (1. Pet. 1, 11.); electio praeconum evangelicorum (Act. 13, 4.): remissio peccatorum (Ioan. 20. 22.): donum linguarum (Act. 2, 4.): generatim omnia dona et charismata supernaturalia (1. Cor. 12. 3. ss. Heb. 2. 4.). Imo vero et incarnatio et missio et sanctificatio Christi secundum humanam naturam et operationes eiusdem miraculosae Spiritui Sancto adscribuntur (Luc. 1, 35.; 4, 18.: 12, 28.): atque hac ratione Christus Filius sicut Patre, ita et Spiritu Sancto se minorem (scilicet spectata natura humana) esse confitetur: "*Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei*" (Matth. 12. 28. ss.). Merito igitur animadvertit *Cardinalis Franzelin*: "Divinitas Spiritus Sancti tam evidenter declaratur in universa doctrina revelata, ut nisi distinctio a Patre et Filio aeque esset expressa, Deum absolute spectatum vel, quod perinde fere est, attributum divinum in scripturis hoc nomine designari nemo non pro certo haberet. Nomina ipsa

Spiritus Dei, Spiritus Patris, Spiritus veritatis, qui a Patre procedit, non possunt significare aliud quam Deum“ (Thes. II, n. II. 2.).

9. **2. *Ex forma baptismi.*** — Quod fidem SS. Trinitatis demonstrandam et explicandam attinet, praecipuae gravitatis est forma baptismi, quam ipse Christus Dominus proposuit. Cum enim baptismus sacramentum fidei sit, quo omnes initiandi et ecclesiae aggregandi sunt, veritas per ipsam huius sacramenti formam expressa sane fundamentale christianae religionis dogma atque tessera fidei est. Porro per hanc formam mysterium SS. Trinitatis clare exprimitur, ut vel ipsis verbis obiter inspectis patet: „*Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti:* εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος“ (Matth. 28. 19.). Sed ut res in sua luce ponatur, quatuor singillatim consideranda sunt:

10. 1) *Tres illi: Pater, Filius, Spiritus Sanctus, in quorum nomine baptismus confertur, manifesto personae sunt.* — Etenim *primo* nomina Patris et Filii rationem nominum personalium evidenter prae se ferunt: ergo etiam tertius, qui cum iisdem connumeratur iisque aequiparatur, Spiritus Sanctus scilicet, persona est. *Praeterea* idem ex termino ***in nomine*** cum quo illi tres coniunguntur, clare patet: nam ex usu communi loquendi ille terminus nunquam cum re ulla impersonali, sed semper cum persona aliqua coniungitur: cuius usus ratio in ipsa termini signifiatione continetur, utpote qui idem dicit ac: *Ex mandato vel in auctoritate;* quod de re impersonali sane dici nequit.

11. 2) *Pater et Filius et Spiritus Sanctus tres personae ab invicem realiter distinctae sunt.* — Revera *primo* id intelligitur ex ipsa constructione sententiae i. e. ex repetitione articuli: εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος ἁγίου. Etenim in idiomate graeco tum ex usu communi tum imprimis spectato usu scripturae N. T. articulus non repetitur, quando unius personae praedicata vel apposita copulantur, ut v. g.: „*Benedictus Deus et Pater Domini*

nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis: Εὐλογητὸς ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν καὶ θεὸς πάσης παρακλήσεως" (2. Cor. 1, 3.). „*Ipse autem Deus et Pater noster, et Dominus noster Iesus Christus dirigat viam nostram ad vos:* Αὐτὸς δὲ ὁ θεὸς καὶ πατὴρ ἡμῶν καὶ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς κατευθύναι τὴν ὁδὸν ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς" (1. Thessal. 3, 11.; cf. Tit. 2, 13.; Eph. 1, 3.; Phil. 4, 20.; Col. 2, 2.; 3. 17.; 2. Thessal. 2, 16.; 1. Tim. 1, 17.). — *Secundo* idem manifestum est ex nominibus ipsis *Pater* et *Filius*. Haec enim nomina ad se invicem dicuntur, ut Pater sit ipsius Filii, et Filius sit ipsius Patris; nemo vero sui ipsius vel Filius vel Pater est. Neque fingi potest unam et eandem personam sub alio et alio respectu dici posse Patrem et Filium; etenim Deus Filius praecise Filius dici nequit ad extra, sed tantum ad intra ideoque nonnisi ad Deum Patrem Filius dici potest. Cum vero Pater et Filius personae sint distinctae, iam nulla dubitatio esse potest, idem dicendum esse de tertio, scilicet de Spiritu Sancto, utpote qui cum duobus illis sub eadem omnino forma connumeratur et aequiparatur.

3) *Hae tres personae: Pater, Filius, Spiritus Sanctus* 12
verus Deus sunt. — Quod duplici ratione manifestum est. Et *primo* quidem per baptismum regeneramur, a peccato mundamur, sanctificamur: „*Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vitae aeternae*" (Tit. 3, 5.). Iamvero in nomine alicuius baptizari idem est ac auctoritate et virtute eiusdem baptizari. Cum igitur solus Deus auctoritatem et virtutem habeat a peccatis mundandi et sanctificandi, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, in quorum nomine baptismus, sacramentum regenerationis et iustifiationis confertur, verus Deus sunt.

Praeterea baptizari in nomen (εἰς ὄνομα) alicuius est 13
eidem consecrari et devoveri ut obiectum cultus; „*Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem . . . ita et*

vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro" (Rom. 6. 3. 13.). „*Unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephae: ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? Aut in nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Caium, ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis*" (1. Cor. 1, 12. ss.). „*Omnes enim filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Iesu. Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis*" (Gal. 3. 26.). „*Ut illam* (ecclesiam) *sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam*" (Eph. 5. 26. 27.). Atqui tum ex ratione tum ex revelatione homo, utpote ens rationale, penitus consecrari et devoveri non potest, nisi soli Deo. Ergo tres illae personae: Pater, Filius, Spiritus Sanctus, in quorum nomine baptismus confertur et quibus homo consequenter consecratur et devovetur, verus Deus sunt.

14. *Confirmatur* intellectu catholico vel traditione, quae cum in interpretanda scriptura tamquam norma sequenda sit, divinitatem trium personarum in forma baptismi expressam vidit. Ita v. g. *Didymus Alexandrinus*: „Quis non ex ipsa cogetur veritate, suscipere indifferentiam (aequalitatem personarum) sanctae Trinitatis, dum una sit fides in Patre et Filio et Spiritu Sancto, et lavacrum detur, atque firmetur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti?" (De Spiritu Sancto l. 2.). Et *Faustinus*: „Nunquam praeciperet Dominus, ut in creaturae nomine aliquis baptizaretur. Multum enim divinae potentiae derogaretur, si cum confessione divini nominis par quoque creaturae confessio poneretur" (Lib. c. Arianos, in fine). Et *Augustinus*: „Domine Deus noster, credimus in Te, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Neque enim diceret Veritas: Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, nisi Trinitas esses. Nec baptizari nos iuberes, Domine Deus, in eius nomine, qui non est Dominus Deus" (De Trinit. l. 15. c. 51.).

4) *Tres illae personae unus Deus sunt sive unam nu-* 15.
mero naturam divinam habent. — Unitas naturae in forma baptismi non quidem tam directe et diserte, quam personarum distinctio, declaratur, sed considerato usu loquendi scripturae sufficienter indicatur. Nimirum nomen Dei in scriptura significare solet ipsum numen divinum, tum quatenus specialibus efficientiis se manifestat et v. g. speciali protectione et auxilio nobis succurrit, tum quatenus obiectum cultus nostri est. Quod facile patet his similibusve testimoniis: *Locum, quem elegerit Dominus Deus vester, ut ponat nomen suum ibi et habitet in eo*" (Deut. 12. 5.). „*Nisi timueris nomen eius gloriosum et terribile, hoc est Dominum Deum tuum*" (Deuter. 28, 58.). „*Qui diligunt nomen tuum*" (Ps. 5, 12.). „*Protegat te nomen Dei Iacob . . . in nomine Dei nostri magnificabimur*" (Ps. 19. 2. 6.). „*In nomine sancto eius speravimus*". „*Nomen Domini spes eius*" (Ps. 32, 21.; 39, 5.). Itaque hoc usu loquendi spectato dicendum est nomen Dei in forma baptismi positum intelligi auctoritatem et virtutem Dei, a qua efficacia baptismi sanctificatrix procedit et dependet, necnon maiestatem divinam, cui in baptismo consecramur. Ergo cum in forma baptismi numerus singularis non pluralis adhibeatur, i. e. *in nomine* non vero in *nominibus* dicatur, significatur satis clare, unam esse auctoritatem trium, a qua efficacia baptismi est, et unam maiestatem trium, cui ut vero Deo et obiecto cultus consecramur. Atqui una auctoritas et virtus atque una maiestas unitatem naturae supponunt. Ergo tres illae personae unus natura Deus sunt.

Confirmatur, quia in pluribus scripturae locis, ubi non 16.
erat forma baptismi exprimenda, sed tantum ipsa res eiusque dignitas significanda, una solum persona Christi nominatur, in cuius nomine vel in quam fideles baptizari dicuntur: „*Baptizati sunt in nomine Domini Iesu*" (Act. 19, 5.; 8, 16.; 2, 38; 10. 48.). „*Omnes enim Filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Iesu; quicunque enim in Christo*: εἰς Χριστόν *baptizati estis, Christum induistis*" (1. Cor. 1. 12.).

Confirmatur ex traditione. Etenim SS. Patres eadem 17.
ratione terminum *in nomine* acceperunt. Ita v. g. *Hierony-*

mus: „Quorum una divinitas, una largitio, nomenque Trinitatis, unus Deus est“ (In Matth. 28, 19.). Et *Ambrosius*: „*In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Tres personas quidem significavit, sed unum Trinitatis nomen asseruit: unus itaque Deus, unum nomen, una maiestas“ (De instit. virg. c. 10. n. 67.). *Pelagius I*: „In nomine, non nominibus, ut et unum Deum per indistinctum divinae essentiae nomen ostenderet et personarum distinctionem suis demonstratam proprietatibus edoceret, quia, dum tribus unum Deitatis nomen est, aequalitas ostenditur personarum, et rursus aequalitas personarum nihil extraneum nihil accedens in eis permittit intelligi“ (Ep. ad Childeb. reg.). *Faustinus*: „Et bene quod unum nomen posuit dicens: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, ut una principalis auctoritas crederetur indivisibilis et perfectae Trinitatis“ (L. c.). *Augustinus*: „*In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Iste unus Deus est, quia non in nominibus Patris et Filii et Spiritus Sancti, sed in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ubi unum nomen audis, unus Deus est“ (In Ioan. tr. 6. n. 9.). Et *Fulgentius*: „Ista Trinitas unus Dominus Deus est, de quo dicitur: *audi Israel, Dominus Deus tuus Dominus unus est*: et: *Dominum Deum adorabis et illi soli servies* (Deut. 6, 4.). Huic Domino etiam Isaias propheta dicit: *Domine, praeter te alium non novimus, nomen tuum nominamus* (Is. 26, 13. sec. 70.). Hoc autem nomen Salvator ostendit, dicens discipulis suis: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (Matth. 28.). Istud est nomen Domini, praeter quem alium non novimus . . . In Patre ergo et Filio et Spiritu Sancto unitatem substantiae accipimus, personas confundere non audemus“ (Respons. ad obiect. Arian. 10.). Denique *Patres Concilii Constantinopolitani I.* in synodica epistola ad occidentales: „Fidem nostram consentaneam baptismo docere nos credere in nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti, nempe ut divinitas et virtus et substantia una Patris et Filii et Spiritus Sancti credatur“ (Ap. *Theodoret.*, hist. eccl. l. 5. c. 9.).

3. Ex verbis Christi: „Ego et Pater unum sumus“ (Ioan. 10, 30.). — Quemadmodum ex priore textu magis distinctio personarum manifesta est, ita hoc testimonio magis aequalitas et unitas naturae inter Patrem et Filium inculcari videtur. Porro Patrem et Filium, de quibus in tota illa oratione agitur, personas esse, demonstratione longiore non indiget, cum id ex ipsis nominibus adhibitis: Pater, Filius, ego, ille etc. prorsus manifestum sit, utpote quae omnino nomina personalia sunt. Praeterea etiam manifestum est, Patrem de quo agitur, verum Deum esse, cum id tota oratio clare supponat et declaret. Restat igitur, ut demonstretur *primo*: Patrem et Filium esse personas distinctas: *secundo*: Filium (Christum) habere aequalem et eandem cum Patre naturam divinam: quorum assertorum primum sine negotio conficitur, alterum vero accuratiore probatione indiget. 18.

1) *Pater et Filius personae distinctae sunt.* — Et *primo* quidem id patet ex ipso numero plurali *sumus* in ipsis verbis: *Ego et Pater unum sumus* adhibito: hic enim numerus pluralis necessario pluralitem personarum distinctarum exprimit. — *Secundo* idem manifestum est ex ipsis nominibus Patris et Filii adhibitis. Christus enim non de se ut Patre et Filio sub alio et alio respectu, sed de se et Patre suo loquitur; nemo autem suus Pater est. — Denique *tertio* Christus se cum Patre suo tamquam alium cum alio comparat ac se ab ipso contradistinguit, ut clare ostendunt e. c. haec verba: *„Hoc mandatum accepi a Patre meo“* (v. 18.): *„opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me“* (v. 25.); *„Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est“* (v. 29.); *„Quem Pater sanctificavit et misit in mundum“* (v. 36.). 19.

2) *Filius aequalem et eandem cum Patre naturam divinam habet.* — Quae assertio evincitur tripliciter: *primo* ex verbis Christi in se inspectis, *secundo* ex iisdem verbis in contextu consideratis, *tertio* ex adiunctis sermonis: 20.

a) *Ex verbis Christi in se inspectis.* Ad quae perspicienda tria consideranda sunt: *Primo* fas non est sine gravissima ratione a proprio et obvio verborum sensu recedere:

iamvero proprius et obvius eorundem verborum sensus facile patet consideranti, et verbum substantivum *esse*, et dictionem *unum* nativa significatione ad essentiam vel naturam pertinere; alius igitur sensus proprius et obvius non est nisi: Patris et Filii una est eademque natura. Apposite *S. Thomas*: „Unum dicitur sicut ens: unde sicut aliquid non dicitur ens simpliciter nisi secundum substantiam, ita nec unum nisi secundum substantiam vel naturam. Simpliciter autem aliquid dicitur, quod nullo addito dicitur. Quia ergo hoc simpliciter dicitur: *Ego et Pater unum sumus*, nullo alio addito, manifestum est, quod sunt unum secundum substantiam et naturam. Nunquam autem invenitur, quod Deus et creatura sint unum sine aliquo addito, sicut illud 1. Cor. 6, 17.: *Qui adhaeret Deo, unus spiritus est*" (In h. l. lect. 5.). Et *Augustinus* adversarios divinitatis Christi ita perstringit: „Puto, quod et vos, a quocunque hoc audiatis, horrescitis nec fertis quemquam hominem, quantolibet munere sanctitatis excellat, dicentem: Ego et Deus unum sumus" (cont. Maximin. 2, 22.). — *Secundo* eundem sensum postulat ratio subiecti. de quo agitur, scilicet Pater et Filius sive genitor et genitus. Si enim hi unum dicuntur, ipsa rei natura postulat, ut primo loco essentiae naturaeque unitas concipiatur: cum enim generatio sit origo viventis a vivente coniuncto in similitudinem naturae, filius originaliter et necessario eandem cum Patre naturam habet. — *Tertio* denique eundem sensum commendat vel postulat observatio aliqua *Augustini* de modo loquendi ipsius scripturae: animadvertit scilicet, a scriptura nunquam duo vel plura simpliciter unum dici. nisi eandem naturam habeant: „Nescio, utrum inveniatur in scripturis dictum: *unum sunt*, quorum est diversa natura. Si autem aliqua plura eiusdem naturae sint et diversa sentiant, non sunt unum in quantum diversa sentiunt. Nam si iam unum essent ex eo, quod homines erant, non diceret: *Ut sint unum sicut nos unum* (Ib. 17, 22.). cum suos discipulos Patri commendaret. At vero Paulus et Apollo, quia et ambo homines et idem sentiebant: *Qui plantat*, inquit, *et qui rigat, unum sunt* (1. Cor. 3, 8.). Cum ergo sic dicitur unum, ut

non addatur quid unum, et plura unum dicantur, eadem natura atque essentia, non dissidens nec dissentiens significatur. Cum vero additur quid unum, potest aliquid significari ex pluribus unum factum, quamvis diversis natura. Sicut anima et corpus non sunt utique unum; quid enim tam diversum? nisi addatur aut subintelligatur quid unum, id est, unus homo aut unum animal. Inde Apostolus: *Qui adhaeret meretrici*, inquit, ***unum corpus est;*** non dixit: unum sunt, aut: unum est; sed addidit corpus, tamquam ex duobus diversis masculino et feminino unum corpus adiunctione compositum. Et, ***qui adhaeret Domino***, inquit, ***unus spiritus est*** (1. Cor. 6, 16.); non dixit: qui adhaeret Domino, unus est, aut unum sunt, sed addidit, *spiritus*. Diversi sunt enim natura spiritus hominis et spiritus Dei; sed inhaerendo fit unus spiritus ex diversis duobus, ita ut sine humano spiritu beatus sit Dei spiritus atque perfectus, beatus autem hominis spiritus non nisi cum Deo. Nec frustra, ut existimo, cum tanta in evangelio secundum Joannem et toties diceret Dominus de ipsa unitate vel sua cum Patre, vel nostra invicem nobiscum: nusquam dixit: Ut nos et ipsi unum, sed ***ut unum sint, sicut et nos unum sumus.*** (Ioan. 17, 20.). Pater ergo et Filius unum sunt, utique secundum unitatem substantiae, et unus Deus est, et unus magnus et unus sapiens, sicut tractatum est" (De Trinit. l. 6. c 3.).

b) *Idem sensus ex contextu clare eruitur.* Et *primo* **21.**
quidem spectanda est ratio argumentandi, quam Christus contra Iudaeos adhibet; nimirum demonstraturus oves suas non perituras esse in aeternum ac neminem eas sibi eripere valere hoc argumento utitur: *„Pater meus, quod (qui) dedit mihi, majus (maior) omnibus est, et nemo potest eas rapere de manu Patris mei;"* atqui ego et Pater unum sumus. Ergo nemo rapiet eas de manu mea. Iamvero haec illatio eatenus sibi constat, quatenus per terminum *unum* directe unitas potentiae aut unitas naturae, cum qua sola essentialiter connexa est unitas potentiae, exprimitur. Ergo Christus sibi directe unitatem potentiae et indirecte unitatem naturae aut directe unitatem naturae cum Patre adscribit. — *Neque dici potest* argumentum etiam tum firmum esse, si per terminum *unum*

unitas moralis consensionis, voluntatis, studiorum etc. exprimatur. Recte enim de hac exceptione notat *Maldonatus*: „Quod quidam respondere solent etiam ex voluntatum concordia idem probari posse, quia cum Pater idem, quod Filius velit, nunquam permittet, ut quisquam de Filii manu oves rapiat, ex alio loco refutatur: *Quos dedisti mihi custodivi et non periit ex iis quisquam, nisi Filius perditionis* (17, 20.); ubi non Patris auxilio, sed suae potentiae tribuit, quod nemo de manu sua oves rapuerit. Non ergo hoc loco propter Patris auxilium, sed propter suam ipsius potentiam, quae potentiae Patris aequalis sit, probat neminem de manu sua posse oves rapere." (In h. l.) — *Item* ex versu immediate praecedenti, scil. 28: *Et ego vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu mea*, patet, Christum verbis: *ego et Pater unum sumus*, non auxilii a Patre sibi impensi, sed suae efficientiae et potentiae rationem reddere. — *Denique* ex toto nexu et progressu orationis idem sic ostendere conatur *Chrysostomus*: „Postquam dixerat: *nemo rapiet eas de manu mea*, pergit ostendens suam et patris manum unam esse. Nisi enim hoc ita esset, nexus sermonis postulasset, ut diceret: *Pater, qui dedit mihi, major omnibus est*, et nemo potest eas rapere de manu mea. Verum non ita dixit, sed *de manu Patris mei*. Deinde ne putes, ipsum esse infirmum, sed per Patris potentiam oves in tuto esse, subdidit: *ego et Pater unum sumus*. Quasi diceret: non ideo dixi, ob Patris potentiam nemo eas rapiet, quod ego infirmus sim ad oves servandas; ego enim et Pater unum sumus: videlicet secundum potentiam: de hac enim totus eius sermo erat. Si autem eadem est potentia, palam est, eandem esse essentiam. . . . Si autem nemo raperet, quia Pater eum confortasset, superfluum fuisset addere: *ego et Pater unum sumus*. Nam si ipse minor esset, magnae temeritatis esset hoc dictum." (Hom. 61. al. 60. in Joan. n. 2.).

22. *Notandum hic est*, duplicem esse lectionem v. 29.: ὁ πατήρ μου, ὃ δέδωκέν μοι πάντων μεῖζόν ἐστι et ὁ πατήρ μου, ὃς δέδωκέν μοι, πάντων μείζων ἐστίν.; sed merito prior lectio a criticis praefertur. (cf. *Knabenbauer* in

h. l). Quidquid autem est, argumentum supra factum in utraque lectione sibi constare intelligitur; solum in priore lectione adhuc altero modo unitas naturae Filii cum Patre enuntiata esse conspicitur, cum illud ὃ δέδωκέν μοι πάντων μεῖζόν ἐστι a plerisque de natura divina a Patre Filio communicata intelligatur.

c) Verba Christi: *Ego et Pater unum sumus,* de essentiae vel naturae unitate sumenda esse, etiam *ex adiunctis sermonis manifesto constat.* Etenim *primo* Christi argumento audito *sustulerunt lapides Iudaei, ut lapidarent eum,* quia videlicet blasphemiae reum Christum ducebant. *Quia tu,* aiebant, *homo cum sis, facis teipsum Deum.* Apposite *Augustinus*: „Ecce Iudaei intellexerunt, quod non intelligunt Ariani. Ideo enim irati sunt, quoniam senserunt, non posse dici: Ego et Pater unum sumus, nisi ubi aequalitas est Patris et Filii“ (Tract. 48. in Ioan. n. 8.). **23.**

Secundo vero ipse Christus Iudaeorum acceptionem non corrigit, sed potius argumento a minori ad maius confirmat. Videri quidem posset, Christum Iudaeorum acceptionem correxisse verbis: „*Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi, dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi scriptura, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* Scilicet haec in hunc sensum accipienda esse videri possent: Si homines Dei auctoritate iudicis munere fungentes dii vocari possunt, etiam ego, merus homo quidem, sed Dei Patris tamen legatus existens, merito Filium Dei me dicere possum. Verum non ita est, sed Christus recte se locutum esse, argumento a minori ad maius probat hunc in modum: In scripturis iudices potestate legitima a Deo investiti dii vocantur; ergo cum legatus Patris ipsiusque Filius sim, iniuria plane dicitis: *Quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum.* Scilicet unum idemque Christo est: *Ego et Pater unum sumus* et *Filius Dei sum*; haec autem eatenus tantum identica sunt, quatenus filiationem naturalem sibi tribuit, quae est naturae unitas per aeternam generationem accepta. Ergo **24.**

tantum abest, ut neget se *facere seipsum Deum*, ut argumento a minori ad maius id iterum potius affirmet. Tantum comparatione usus est et mitius loquens se non clare Deum, sed Filium Dei dixit, ut Iudaeorum furorem aliquantum sedaret. Apposite *Augustinus:* „Dominus autem videte, quid responderit tardis. Vidit eos non ferre splendorem veritatis, et eum temperavit in verbis . . . Si sermo Dei factus est ad homines, ut dicerentur dii, ipsum Verbum Dei, quod est apud Deum, quomodo non est Deus? Si per sermonem Dei fiunt homines dii, si participando fiunt Dii; unde participant, non est Deus? Si lumina illuminata dii sunt, lumen quod illuminat, non est Deus? Si calefacti quodam modo igne salutari dii efficiuntur, unde calefiunt non est Deus?" (l. c. n. 9.). Et *Chrysostomus*: „Quod legem non solvat, tot rationibus excusat. Opinionem autem aequalitatis ad Patrem non modo non tollit, sed confirmat: et dicentibus illis: „*Blasphemas, quia te Deum facis*, ex operibus aequalitatem demonstravit . . . Id est, si ii, qui per gratiam hoc acceperunt, non accusantur, cum se deos vocant, qui ex natura sua hoc habet, quo iure increpetur? Verum non ita dixit, sed demum ita probavit, postquam demissius locutus est his verbis: *quem Pater sanctificavit et misit*, et postquam illorum furorem sedavit, tunc claram affert demonstrationem, interim vero, ut admitteretur id, quod dicebat, humilius locutus est" (In h. l.).

25. *Tertio* Christus deinde veritatem suae assertionis ex operibus suis confirmat et alio termino adhibito iterum inculcat. Confirmat, ut *Chrysostomus* declarat: „Demum ad majora ipsos adducit dicens: „*Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio et si mihi non creditis, operibus meis credite.*" Vides quomodo probet, ut dixi, se Patri in nullo inferiorem esse, sed aequalem omnino? Quia enim non poterat substantia ipsius videri, ab operum aequalitate et identitate aequalis potestatis demonstrationem affert" (Ibid.). Iterum inculcat verbis modo relatis: . . . *operibus credite* subnectens: *ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre.* His verbis Christus aperte sibi unitatem singularitatis essentiae vel naturae cum Patre tribuit; nulla enim

alia sive specifica sive moralis hoc termino exprimi potest. Merito enim in haec verba *Augustinus:* „Non sic dicit Filius in me est Pater, et ego in illo, quomodo possunt homines dicere. Si enim bene cogitemus, in Deo sumus; et si bene vivamus, Deus in nobis est: fideles participantes eius gratiam illuminati ab ipso, in illo sumus et ipse in nobis. Sed non sic unigenitus Filius: ille in Patre et Pater in illo tamquam aequalis in eo, cui est aequalis. Denique nos aliquando possumus dicere: In Deo sumus et Deus in nobis: Ego et Deus unum sumus, numquid possumus dicere? In Deo es, quia Deus te continet: Deus est in te, quia templum Dei factus es: sed numquid, quia in Deo es et Deus est in te, potes dicere: Qui me videt, Deum videt, quomodo Unigenitus dixit: *Qui me vidit, vidit et Patrem* (Ioan. 14. 9.) et: *Ego et Pater unum sumus?* Agnosce proprium Domini, et munus servi. Proprium Domino est aequalitas Patris: munus servi est participatio Salvatoris." (L. c. n. 10.). Itaque tota expositione patet, quatuor propositiones a Christo identicas sumi ita, ut unam pro altera substituat: *Ego et Pater unum sumus — Deus sum — Filius Dei sum — Pater in me est et ego in Patre;* hae vero assertiones eatenus tantum identicae sunt, quatenus unitas, quam inter Patrem et se asserit, unitas essentiae et naturae est; ergo reipsa unam cum Patre essentiam et naturam habet. — *Confirmatur*, quia ita sane Iudaei intellexerunt, utpote qui ad argumenti genus sibi consuetum, sc. apertam vim et violentiam redierunt: „*Quaerebant ergo eum apprehendere et exivit de manibus eorum.*" — Iam etiam intelligitur, quo sensu Christus dixerit: *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum;* scilicet *sanctificavit* ad generationem aeternam, *misit* ad generationem temporalem ex B. V. referendum esse videtur. Accommodate *Augustinus*: „Sic sanctificavit, quomodo genuit. Ut enim sanctus esset, gignendo ei dedit, quia sanctum eum genuit" (L. c. n. 9.).

Exceperunt Ariani contra argumentum factum imprimis ex Ioan. 17, 11. 21. ss., quibus unitas inter Patrem et Filium velut exemplar unitatis proponitur, qua inter se Christiani colligati esse debent: „*Ut unum sint, sicut nos; ut omnes* 26

unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te; ut unum sint, sicut nos unum sumus." Scilicet hinc tale argumentum deprompserunt: Qualis debet esse unitas inter Christianos, talis est inter Patrem et Filium; haec enim illius exemplar est. Atqui unitas inter Christianos nonnisi moralis esse potest. Ergo etiam unitas inter Patrem et Filium tantum moralis est. — R. Argumentum istud non solum inefficax, sed absonum esse facile elucet, his consideratis: *Primo* aliud est quaerere, quaenam unitas inter Patrem et Filium reipsa vigeat, et aliud est inquirere, num tota ea unitas in determinato textu scripturae asseratur. *Praeterea* unitas moralis vel consensionis sane unitatem essentiae non excludit, imo per unitatem essentiae efficitur, ut unitas moralis consensionis perfecta demum et absoluta sit. (cf. Ioan. 10, 30.) *Denique* sicut ex eo, quod sanctitas divina tamquam exemplar nostrae sanctitatis proponitur, recte quidem colligitur, illam perfectam et supremam esse, non autem eam in eodem ordine cum nostra contineri; ita ex verbis obiectis constat quidem, unitatem inter Patrem et Filium tamquam normam unioni Christianorum praelucere debere; illam cum hac eiusdem penitus ordinis et indolis esse nullo pacto consequitur.

27. Denique *duo in fine huius demonstrationis notanda sunt. Primo* ex testimonio explicato directe quidem nonnisi Patris et Filii unitas naturae habetur, sed recte infertur, etiam Spiritum Sanctum cum ambobus unum esse, quia scriptura auctore tum cum illis connumeratur et in eodem gradu habetur, tum eandem unitatis rationem habet scilicet processionem ex substantia Patris et Filii infra probandam. *Secundo* unitas naturae et distinctio personalis inter Patrem et Filium aperte traditur etiam Ioan. 1, 1. 2. coll. ss. Cum circa hunc textum eaedem fere ac in praecedente expositione considerationes instituendae sint, longum et supervacaneum est propriam ex hoc textu demonstrationem instituere; conferatur *Franzelin*, th. 3. n. III.

28. ***4. Ex pluribus aliis testimoniis.*** — Postquam aliqua Scripturae N. T. testimonia de SS. Trinitate accuratius considerata et explicata sunt, etiam in pluribus aliis uni-

tatem naturae et personarum trinitatem vel aperte doceri vel saltem indicari facile iam intelligitur; quare satis erit ex reliquis quaedam eligere atque hic proponere subiectis tantum aliquibus brevibus adnotationibus. Imprimis autem animadvertendum est, tunc maxime mysterium SS. Trinitatis proponi, quando insignia nostrae redemptionis opera referuntur vel de fundamentis vitae christianae agitur.

1) In *annuntiatione nativitatis D. N.* sive *in ipsa Verbi* 29.
incarnatione Angelus Beatam Virginem ita salutat: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei*" (Luc. 1, 35.). In qua salutatione Deus Pater exhibetur sub nomine Altissimi, ut etiam patet ex v. 32: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur;* Deus Filius nasciturus annuntiatur; Spiritui Sancto effectio incarnationis adscribitur, cum Beatae Virgini supervenire dicatur necnon nomine *virtutis Altissimi* eidem obumbrantis exhiberi videatur.

2) In *baptismo Christi atque initio vitae publicae* iterum 30
SS. Trinitas manifestatur: „*Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua et ecce aperti sunt ei coeli; et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se. Et ecce vox de coelo dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*" (Matth. 3, 16). In hoc textu iterum tres personae distinctae exhibentur et duae ad invicem referuntur: Pater, qui loquitur, et Filius, cui Pater testimonium exhibet: Spiritus Dei (vel ut Lucas 3, 22. habet: Spiritus Sanctus) super Christum sub columbae specie apparet.

3) *E mortali vita migraturus in oratione ultimae* 31
coenae Christus D. hoc mysterium iterum iterumque docet atque inculcat: „*Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit*" (Ioan. 14, 15. ss.). „*Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia,*

quaecunque dixero vobis" (Ib. v. 25. ss.). „*Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*" (Ib. 25. 26.). „*Sed ego veritatem dico vobis: expedit enim vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato et de iustitia, et de iudicio: de peccato quidem, quia non crediderunt in me; de iustitia vero, quia ad Patrem vado, et iam non videbitis me; de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est*" (Ib. 16, 7. ss.). „*Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur a semetipso; sed quaecunque audiet, loquetur, et quae ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet et annuntiabit vobis*" (Ib. v. 13. ss.). In quibus testimoniis manifesto exhibetur tum unitas naturae divinae, tum distinctio personarum, tum originis ordo inter singulas personas.

32. 4. Apostolus in 1. ad Corinthios epistola *baptismi sacramentum* tamquam principium novae et sanctioris vitae atque initiationem ad eandem designat, necnon tres personas, in quorum nomine haec initiatio peragitur, satis clare innuit: „*Et haec quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi* (en Filius) *et in Spiritu* (en Spiritus Sanctus) *Dei nostri*" (en Pater) (6, 11.).

33. 5. Pariter in 2. ad Corinthios epistola de *confirmationis sacramento* agens iterum tres personas divinas commemorat: „*Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo* (en Filius) *et qui unxit nos Deus* (En Pater); *qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus* (en Spiritus Sanctus) *in cordibus nostris.*"

34. 6. Iterum idem Apostolus de *donis supernaturalibus* generatim agens trinitatem personarum exhibet: „*Nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu Sancto. Divisiones vero gratiarum* (χαρισμάτων) *sunt, idem autem Spiritus* (en tertia

persona); *et divisiones ministrationum* (διακονιῶν) *sunt, idem autem Dominus* (en secunda persona): *et divisiones operationum* (ἐνεργημάτων) *sunt, idem autem Deus* (en prima persona), *qui operatur omnia in omnibus.*" (1. Cor. 12, 3. ss.) — Quo testimonio Apostolus omnium charismatum vel gratiarum gratis datarum eandem docet esse originem eundemque finem, videlicet unum eundemque Deum. Simul vero tria distinguit illarum gratiarum genera et unumquodque eorum uni singulari personae divinae appropriat: primo, quae magis proprie gratiae gratis datae vel charismata dicuntur, Spiritui (i. e. Sancto); secundo ministrationes sive diversa in ecclesia officia Domino (i. e. Filio); tertio operationes i. e. miracula vel, ut *S. Thomas* (2. 2. q. 171. in prooemio) explicat, studia diversa operationum sive vitae activae sive contemplativae: Deo (i. e. Patri). Tres igitur in Deo personae esse exhibentur, cum effectus vel dona, de quibus sermo est, tantum a Deo emanare possint.

7. Fides in trinitatem personarum divinarum apparet **35.**
etiam *in salutationibus Apostolorum scripto fidelibus transmissis:* „*Gratia Domini nostri Iesu Christi* (Filii) *et caritas Dei* (Patris) *et communicatio Sancti Spiritus* (tertiae personae) *sit cum omnibus vobis.*" (2. Cor. 13, 13.) In quae verba *S. Thomas:* „Gratia Christi, qua iustificamur et salvamur, caritas Dei Patris, qua sibi unimur, communicatio Sancti Spiritus divina nobis dona distribuentis." (In h. l.) Ut S. Paulus epistolam modo citatam cum professione Trinitatis concludit, ita S. Petrus primam suam epistolam cum eadem exorditur: „*Petrus, Apostolus Iesu Christi, electis advenis dispersionis secundum praescientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam et aspersionem sanguinis Iesu Christi; Gratia vobis et pax multiplicetur*" (1. Pet. 1, 1. 2.). Quibus verbis sane *primo* tres personae exhibentur et *secundo* unaquaeque Deus esse implicite saltem affirmatur. Nam tum connumerantur Iesus Christus Filius et Spiritus Sanctus cum Deo Patre, tum singulis iisdem personis opera soli Deo propria tribuuntur: Pater scilicet elegit nos ab aeterno ad fidem et gratiam; Filius Christus suo sanguine effuso nos redemit et sibi reconciliavit; Spiritus Sanctus sua sanctitate communicata nos sanctificavit.

36. 8. Denique huc pertinent *plures alii textus* ex Actibus Apostolorum vel Epistolis apostolicis, in quibus similia testimonia habentur et nominatim declaratur, *Deum Patrem per Filium in Spiritu Sancto operari et omnia dona hominibus largiri: „Hunc Iesum resuscitavit Deus, cuius nos omnes testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus Sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis et auditis. Non enim David ascendit in coelum; dixit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.“* (Act. 2, 32. ss.). *„Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus Sancti. Vobis enim est repromissio et filiis vestris, et omnibus, qui longe sunt, quoscunque advocaverit Dominus Deus noster.“* (Ib. v. 38. ss.) *„Deus Patrum nostrorum suscitavit Iesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. Hunc principem et salvatorem Deus exaltavit dextera sua ad dandam poenitentiam Israeli, et remissionem peccatorum; et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.“* (Ib. 5. 30. ss.). *„Ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari! Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo, Filium Dei esse Iesum Christum. Et iussit stare currum; et descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus, et baptizavit eum. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum Eunuchus.“* (Ib. 8. 35. ss.) *„Deus autem patientiae et solatii det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum; ut unanimes uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Iesu Christi . . Deus autem spei repleat vos omni gaudio, et pace in credendo, ut abundetis in spe, et virtute Spiritus Sancti.“* (Rom. 15. 5. 6. 13.). *„Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tamquam in memoriam vos reducens: propter gratiam, quae data est mihi a Deo, ut sim minister Christi Iesu in gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta, et sanctificata in Spiritu Sancto. Habeo igitur gloriam*

in Christo Iesu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quae per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo et factis: in virtute signorum, et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti." (Rom. 15. 15. ss.). *Obsecro ergo vos, fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, et per caritatem Sancti Spiritus, ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.*" (Ib. 15. 30.) „*Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.*" (Gal. 4. 6.) „*Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus primitias in salutem in sanctificatione Spiritus et in fide veritatis: in qua et vocavit vos per evangelium nostrum in acquisitionem gloriae Domini nostri Iesu Christi.*" (2. Thes. 2. 13.) „*Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei: non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum; ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae.*" (Tit. 3, 4, ss.) „*Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quae cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem.*" (Heb. 2. 3. 4.) „*Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque saeculi venturi, et prolapsi sunt; rursus renovari ad poenitentiam, rursum crucifigentes sibimet ipsi Filium Dei, et ostentui habentes.*" (Ib. 6. 4. n.). „*Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, haereditatem incorruptibilem et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in coelis in vobis . . . De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetae, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt: scrutantes, in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus*

Christi, praenuntians eas quae in Christo sunt passiones, et posteriores glorias: quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea, quae nunc nuntiata sunt vobis per eos, qui evangelizarunt vobis, Spiritu Sancto misso de coelo, in quem desiderant Angeli prospicere." (1. Pet. 1,3. ss.) „*Vos autem, charissimi, memores estote verborum, quae praedicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes. Vos autem charissimi superaedificantes vosmetipsos sanctissimae vestrae fidei, in Spiritu Sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei servate, exspectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam aeternam*" (Iud. 17. ss.)

Scholion.

37. ***1. De commate Ioanneo.*** — Antiquitus theologi imprimis ex 1. Ioan. 5, 7.: „*Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus et hi tres unum sunt*", mysterium SS. Trinitatis demonstrare consueverunt. Et profecto egregium ex hoc textu argumentum derivaretur, si quidem genuinus vel authenticus esset. At vero de genuinitate eiusdem ex tribus iam saeculis celebris controversia agitur, quo denique id effectum est, ut probabilitas genuinitatis ad nihilum fere redacta esse videatur. (*Cf. Cornely*, Introd. III. p. 668. ss.) Quare in dogmaticis demonstrationibus idem textus potius relinquendus est, praesertim quia alii satis multi et clari extant, ex quibus dogma Trinitatis demonstratur et explicetur. Porro, cum tota illa quaestio de genuinitate v. 7. potius ad disciplinam introductionis pertineat, hoc loco praetermitti potest; pauca solum circa eandem notanda sunt, quae momentum dogmaticum habent. Videlicet genuinitas alicuius textus scripturae aut argumentis mere criticohistoricis demonstratur, aut etiam rationibus dogmaticis evincitur aut denique etiam eruitur vel confirmatur rationibus exegeticis vel ex contextu, quatenus hic genuinitate negata corrumperetur i. e. mancus, incongruus, inintelligibilis red-

deretur. Sub triplici igitur repectu quaestio de commate Ioanneo considerari potest: primo sub respectu critico-historico, secundo sub respectu exegetico, tertio sub respectu dogmatico. Iamvero praetermisso respectu tum critico-historico tum exegetico, paucis considerandus est respectus dogmaticus, praesertim quia aliqui theologi recentiores putaverunt argumentis dogmaticis certo genuinitatem demonstrari (*Franzelin* th. 4.), imo vero eam salva fide negari non posse (*Kleutgen* de ipso Deo n. 852). Scilicet in eo excessisse videntur et secure asseri potest, *ex rationibus dogmaticis genuinitatem nequaquam constare*; quod facile patet his rationibus breviter examinatis.

1. *Prima ratio*: „Anathema enim dixit Tridentina synodus 38.
iis, qui libros, quorum canonem retinuit, integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, et in vetere vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperint. Per partes illas non capita tantum sed singulos etiam versiculos, eos saltem, qui doctrinam fidei vel morum continent, intelligi, suo loco demonstrabitur. Non est autem dubium, quin versiculus, de quo quaeritur, tempore concilii Tridentini a multis iam saeculis et in vulgata latina editione legeretur et in tota ecclesia pro genuino haberetur. Non solum enim a doctoribus privatis ad dogma demonstrandum passim adhiberi, sed etiam in publicis documentis (Conc. Lat. 4. cap. damnamus. Corp. Inv. De celebr. Miss. cap. In quadam l. 3. tit. 41. c. 8.) et sacra liturgia ut textus sacer recitari solebat". — Respondetur satis facile: *Primo* concilium Tridentinum, ut ex actis eiusdem constat, illo termino „*cum omnibus suis partibus*" proxime et directe particulas nonnullas Evangeliorum illo tempore reiectas tueri voluit, de nostro autem commate, quamvis tunc iam controverso, non curavit. — Ceterum *secundo* seposito scopo concilii et verbis eiusdem consideratis dicendum est, comma ad substantialem scripturae integritatem non pertinere, qualis a Concilio describitur. Videlicet partes, quae ad scripturam pertinere dicuntur, duabus simul conditionibus insigniantur oportet, primo, prout in ecclesia catholica legi consueverunt; secundo: in vetere vul-

gata editione habentur. Atqui primo in ecclesia catholica legi consuevisse dicendus non est textus, qui ante saeculum 12. in omnibus ecclesiis orientalibus penitus desideratur; secundo in veteri vulgata versione contineri dicendus non est textus, cuius ante medium saeculum 5. in ecclesia latina testimonium nullum exstat, quo post medium saeculum 5. optimi codices carent. Ergo ex decreto concilii Tridentini de genuinitate commatis Ioannei constare immerito et falso dicitur. Et sane decreto Tridentino omnes textus eo usque dubios authenticos declaratos esse, rationabiliter dici nequit. — *Tertio* negandum est, textum unquam ab infallibili magisterio adhibitum esse. Et in cap. *Damnamus* quidem tantum ut obiectio abbatis Ioachim occurrit, quam Patres concilii neglexerunt; in decretali autem Innocentii III. *In quadam* occurrit quidem, sed a Pontifice aliud agente per transennam allegatur, ut ad suum thema, scilicet quid in sequenti versu 8. per terminum *aqua* intelligendum sit, perveniret; eiusmodi vero simplicem allegationem argumentum genuinitatis non esse, nimis manifestum est. — *Quarto* denique usu liturgico genuinitas alicuius textus nequaquam demonstratur. Etenim „liturgicae lectiones ex editionibus vulgatis desumuntur, nec ullum est dubium, quin ante Romanam Vulgatae correctionem velut partes scripturae in lectionibus liturgicis multi adhibiti sint versus, qui a correctoribus romanis utpote verba humana ex editione correcta sunt eiecti. At teste praefatione Vulgatae Clementinae in hodierna nostra Vulgata „sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, quae mutanda videbantur, consulto immutata sunt relicta;" atque primam rationem, cur nonnulla non mutaverint, correctores dicunt fuisse „offensionem populorum vitandam"; res igitur relictae sunt gravioris momenti, ac proin etiam in gravioribus rebus in liturgia verba humana inter textus scripturisticos adhuc legi videntur." (Cornely, l. c.)

39. 2. *Secunda ratio*: Recentissimo tempore in favorem genuinitatis commatis Ioannei adductum est et adduci sane potuit sequens sanctae romanae et universalis inquisitionis decretum: „Feria IV, die 13. Ianuarii 1897. — In congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis habita coram eminentissimis et re-

verendissimis DD. Cardinalibus contra haereticam pravitatem gener. inquisit. proposito: Utrum tuto negari aut saltem in dubium vocari possit, esse authenticum textum S. Ioannis in epistola prima c. 5. v. 7., qui sic se habet: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt?* Omnibus diligentissimo examine perpensis praehabitoque DD. consultorum voto iidem eminentissimi cardinales respondendum mandarunt: negative. Feria vero VI. die 15. eiusdem mensis et anni in solita audientia R. P. D. assessori S. Inquisit. impertita, facta de supradictis accurata relatione SS. D. N. Leoni PP. XIII. Sanctitas sua resolutionem eminentissimorum Patrum approbavit et confirmavit. I. Can. Mancini S. R. et U. I. not." Iamvero hoc decreto totam controversiam de commate Ioanneo in favorem genuinitatis eiusdem decisam esse, aliqui eiusdem defensores opinati sunt et propugnaverunt. Et videri forte posset, merito id affirmari. — R. Attamen dicendum est, eo decreto nequaquam certo de genuinitate constare neque magnum pondus ex eodem sententiae affirmanti accessisse. Nimirum:

a) Cum congregationum Romanarum decreta, nisi spe- **40.**
ciali modo a Romano Pontifice approbata sint, infallibilitate non gaudeant, decreto supradicto, utpote quod generalem tantum approbationem accepit, quaestio de genuinitate commatis Ioannei nequaquam definitive vel infallibiliter dirempta est.

b) Imo vero eodem decreto neque interdicta est a con- **41.**
gregatione ulterior inquisitio critica vel disputatio de illo commate. Cuius rei testis omni exceptione maior est Cardinalis Vaughan, qui de hac re a D. Ward interrogatus respondit, sibi ex certissimis nuntiis constare, congregationi nullo modo fuisse propositum, controversiae supradictae finem imponere ideoque etiam post illud decretum criticis inquisitionibus campum late patere. Cf. Revue biblique 1898. p. 149.

c) Neque tamen ideo eidem decreto omnis sensus vel **42.**
valor denegandus est. Scilicet valor eiusdem in eo invenitur, quod ad providentiam doctrinalem spectare videtur. Vel sensus eius erat, apertam negationem vel dubitationem fuisse temerariam, i. e. cum periculo erroris in fide coniunctam.

cum argumenta contra genuinitatem eo usque prolata vim argumentorum dogmaticorum pro genuinitate prolatorum non prorsus infringere viderentur. Decretum igitur illud ad instar monitionis fuisse videtur, ut in re, quae liquida non erat, caute procederetur, dum maior lux per nova momenta vel argumenta oriretur; cuiusmodi monitio etiam fundamento caruisse non videtur, cum aliqui genuinitatis impugnatores nimis confidenter procedentes et argumenta genuinitatis parum considerantes et nimis parvi pendentes periculo erroris reipsa se exposuerint. — Quae cum ita sint, apertum esse videtur, non obstante illo decreto iam secure dici posse, sententiam genuinitatem negantem prae affirmante multo probabiliorem esse.

43. ***2. De connumeratione et subnumeratione.*** — Cum argumenta supra exposita magnam partem in connumeratione trium personarum divinarum in scriptura adhibita innitantur, notio connumerationis eiusque a subnumeratione distinctio paulo accuratius explicanda est. Itaque connumeratio habetur, quando ipsis verbis et contextu plura in eodem ordine et sub eadem ratione comprehenduntur adeoque identitas seu paritas significatur in ea ratione, sub qua connumerantur. Subnumeratio vero est, quando plura in aliqua connexione nominantur, qua non rerum identitas vel aequalitas, sed dependentia solum unius ab alio aut subordinatio exprimitur. Itaque connumeratio duorum vel plurium coordinationem, subnumeratio vero unius sub alio subordinationem dicit; quare ex connumeratione plurium sub aliqua saltem ratione aequalitas, ex subnumeratione vero disparitas recta ratione infertur. Quae cum ita sint, continuo intelligitur, creaturas omnes, cum in quibusdam rationibus, ut in indigentia conservationis et cooperationis divinae omnes conveniant, sub iisdem connumerari posse; in aliis autem, sub quibus discrepant, non posse. Pariter intelligitur, creaturas cum Deo nunquam connumerari posse, cum Deus et creaturae toto ordine vel tota entis ratione differant. Porro in scriptura, si quidem textus et contextus accurate considerentur, atque regularum internarum et externarum interpretationis ratio habeatur, connumeratio et subnumeratio satis facile ab invicem discernuntur:

1) Et *primo quidem sane connumeratio habetur*, quando **44.** plures personae sub una eademque ratione attributi divini coniunguntur, qualis coniunctio verbi gratia cernitur: in formula baptismi; in verbis: *Ego et Pater unum sumus*; in aliis verbis: „*Si quis diliget me . . . et Pater meus diligit illum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus*" (Ioan. 14. 23.); necnon in hac benedictione: *Gratia Domini nostri Iesu Christi et caritas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis*" (2. Cor. 13. 13.). Si haec aliave testimonia tres personas connumerantia cum testimoniis secundum externam formam quidem similibus neque tamen connumerationem continentibus comparentur, iam ipsa constructionis diversitate discrimen rei significari apparet. Comparetur v. g. cum forma baptismi hoc testimonium: „*Scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei . . . et nomen meum novum*" (Apoc. 3, 12.; ubi per *nomen meum novum* intelligitur nomen Christo datum secundum naturam humanam). Scilicet hic aliud et aliud nomen (τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ μου καὶ τὸ ὄνομα τῆς πόλεως . . . καὶ τὸ ὄνομά μου τὸ καινόν) proponitur ideoque diversitas potius subiectorum innuitur, cum in forma baptismi idem nomen distinctarum personarum ideoque eadem eorum dignitas et natura significetur.

Quod attinet alias connumerationes supra adductas: **45.** *Ego et Pater unum sumus; nos veniemus et mansionem apud eum faciemus;* animadvertendum est, efficaciam demonstrationis inde petitam intime sentiri, si hae Filii cum Patre ad unum coniunctiones cum divisione comparentur, quam Christus de se et hominibus in relatione ad Deum Patrem spectatis loquens semper servat: videlicet cum docuerit nos orare: *Pater noster*, nunquam tamen in ordine ad Deum communibus huiusmodi nominibus seipsum et nos homines simul inclusit, sed studiose semper separavit; dixit v. g.: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum*" (Ioan. 20, 12.). In quae verba praeclare *Augustinus:* „Non ait: *Patrem nostrum*; aliter ergo meum, aliter vestrum; natura meum, gratia vestrum. . . *Et Deum meum et*

Deum vestrum, neque dixit, Deum nostrum; ergo et hic aliter meum, aliter vestrum; Deum meum, sub quo et ego homo sum; Deum vestrum, inter quos et ipsum ego mediator sum" (In Ioan. tract. 121. n. 3.).

46. 2. *Subnumeratio essentialiter diversa est.* Haec scilicet v. g. habetur, quando relate ad aliquem effectum cum causa prima simul causa secunda instrumentalis vel ministerialis exhibetur vel adnumeratur. In eo autem casu subnumerationem, non vero connumerationem haberi vel ex ipsa natura rei evidens est. vel etiam expressis verbis significatur. Et quidem ex natura rei evidens est v. g. in hoc exemplo: „*Nisi quis renatus fecerit ex aqua et Spiritu Sancto*" (Ioan. 3, 5.); cum evidens sit, Spiritum Sanctum et aquam (i. e. signum sacramentale) relate ad regenerationem spiritualem non causas coordinatas. sed subordinatas esse; aliquando vero, cum Deus et creatura aliqua coniunctim exhibentur, ratio ministerialis creaturae Deo adnumeratae disertis verbis exprimitur. ut v. g.: „*Crediderunt Domino et Moysi servo eius.*" (Exod. 14, 31.). Exemplum subnumerationis, quae ex natura rei ut talis evidenter cognoscitur, manifesto exstat etiam in decreto ab Apostolis emisso: „*Visum est enim Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis*" (Act. 15, 28. 29.).

47. Ad essentiale inter connumerationem et subnumerationem discrimen notandum et inculcandum pertinet haec *S. Basilii* expositio: „Atqui et alia sunt, inquiunt, quae simul Patri et Filio annumerantur. nec tamen continuo cum illis glorificantur. Veluti cum Apostolus obtestans Timotheum, angelos simul adducit, dicens: *Obtestor te in conspectu Dei, et Christi Iesu, et electorum eius angelorum* (1. Tim. 5, 21.): quos tamen nos minime separamus a reliquis creaturis. neque sustinemus eos Patri et Filio annumerare. Ego vero, tametsi hic sermo nulla dignus est responsione, tam manifestam praeferens absurditatem. tamen illud dico. quod conservum etiam testem forte aliquis adducat apud mansuetum et placabilem

iudicem, quique maxime sua in eos, qui iudicentur, lenitate minime dubiam et controversam iudiciorum aequitatem demonstrat. Ceterum ut aliquis fiat liber e servo, atque vocetur filius Dei, et a morte revocetur ad vitam, a nullo alio potest dari, nisi ab eo, qui naturalem habet societatem et a servili conditione est alienus. Quomodo enim sociabit Deo, qui ipse est alienus? Quomodo liberos reddet, qui ipse est iugo servitutis obnoxius? Itaque non ob eadem fit Spiritus et angelorum mentio: sed Spiritus commemoratur tamquam auctor et Dominus vitae, angeli vero tamquam conservorum adiutores fidelesque veritatis testes adhibentur" (De Spiritu Sancto n. 29.). Scilicet tum ex natura rei tum ex ipsis verbis patet, in notato textu angelos Deo et Christo non connumerari, sed subnumerari.

Idem Basilius ibidem paulo inferius similem rei declarationem subnectit. „Verum, inquiunt, tametsi baptizamur in Spiritu, non inde par est, ut Spiritus cum Deo numeretur, quando et *in Moyse aliqui baptizati sunt in nube et in mari* (1. Cor. 10, 2.). Similiter autem et in confesso est iam fuisse etiam in homines fidem. *Credidit* enim *populus Deo et Moysi famulo eius* (Exod. 14, 31.). Quid igitur, inquiunt ex fide ac baptismo Spiritum Sanctum usque adeo attollis ac magnificas supra creaturam, cum eadem iam Scripturarum testimoniis tribuantur etiam hominibus? Quid igitur dicemus? Nimirum illud, quod in Spiritum quidem fides est aeque atque in Patrem et Filium, similiter etiam baptisma. Quod si et in Moysen et nubem, velut in umbram et figuram. Neque vero quoniam divina rebus humilibus et humanis praefigurantur, ideo et divinorum humilis est natura, quam figurarum adumbratio saepe praesignificavit. Est enim figura rerum, quae exspectantur, declaratio per imitationem, quod futurum est, iudicando praemonstrans . . . Quid igitur? Num quia typice in Moysen baptizati sunt, ideo exigua est gratia baptismatis? Sane hoc pacto nec aliud quidquam in nostris mysteriis fuerit magnum, si quod in singulis augustum est, per praecedentes figuras deprimamus . . . Quid igitur confers baptismata, quorum sola communis appellatio; rerum autem tanta diffe- 48

rentia, quanta somnii a veritate, ac umbrae et imaginum ab his quae revera subsistunt? — Sed et ipsa fides in Moysen, non fidem in Spiritum parvae esse dignitatis ostendit, sed secundum istorum ratiocinationem ea potius, quae de Deo universorum profitemur, extenuat. *Credidit enim*, inquit, *populus Deo et Moysi famulo eius* (Ex. 14, 32.). Deo itaque copulatus est Moyses, non Spiritui; eratque typus non Spiritus, sed Christi. Nam Dei et hominum mediatorem per seipsum tunc in ministerio legis praefigurabat. Neque enim Spiritus figura erat Moyses, inter Deum et populum intercedens . . . Itaque fides in Moysen ad Dominum refertur, mediatorem inter Deum et homines, qui dixit: *Si crederetis Moysi, crederetis utique mihi* (Ioan. 5, 46.). An igitur parvi momenti fides in Dominum, quia per Moysen praesignata est? Sic si quis in Moysen baptizatus est, non idcirco exigua Spiritus gratia in baptismate. Quamquam alioqui possum dicere consuetudinem esse scripturae Moysis nomine etiam significare legem, velut illud: *Habent Moysen et prophetas* (Luc. 16, 29.). Itaque de legali baptismate loquens, *Baptizati sunt*, inquit, *in Moyse* (1. Cor. 10, 2.). Cur igitur gloriationem nostrae spei et dives illud Dei ac Servatoris nostri donum, qui per regenerationem renovat velut aquilae iuventutem nostram, contemptibile reddere conantur ii, qui ex umbra et figuris calumniantur veritatem?" (n. 31. ss.). Scilicet in exemplis allatis subnumeratio tantum habetur considerata re figurante, sed spectata re figurata potius connumeratio est. Conferantur etiam nn. 34. ss., ubi Basilius similiter explicat illud: „*Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*" (Ioan. 3, 5.).

Thesis 3. **Scriptura V. L. non solum non excludit sed multipliciter indicat tres personas realiter distinctas, quae sint unus Deus.**

Declaratio.

1. ***Obvia notatio de V. L. hac in re doctrina.*** — Fidem sanctissimae Trinitatis etiam in ss. libris V. L. contineri, dubium esse nequit, quoniam tum SS. Patres tum theo-

logi constanti et communi consensu id docuerunt. Imo vero tum ipse Christus tum Apostoli in exponenda doctrina de Filio Dei adeoque de Deo Patre et Deo Filio personis distinctis ad revelationem V. L. provocant, atque similiter procedunt, quando de Spiritu Sancto agunt. (cf. Matth. 22. 44; Marc. 1, 2. 3. coll. Malach. 3, 1. ss: Heb. 1, 5—13.; Act. 2, 17. ss.). Apposite igitur *Alcuinus*: „Omnis scriptura veteris ac novi testamenti inspirata, si catholice intelligitur, hoc insinuat, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus unus sit Deus eiusdem substantiae atque inseparabilis in divinitate unitatis" (De Trinitate l. 1. c. 2.). Neque tamen hoc dogma in vetere testamento eadem, qua in novo, claritate propositum neque in communi fide Iudaeorum contentum fuit, ut notat *Gregorius M.*: „Quamvis hanc Trinitatem spiritales Patres perfecte cognovissent, multitudo tamen magna Synagogae nec invenire mysterium Trinitatis potuit, nec quaerere scivit" (In Ezech. hom. 16.). Videlicet divinae sapientiae placuit, hanc veritatem superrationalem initio forte distinctius revelatam atque deinceps oblivione tectam paulatim iterum atque pedetentim hominibus pandere ita, ut cum tempore procedente, praesertim post exilium Babylonicum summa huius mysterii lineamenta essent proposita. In veteri igitur testamento maxime contra idololatriam unitas veri Dei inculcatur; distinctio personarum autem rarius quidem et minus evidenter, sufficiente tamen claritate docetur ita, ut praesertim novo testamento praelucente etiam illic non videri non possit. Magis vero secunda persona eiusque incarnatio, minus tertia persona eiusque missio in antiquo testamento revelantur et praesignantur.

Demonstratio iam instituenda commode ad quasdam assertiones revocatur.

Demonstratio.

1. *Pluralitas personarum, imo distinctius etiam Trinitas exprimitur.* — Hic animadvertendus est ille progressus revelationis iam supra notatus. Itaque: 2.

1) *Pluralitas personarum* insinuatur Gen. 1. 26.: „*Ait* (Deus): *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem*

nostram, et creavit Deus hominem ad similitudinem suam." Videlicet Deus in numero plurali de seipso loquens exhibetur; eundem autem non esse pluralem maiestatis, ex verbis Dei inferius relatis manifestum est: „*Adam quasi unus ex nobis factus est*" (Ib. 3, 22.). Itaque plures hic exhibentur, qui simul sint causa efficiens et exemplaris hominis, vel verus Deus in operationibus ad extra quidem unus, ad intra vero subsistens in pluribus personis. Ita etiam haec verba communiter a SS. Patribus accipiuntur, v. g. ab *Augustino*: „Nec fas est credere ad imaginem angelorum hominem factum, aut eandem esse imaginem angelorum et Dei; ideo recte intelligitur pluralitas Trinitatis. Quae tamen Trinitas, quia unus est Deus, etiam cum dixisset: *faciamus, et fecit,* inquit, *Deus hominem ad imaginem Dei;* non dixit: Fecerunt dii aut ad imaginem deorum" (De civit. Dei l. 16. c. 6.). Et alibi iterum notat idem *Augustinus*: „Neque frustra non est dictum: Faciamus hominem ad imaginem tuam, tamquam Pater Filio loqueretur; aut: ad imaginem meam; sed dictum est: *ad imaginem nostram.* Quod ex persona ipsius Trinitatis rectissime accipitur" (cont. serm. Arian. c. 16.). Similiter *Faustinus Romanus* de consubstantialitate Filii cum Patre agens: „Sed videamus, si et Moyses hoc idem docuit, quod Apostoli annuntiaverunt, id est omnia ex Deo facta esse per Filium . . . *Et dixit Deus: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Non est unius personae dicere: Faciamus ad imaginem et similitudinem nostram, sed neque diversae deitatis. Nam pluralitas horum verborum, id est *faciamus* et *nostram*, Patris et Filii personas significat. Quod autem singulariter imaginem dicit, una deitas, una virtus utriusque personae manifestatur. Si creatura est Christus, quomodo in opera Dei consors exhibetur? Ad ipsum enim dicitur: *Faciamus.* Si non est verus Filius, quomodo una illi cum Patre imago est? . . . Non enim dixit: Faciamus ad imagines nostras, sed *ad imaginem nostram* . . . Sufficit interim de hoc uno capitulo Moysen concordasse cum evangeliis et Apostolis . . . Nemo dixit duos deos, licet Deum et Deum diceret; nemo non unam imaginem Patris et Filii

annuntiavit, et ideo unum Deum novit dicere in confessione fides catholica: non tamen ut per confessionem unius Dei, Filius negetur esse, quod Deus est . . . Nam si non sicut Pater Deus est, ita et Filius Deus, quomodo illis una imago est secundum Moysen, vel quomodo secundum Paulum (Phil. 2, 6.) in forma Dei Christus est aequalis existens Deo?" (lib. de Trinit. n. 5—7.). Pari ratione eundem textum exponunt multi alii Patres, qui conferri possunt apud *Petavium*, de Trinit. l. 2. c. 7. n. 4. ss. Denique concilium Antiochenum I. ita decrevit: „Si quis hoc dictum: *Faciamus hominem*, non Patrem ad Filium, sed Deum secum loqui affirmet, a. s."

2) *Trinitas personarum* innuitur Os. 6, 3.: „*Seraphim . . . clamabant alter ad alterum et dicebant: sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.*" De quo trisagio ita animadvertit *Ambrosius*: „Quid sibi vult sub uno nomine sanctitatis trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio, cur nisi quia Pater, Filius et Spiritus Sanctus sanctitate unum sunt? Non dixit semel, ne Filium sequestraret: non bis, ne Spiritum Sanctum praeteriret, non quater, ne creaturas coniungeret. Et ut ostenderet, Trinitatis unam esse deitatem, cum tertio dixisset: *sanctus, sanctus, sanctus*, addit singulariter: *Dominus Deus Sabaoth*" (De fid. 2. n. 107.). Et *Athanasius*: „Cum Seraphim Deum glorificant, ter dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum glorificant. Quapropter sicut in nomine Patris et Filii baptizamur, ita et in nomine Spiritus Sancti, et efficimur filii Dei non Deorum. Pater enim et Filius et Spiritus Sanctus Dominus Sabaoth est . . . Ideoque quae Pater dicit in Isaia, ea Ioannes ait dixisse Filium: in Actibus autem Apostolorum Paulus ait, eadem Spiritum Sanctum locutum fuisse" (De Incarnat. c. Arian. n. 10.). Et *Gregorius Nyssenus*: „Cum vidit Isaias sedentem super solium excelsum, antiquior traditio Patrem esse dicit eum, qui visus est (et qui sanctus ter proclamatur), sed Evangelista Ioannes ad Dominum (Christum) refert prophetiam . . .

magnus vero Paulus eundem sermonem testatur Spiritus Sancti fuisse . . . ostendens, ut opinor, per hanc sacram scripturam, quod omnis divina visio omnisque Dei apparitio atque omnis sermo ex persona Dei dictus de Patre et de Filio et de Spiritu Sancto intelligitur" (Cont. Eunom. l. 1.). Denique *Chrysostomus*: „Hic hymnus non modo laus est, sed etiam prophetia de bonis, quae totum orbem occupatura sunt, atque etiam dogmatum accurata disciplina. Cur autem non semel dixerunt et tacuerunt, neque secundo et postea desierunt, sed tertium etiam addiderunt? Annon palam est, id ideo illos fecisse, ut hymnum offerrent Trinitati? (In. h. l.).

4. Huc spectare videtur etiam trina benedictio, quae refertur Num. 6, 24—26.: „*Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Loquere Aaron et filiis eius: Sic benedicetis filiis Israël et dicetis eis: „Benedicat tibi Dominus et custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi et misereatur tui. Convertat Dominus vultum ad te et det tibi pacem. Invocabuntque nomen meum super filios Israel et ego benedicam eis.*" Scilicet SS. Patres saltem plures in trina repetitione nominis Iahve, quae in hac benedictione occurrit, mysterium Trinitatis adumbratum vident, quae explicatio omni ratione non caret, cum tria dona, per benedictionem impertita sc. custodia, misericordia, pax tribus personis divinis Patri et Filio et Spiritui Sancto apta ratione approprientur. Accedit, quod etiam Rabbini quidam eam benedictionem sic acceperunt. cf. *Drach*, Harmonie zwischen der Synagoge und der Kirche.

5. ***2. Disertis verbis quoque Filius et Spiritus Sanctus nominantur atque ut personae distinctae exhibentur necnon earum processio significatur.*** — Quod distinctim de Filio et Spiritu Sancto considerandum est. Itaque:

1) Ad Filium multi textus ex Psalmis et Prophetis pertinent, qui de futuro Messia agunt. Sufficit paucos adducere.

a) Et *primo* quidem hic Messias futurus tamquam *Deus* exhibetur: Ab Isaia enim nasciturus ex Virgine ***Emmanuel*** i. e. Deus nobiscum appellatur (7, 14; cf. Matth. 1, 23.). Proprio enim sensu hunc terminum accipiendum

esse ex contextu patet necnon ex aliis testimoniis eiusdem Isaiae: „*Deus ipse veniet et salvabit vos; tunc aperientur oculi coecorum* . . . (35. 4.; cf. Matth. 11. 5.). *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini* (Iahve) . . . *Dic civitatibus Iuda: ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet et brachium eius dominabitur . . . sicut pastor gregem suum pascet*“ (40. 3. ss.; 12. 2.; 45. 15.; cf. Marc. 1, 3.). Huc praeterea pertinent. Bar. 3. 38.: „*Hic est Deus noster et non aestimabitur alius adversus eum; hic adinvenit omnem viam disciplinae et tradidit illam Iacob puero suo et Israël dilecto suo* (sc. legem Veteris Testamenti): *post haec* (ille idem Deus noster) *in terris visus est et cum hominibus conversatus est.*“ Is. 9. 6.: „*Vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis*“; Zach. 9. 13., ubi Deus (Iahve) ab improbis Iudaeis triginta argenteis appretiari dicitur (cf. Matth. 27, 9); Zach. 12. 10., ubi Deus, qui effudit super domum David et super habitatores Ierusalem spiritum gratiae et precum, de se ipso ait: „*Et aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti*“ (cf. Ioan. 19. 37.)

b) *Secundo* saepe simul etiam *distinctio et generatio Filii* 6.
a Patre exhibetur: „*Speciosus forma prae filiis hominum* . . . *Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi . . . Propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis . . . Populi confitebuntur tibi in aeternum et in saeculum saeculi*“ (Ps. 44 [45] 7. 8. cf. Heb. 1. 8. 9). „*Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis . . . tecum principium in die virtutis tuae . . . ex utero ante luciferum genui te*“ (Ps. 109, 1. 2. 3.; cf. Matth. 22. 42 ss.). Hic psalmus, qui tum in Vulgata, tum in Septuaginta tum in Syriaca istum versiculum habet, sine dubio Messianicus est, et generationem aeternam Filii exhibet: quod sepositis rationibus internis eo patet, quia tum a Christo ipso (Matth. l. c.), tum a S. Petro (Act. 2. 3. 4 ss.) tum a S. Paulo (Heb. 1, 13.) ut talis exhibetur nec non a SS. Patribus communi consensu talis esse declaratur. — Concedendum quidem est textum hebraicum, quod

testimonium relatum attinet, discrepare: attamen diversa eius lectio aut dicenda est corrupta aut ita interpretanda, ut etiam aeternam Filii generationem exhibeat. Sensus videlicet versiculi relati est: Deus Messiam participem declarat gloriae et regni aeterni, atque huius exaltationis rationem reddit: „*ex utero ante luciferum genui te*"; quae verba *Augustinus* ita interpretatur: „*Ex utero* i. e. de meipso, de substantia mea"; „*lucifer* pro sideribus positus est"; et „quod est ante sidera, hoc est ante tempora; si ergo ante tempora ab aeternitate" (In h. ps.).

Deinde „*Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, praedicans praeceptum eius, Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te*" (Ps. 2. 7.). Haec verba sine dubitatione de Christo dicta sunt et ipsum proprie spectant; quod *primo* patet ex Heb. 1. 5., ubi Apostolus ea Christum directe spectare testatur; *secundo* ex interpretatione SS. Patrum intelligitur, ex quibus v. g. *Augustinus* declarat: „Hanc tam grandem promissionem, qui putat in Salomone fuisse completam, multum errat" (In h. l.): *tertio* ex contextu evincitur, utpote in quo thronus nascituri erigendus et firmandus in aeternum esse dicitur, quod de Christo tantum valet. Quamvis igitur ea verba de Salomone quoque valeant, magis proprie tamen Christum spectant: scilicet sensu litterali ad Salomonem eiusque semen sive posteros singulos ita referuntur, ut non in Salomone eiusque ceteris posteris, sed in Christo solo plenam veritatem consequantur. Iam sensus eorundem verborum ita a *S. Thoma* explicatur: „Deus spiritus est, et ideo non generat carnaliter, sed spiritualiter et intellectualiter; intellectus autem dicendo generat verbum quod est conceptus eius; et ideo signanter dixit, quod „*Dominus dixit ad me*", id est: Pater dixit Filio . . . Generatio ista est singularis, quia dicit: „*Filius meus es tu*", quasi diceret: etsi multi alii filii dicuntur, tamen esse filium naturalem, est sibi proprium . . . Ista generatio non est temporalis, sed aeterna, quia „*hodie genui te*" . . . Aeternitas semper est praesens, et ideo notatur per adverbium praesentis temporis, sc. *hodie* i. e. in aeternitate. Verum, quia illud, quod fit, quia nondum est, incompletum per consequens est; quod

autem factum est, completum est et ita perfectum: ideo non dicit: „genero te", sed *genui*, quia perfectus est. Sed tamen, ne putetur esse generatio eius tota in praeteritione et per consequens in defectione, addit *hodie* et coniungit praesenti praeteritum, sc. *hodie* et *genui*, ut scias generationem semper esse et perfectam esse: et sic in *hodie* permanentia, in *genui* vero perfectio designatur, ut sit sensus: perfectus es, Fili, et tamen generatio tua aeterna est et semper a me generaris, sicut lumen in aëre perfectum est, et tamen semper procedit a sole" (In Heb. 1, 5.).

Denique aliis praetermissis huc spectant etiam 2. Reg. 7. 14.: „*Ego ero ei in Patrem et ipse erit mihi in Filium*", de quo idem fere valet, quod de praecedenti testimonio notatum est; necnon Eccli 51, 14.: „*Invocavi Dominum Patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis sine adiutorio.*" Ex quibus manifesto constat procedente tempore iam magis magisque tum divinitatem Messiae tum distinctionem personalem eiusdem a Deo Patre etiam a sanctis veteris legis fuisse cognitam.

2) Etiam *Spiritus Sancti divinitas et distinctio* a scrip- 7
tura V. L. non quidem clare prorsus proponitur, sed subobscure innuitur vel indicatur. Videlicet ex testimoniis V. L. per se solis inspectis divinitas et distinctio personalis Spiritus Sancti vix perfecte demonstrari possunt: atvero, cum in novo testamento fides in Spiritum Sanctum tamquam tertiam ss. Trinitatis personam clare sit expressa necnon ibidem asseratur iam in locis quibusdam veteris testamenti contineri, manifesto consequitur dicendum esse, iam in vetere testamento aliquam adumbrationem doctrinae christianae de Spiritu Sancto contineri, quae deinde in novo testamento distinctius determinata et explicatius proposita sit. Quod igitur supra generatim de progrediente revelatione mysterii SS. Trinitatis dictum est, in specie de revelatione Spiritus Sancti valet. Quare huc imprimis spectant verba, quibus *Petavius* suam de Trinitate in vetere testamento revelata inquisitionem exorditur: „Uti sol exortu suo lucem terris offerens, non eo ipso, quo oritur, puncto plenum ac perfectum efficit diem, sed quibusdam

illuminandi gradibus et incrementis attollitur: sic Dei divinarumque rerum cognitio, non se tota repente humanis permisit ingeniis, sed paulatim pro captu temporum explicata, novis accessionibus pervenit ad summum" (L. 2. c. 7. ss. 1.).

Quibus suppositis *primo divinitas Spiritus Sancti* in scriptura veteris testamenti contineri intelligitur, iis scilicet testimoniis, quibus Spiritui Dei opera divina, ut creatio, largitio charismatum, illustratio prophetarum adscribuntur, ut v. g.: *Spiritus eius creavit coelos.* (Iob. 26, 13). *Spiritus Dei fecit me et spiraculum omnipotentis vivificavit me.* (Ib. 33, 4.). *Quis det, ut omnis populus prophetizet et det eis Dominus Spiritum suum?* (Num. 11, 29.). *Verba, quae misit Dominus exercituum in Spiritu suo per manum prophetarum* (Zach. 7, 12.). „*Spiritus enim sanctus disciplinae effugiet fictum et auferet se a cogitationibus quae sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate. Benignus est enim spiritus sapientiae et non liberabit maledicum a labiis suis; quoniam renum illius testis est Deus, et cordis illius scrutator est verus et linquae eius auditor. Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis*" (Sap. 1, 5. ss.). *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem . . .*" (Is. 61, 1. ss.). Quorum testimoniorum unum vel alterum etiam distinctionem personalem Spiritus Sancti innuere videtur.

8. Verum *secundo* alia testimonia exstant, quae his magis eam *distinctionem* pandere videntur. Huc spectant v. g. hi textus: „*Emittes Spiritum tuum et creabuntur.*" (Ps. 103, 30). „*Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me*" (Ps. 50, 13). „*Et erit post haec, effundam Spiritum meum super omnem carnem et prophetabunt*" (Ioel. 2, 28. 29). „*Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae et intellectus*" (Is. 11, 2. 3.).

9. 3. Denique aliquando *omnes tres personae divinae simul* connumerantur et ut distinctae indicantur. Huc spectat Ps. 32, 6.: „*Verbo Domini coeli firmati sunt et Spiritu oris*

eius omnis virtus eorum." In quae verba *Petavius* notat: „Hic enim Dominus et Verbum et Spiritus totidem personas significat, quemadmodum communi Graecorum ac Latinorum omnium consensu Patrum receptum est." (L. c. n. 14.). Expressius vero loquitur *Sapiens* (9. 1—17): „*Deus patrum meorum et Domine misericordiae, qui fecisti omnia Verbo tuo, et sapientia tua constituisti hominem . . . da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam et noli me reprobare a pueris tuis . . . Mitte illam de coelis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te; scit enim illa omnia et intelligit et deducet me in operibus meis sobrie et custodiet me in sua potentia . . . Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis*".

3. Nominatim in libris sapientialibus secunda persona divina ut distincta et genita clare exhibetur. — Huc imprimis spectant Proverb. 8. 22—31.: 10.
Dominus possedit me (heb. kanani = generatione habet me; cf. Gen. 4, 1) *in initio* (heb. principium) *viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi et ego iam concepta eram, necdum fontes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat et flumina et cardines orbis terrae. Quando praeparabat coelos, ego aderam* (heb. ego ibi); *quando certa lege et gyro vallabat abyssos; quando aethera firmabat sursum et librabat fontes aquaram; quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; quando appendebat fundamenta terrae, cum eo* (heb. apud eum) *eram cuncta componens* (heb. artifex vel alumna). *Et delectabar* (heb.: eram deliciae) *per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum; et deliciae meae esse cum filiis hominum.*" Eccli. 24, 5.: „*Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in coelis, ut oriretur lumen indeficiens et sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitavi et thronus meus in columna nubis . . . Et dixit mihi: In Iacob inhabita et in Israel haereditare, et in*

electis meis mitte radices. Ab initio et ante saecula creata sum (i. e. producta actione soli Deo propria) *et usque ad futurum saeculum non desinam; et in habitatione sancta coram ipso ministravi . . . Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis; in me omnis spes vitae et virtutis.*" Sap. 7. 21.: *Omnium enim artifex docuit me sapientia. Est enim in illa spiritus intelligentiae, sanctus, unicus . . . omnem habens virtutem, omnia prospiciens et qui capiat omnes spiritus . . . Omnibus enim mobilior est sapientia; attingit autem ubique propter suam munditiam. Vapor* (ἀτμίς) *est virtutis Dei et emanatio* (ἀπαύγασμα) *quaedam est claritatis omnipotentis Dei sincera; et ideo nihil inquinatum in eam incurrit; candor* (ἀπόῤῥοια) *est enim lucis aeternae et speculum sive macula Dei maiestatis et imago bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest; et in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit. Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. Est enim haec speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum; luci comparata, invenitur prior . . . Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter.*" Sap. 9. 9. ss.: „*Tecum sapientia tua, quae novit opera tua, quae et affuit tunc, cum orbem terrarum faceres, et sciebat, quid esset placitum oculis tuis et quid directum in praeceptis tuis. Mitte illam de coelis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud te; scit enim illa omnia, et intelligit et deducet me in operibus meis sobrie et custodiet me in sua potentia. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei! aut quis potest cogitare quid velit Deus! . . Sensum autem tuum quis sciet nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis.*" — Iamvero his textibus exhiberi sapientiam subsistentem a Deo Patre genitam adeoque secundam personam SS. Trinitatis intelligi constat tum ex ipsis verbis tum ex comparatione eorundem cum textibus parallelis novi testamenti tum ex communi SS. Patrum interpretatione.

1) Ex ipsis verbis in se inspectis. — Etenim quamvis in relatis textibus etiam de sapientia creata tamquam effectu sapientiae increatae, necnon de hac sapientia, quae est ipse Deus sub formali ratione sapientiae absolutae sermo sit; verumtamen imprimis ille terminus *sapientia* hypostatice sumitur sive personam designat divinam ab alia divina persona distinctam et genitam. Et *primo* quidem illa sapientia tamquam *distincta a Deo* exhibetur. Quod satis manifesto patet ex his similibusve praedicatis, quae eidem adscribuntur; scilicet exhibetur apud Deum fuisse, in creatione Deo adfuisse, coram Deo ludens, coram ipso ministrasse, cum Deo esse, sedium divinarum assistrix, a Deo generata, ordinata, data missa, iussa, cum Deo colloquens; haec enim omnia praesertim simul sumpta apte nonnisi de sapientia a Deo distincta enuntiari possunt. — *Secundo* iidem textus sapientiam *personam et* quidem *personam divinam* esse arguunt. Quod partim iam patet ex iis expressionibus, quae modo notatae sunt et insuper ex sequentibus conficitur; nimirum dicitur cuncta composuisse, locuta esse, omnium artifex, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, omnipotens, omnia innovans, amicos Dei et prophetas constituens, noscens opera Dei, thronum in columna nubis habens, aeterna, omnipraesens, habens omnem gratiam viae et veritatis, mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei, esse deliciae Dei, delectari esse cum filiis hominum etc. — Denique *tertio* ex iisdem textibus sapientiam *a Deo genitam* esse constat. Etenim *imprimis* id disertis verbis enuntiatur: „*Dominus possedit me in initio viarum suarum*“ i. e. generatione habet me ab aeterno; „*nondum erant abyssi et ego iam concepta eram;*“ „*ante colles ego parturiebar*“; dicitur *verbum Dei* et *a Deo missa*, cum verbum generationem involvat et missio personae divinae eius internam processionem arguat. *Deinde* vero haec generatio etiam variis similitudinibus illustratur, videlicet comparatur cum processione verbi ex ore vel mente, vaporis ex aqua, candoris ex luce: „*Fecisti omnia verbo tuo*“; „*ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*“; „*vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quaedam est claritatis*

omnipotentis Dei sincera: candor est enim lucis aeternae, et speculum sine macula Dei maiestatis et imago bonitatis illius."

12. *2) Ex comparatione cum textibus parallelis vel similibus N. T.* — Veritas traditae explicationis maxime apparet, quando testimonia N. T. considerantur, in quibus prorsus simili ratione loquendi divinitas Filii eiusque a Patre distinctio et generatio proponuntur. Huc imprimis spectat Prologus evangelii S. Ioannis: „*In principio erat Verbum; et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat et vita erat lux hominum . . . Et verbum caro factum est et habitavit in nobis; et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.*" „*Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*" Deinde: „*Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*" Et: Deus „*novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula; qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dextram maiestatis in excelsis*". (Heb. 1, 1. ss.) „*Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae, quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra visibilia et invisibilia.*" Denique Christus in N. T. saepius *Dei sapientia* dicitur, ut Matth. 11. 19.; Luc. 11, 49.; 1 Cor. 1, 24. 30.

13. *3) Ex communi SS. Patrum interpretatione.* — De hoc communi Patrum consensu nulla potest esse dubitatio. Audiatur imprimis *Augustinus:* „Cur ergo in scripturis nunquam fere de sapientia quidquam dicitur, nisi ut ostendatur a Deo genita vel creata? genita scilicet, per quam facta sunt omnia; creata vero vel facta, sicut in hominibus, cum ad eam, quae non creata et facta, sed genita est, convertuntur et illustrantur; in ipsis enim fit aliquid, quod vocetur eorum sapientia; vel illud scripturis praenuntiantibus aut narrantibus, quod *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* (Ioan.

1, 14.); hoc modo enim Christus facta sapientia est, quia factus est homo. An propterea non loquitur in illis libris sapientia, vel de illa dicitur aliquid, nisi quod eam de Deo natam ostendat aut factam, quamvis sit et Pater ipse sapientia, quia illa nobis sapientia commendanda erat et imitanda, cuius imitatione formamur? . . . Sapientia ergo Filius de sapientia Patre, sicut lumen de lumine, et Deus de Deo, ut et singulus Pater lumen, et singulus Filius lumen, et singulus Pater Deus, et singulus Filius Deus; ergo et singulus Pater sapientia, et singulus Filius sapientia. Et sicut utrumque simul unum lumen et unus Deus, sic utrumque una sapientia. Sed Filius *factus est nobis sapientia a Deo et iustitia et sanctificatio* (1. Cor. 1, 30.), quia temporaliter nos ad eum convertimus, id est: ex aliquo tempore, ut cum illo maneamus in aeternum. Et ipse ex quodam tempore *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*. Propterea igitur cum pronuntiatur in scripturis, aut enarratur aliquid de sapientia, sive dicente ipsa, sive cum de illa dicitur, Filius nobis potissimum insinuatur . . . Non igitur mirum, si propter exemplum, quod nobis, ut reformemur ad imaginem Dei praebet imago aequalis Patri, cum de sapientia Scriptura loquitur, de Filio loquitur, quem sequimur vivendo sapienter; quamvis et Pater sit sapientia, sicut lumen et Deus" (De Trinitate, l. 7. n. 4. 5.).

Sicut Augustinus, ita et ceteri Patres sapientiam illam **14.**
in libris sapientialibus notatam tamquam personam divinam et procedentem acceperunt. Quod imprimis iam valet de doctoribus haeresi Ariana antiquioribus, quorum tamen pauci, ut Irenaeus (l. 4. c. 20.), nomine sapientiae tertiam personam Spiritum Sanctum significari putaverunt. Sed Patres subsequentes contra Arianos disputantes sine controversia et dissensione omnes nomine sapientiae Filium sive Verbum a Patre generatum constanter intellexerunt. Qui consensus eo maius pondus habet, quod Ariani aliquo ex textibus supra adductis abutebantur ad Filii divinitatem impugnandam: scilicet cum illud *Dominus possedit me* in textu graeco legatur: κύριος ἔκτισέ με necnon vetus latina versio idem haberet, sc.: Dominus creavit me, Ariani his verbis Filium creaturam

dici acriter contenderunt. Iamvero SS. Patribus in mentem nunquam incidit, negare, nomine sapientiae Filium significari, sed hoc ipsum cum Arianis constanter retinentes oppositam difficultatem triplici via expediverunt; scilicet vel docuerunt legendum esse: ἐκτήσατο i. e. possedit, ut plures versiones reipsa habent; vel contenderunt vocabulum κτίζειν generica significatione nihil aliud dicere nisi productionem quamcunque et hoc sensu in eo loco sumendum esse, vel denique Filium ratione humanae naturae creatum dici asseruerunt. Iam supra autem notatum est, considerato textu originali nullam esse difficultatem.

15. *Notetur* item, nullam seriam difficultatem oriri ex v. 14.: „*Ab initio et ante saecula creata sum.*" Scilicet cum textus hebraicus ignoretur, certum tamen est, non intelligi creationem proprie dictam, cum ex contextu originem illius sapientiae a cuiusvis creaturae origine essentialiter diversam atque ea excelsiorem esse manifesto pateat; quippe quae sapientia dicitur primogenita, aeterna etc. — Cf. *Klasen*, Die alttestamentliche Weisheit; *Franzelin*, th. 7.; *Petavius*, l. 2. c. 1.

16. ***4. Theophaniis quoque V. L. distinctio unius personae divinae ab alia exhiberi videtur.*** — Huc spectant *imprimis* Gen. 16, 7. ss.: „*Cumque invenisset eam angelus Domini iuxta fontem aquae in solitudine, qui est in via Sur in deserto, dixit ad illam: Agar, ancilla Sarai, unde venis? et quo vadis? Quae respondit: A facie Sarai dominae meae ego fugio. Dixitque ei angelus Domini: Revertere ad dominam tuam et humiliare sub manu illius. Et rursum: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, et non numerabitur prae multitudine. Ac deinceps: Ecce, ait concepisti, et paries filium; vocabisque nomen eius Ismaël, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam . . . Vocavit autem nomen Domini, qui loquebatur ad eam: Tu Deus, qui vidisti me.*" Videlicet his verbis una eademque persona tamquam Iahve et tamquam Maleach Iahve exhibetur vel eadem persona tum missa a Deo tum ipsa Deus esse declaratur. Cum igitur nemo semetipsum mittat, concludendum est, in Deo saltem duas esse personas, mittentem alteram, alteram

missam; quas Patres et theologi Patrem et Filium intelligunt, utpote qui a Patre procedit et in mundum missus est. Apposite *Hilarius*: „Angelus Dei loquitur (duplex autem in Angelo Dei significatio est: ipse qui est et ille cuius est): et loquitur non res secundum nomen officii sui; ait enim: *multiplicans multiplicabo semen tuum et non dinumerabitur a multitudine.* Ministerium angeli potestas multiplicandarum gentium excedit. Sed quid tandem de eo, qui Dei Angelus, quae soli Deo propria sunt, loquebatur, Scriptura testata est? *Et vocavit nomen Domini, qui loquebatur secum: Tu Deus, qui aspexisti me.* Primum Angelus Dei, secundo Dominus; *vocavit enim nomen Domini, qui loquebatur secum:* dehinc tertio Deus: Tu enim es Deus, qui aspexisti me. Qui angelus Dei dictus est, idem Dominus et Deus est. Est autem secundum prophetam Filius Dei *magni consilii Angelus* (Is. 9, 6. sec. 70.). Ut personarum distinctio absoluta esset, Angelus Dei est nuncupatus; qui enim est Deus ex Deo, ipse est et angelus Dei. Ut vero honor debitus redderetur, et Dominus et Deus est praedicatus" (L. 4. c. 23.).

Deinde huc pertinet Gen. 18. et 19, 1—29.: „*Apparuit* 17.
autem ei Dominus in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei. Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi et adoravit in terram. Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum etc." Hoc enim loco ipsa trinitas personarum divinarum insinuari videtur. Ad rem *Augustinus*: „Cum . . . tres viri visi sunt, nec quisquam in eis vel forma vel aetate, vel potestate maior ceteris dictus est, cur non hic accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis aequalitatem, atque in tribus personis unam eandemque substantiam? . . . Cum tribus certe loquebatur Abraham et eum Dominum singulariter appellavit . . . Quid est hoc quod dixit ad eos (Loth ad illos angelos duos): *Rogo Domine,* si iam ille discesserat, qui Dominus erat et angelos miserat? cur dicitur: *Rogo, Domine*; et non: Rogo, domini? Aut si unum ex eis

voluit appellare, cur ait Scriptura: *Dixit autem Loth ad eos: Rogo, Domine, quoniam invenit puer tuus ante te misericordiam?* An et hic intelligimus in plurali numero duas personas? cum autem iidem duo tamquam unus compellantur, unius substantiae unum Dominum Deum? Sed quas duas personas hic intelligimus? Patris et Filii an Patris et Spiritus Sancti, an Filii et Spiritus Sancti? Hoc forte congruentius, quod ultimum dixi. Missos enim se dixerunt, quod de Filio et Spiritu Sancto dicimus. Nam Patrem missum nusquam Scripturarum nobis occurrit" (De Trinitate, l. 2. n. 20. ss.). Aliter tamen explicat Hilarius, scilicet Deum Filium cum duobos angelis apparuisse (L. c.).

18. *Tertio* ex mente SS. Patrum huc etiam pertinet Ex. 3. 1. ss.: „*Moyses autem pascebat oves Iethro soceri sui sacerdotis Madian; cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus (Maleach Iahve) in flamma ignis de medio rubi; et videbat, quod rubus arderet et non combureretur. Dixit ergo Moyses: Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi et ait: Moyses! Moyses! Qui respondit: Adsum. At ille: Ne appropies, inquit, huc; solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est. Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob. Abscondit Moyses faciem suam; non enim audebat aspicere contra Deum.*" In hunc locum iterum *Hilarius:* „Qui apparuit in rubo, de rubo loquitur: et visionis locus unus et vocis est; neque alius, quam qui est visus, auditur. Qui Angelus Dei est, cum videtur, idem rursum, cum auditur, est Dominus; ipse vero Dominus, qui auditur, Deus deinde Abrahae, Isaac et Iacob esse cognoscitur. Cum Angelus Dei dicitur, non proprius sibi ac solitarius esse monstratur; est enim Angelus Dei: cum Dominus et Deus nuncupatur, in honore naturae suae et nomine praedicatur. Habes ergo Angelum, qui de rubo apparuit, et Dominum et Deum" (L. c. c. 32.). *Augustinus* vero: „Et hic primo Angelus dictus Domini

est, deinde Deus. Numquid ergo angelus est Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob? Potest ergo recte intelligi ipse Salvator, de quo dicit Apostolus: ***Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula*** (Rom. 9, 5.). Qui ergo super omnia est Deus benedictus in saecula, non absurde etiam hic ipse intelligitur Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob. Sed cur prius Angelus Domini dictus est, cum de rubo in flamma ignis apparuit! utrum quia unus ex multis angelis erat, sed per dispensationem personam Domini sui gerebat? an assumptum erat aliquid creaturae, quod ad praesens negotium visibiliter appareret, et unde voces sensibiliter ederentur, quibus praesentia Domini per subiectam creaturam corporeis etiam sensibus hominis, sicut oportebat exhiberetur? Si enim unus ex angelis erat, quis facile affirmare possit, utrum ei Filii persona nuncianda imposita fuerit, an Spiritus Sancti, an Dei Patris, an ipsius omnino Trinitatis, qui est unus et solus Deus . . . Si autem in usum rei praesentis assumpta creatura est, quae et humanis oculis appareret et auribus insonaret, et appellaretur angelus Domini, et Dominus et Deus: non potest hic Deus intelligi Pater (utpote qui missus dici nequit), sed aut Filius aut Spiritus Sanctus. Quamquam Spiritum Sanctum alicubi angelum dictum non recolam, sed ex opere possit intelligi; dictum enim de illo est: ***Quae ventura sunt, annuntiabit vobis*** (Ioan. 16, 13.): et utique angelus graece latine nuncius interpretatur: de Domino autem Iesu Christo evidentissime legimus apud prophetam, quod ***magni consilii Angelus*** (Is. 9, 6.) dictus sit, cum et Spiritus Sanctus et Dei Filius sit Deus et Dominus angelorum" (L. c. n. 23.).

Nota: Ut ex testimoniis modo allatis Hilarii et Augustini **19.**
patet, SS. Patres illum Angelum Domini (Maleach Iahve) in V. L. apparentem modo Deum Filium intelligunt modo Angelum proprie dictum, qui tamen Dei Filii personam gesserit eiusque nomine et auctoritate locutus sit. Similiter etiam theologi. Apertum autem est, demonstrationem ex illis theophaniis institutam in prima acceptione multo luculentiorem esse: neque tamen in altera omni robore caruerit; utpote

secundum quam angelus creatus in ipsa missione personam Filii repraesentasse dicendus sit. Insuper vero animadvertendum est, SS. Patres, etsi quoad aliquas apparitiones dissentiant, partim angelum creatum partim Filium apparuisse dicentes, omnes tamen consentire videri, secundum nonnullas saltem apparitiones eandem personam et verum Deum dici et angelum sive nuntium Dei; quod quidem multi imprimis ex Mal. 3, 1. merito confirmare videntur: *Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.* Etenim Dominator, cuius templum est, sane nonnisi verus Deus esse potest: idem autem hic Dominator etiam dicitur Angelus testamenti i. e. legatus ad novum foedus constituendum (cf. Ierem. 31, 31.). Unde argumentatio in toto suo robore consistere videtur. Ceterum de tota hac quaestione circa illum *Maleach Iahve* cf. ***M. Flunk***, expositio in vaticinia Messiana, fasc. II. p. 247. ss., atque auctores ibidem relatos.

Articulus tertius.

De doctrina traditionis.

Thesis 4. Trinitatis fides inde ab Apostolis in ecclesia semper viguit.

Declaratio.

1. ***Demonstrationis scopus atque ordo.*** — Ab ipsis exordiis ecclesiae in eadem viguisse Trinitatis fidem iam ex solis quidem symbolis antiquissimis in 1. thesi productis satis constat; nihilominus dogma tam fundamentale ex professo et accuratiore demonstratione ex traditione vindicare opus est. Iamvero inde a saeculo quarto, quo a Concilio Nicaeno (325) divinitas Filii et a Concilio Constantinopolitano (381) divinitas Spiritus Sancti sollemniter definita est, in ecclesia apertam et universalem fuisse professionem SS. Trinitatis, vel ab adversariis rationalistis paene omnibus conceditur. Quare imprimis quidem fides antenicaena certis docu-

mentis exponenda et defendenda est; neque tamen traditio postnicaena omitti vel negligi potest, quia haec tum ad quaedam Patrum antiquiorum obscurius dicta explicanda tum ad veram dogmatis intelligentiam capiendam insigniter confert. Unde tota demonstratio bipartita est atque prima pars magis in existentia sive veritate dogmatis versatur, altera magis verum atque catholicum fidei intellectum spectat.

Demonstratio.

1. ***Fides antenicaena demonstratur.*** — Haec fides praeterquam ex symbolis supra iam adductis tum ex testimoniis Patrum et scriptorum tum ex confessione martyrum tum ex doxologiis tum ex ritu baptismi tum ex haeresum historia manifesta redditur. 2.

1) *Ex testimoniis Patrum et scriptorum antiquorum.* — *Clemens Romanus:* „Ζῇ γὰρ ὁ θεὸς καὶ ζῇ ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἥ τε πίστις καὶ ἡ ἐλπὶς τῶν ἐκλεκτῶν“ (1. Cor. 58.). Quibus verbis *Gebhardt* et *Harnack* in sua Patrum graecorum editione hanc notam subiiciunt: „Tres personas divinas hic numeravit Clemens. Hoc ideo grave videtur, quod disertis verbis tres illas personas fidem et spem electorum esse scriptor confitetur.“

Ignatius M.: „Existentes lapides templi Patris, parati in aedificatione Dei Patris, relati in excelsum per machinam Iesu Christi, quae est crux, fune utentes Spiritu Sancto. Fides autem vestra dux vester, caritas vero via referens in Deum. Estis igitur conviatores omnes, deiferi et templiferi, christiferi, sanctiferi secundum omnia ornati in mandatis Iesu Christi“ (Ad Ephes. 9.). Idem alibi: „Studete firmari in dogmatibus Domini et Apostolorum, ut omnia quaecunque facitis, prosperentur carne et spiritu, fide et caritate, in Filio et Patre et Spiritu“ (Ad Magnes. 13., cf. *Hermae Pastor*, simil. 5. c. 6.). ***Iustinus:*** „Eum (Patrem) et Filium et Spiritum propheticum colimus et adoramus“ (Apol. 1. n. 6. 7.). ***Athenagoras:*** „Quis non miretur, cum atheos vocari audit eos, qui docent Deum Patrem et Filium Deum et Spiritum Sanctum eorumque ostendunt et in unitate virtutem et in ordine di- 3.

stinctionem" (Legat. 10.). *Irenaeus:* „Non ergo angeli fecerunt nos, nec angeli potuerunt imaginem facere Dei; nec alius quis praeter Verbum Domini, nec Virtus (Spiritus Sanctus) longe absistens a Patre universorum. Nec enim indigebat horum Deus ad faciendum, quae ipse apud se praefinierat fieri, quasi ipse suas non haberet manus. Adest enim ei semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus, per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur dicens: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* ipse a semetipso substantiam creaturarum, et exemplum factorum et figuram in mundo ornamentorum accipiens . . . Et quoniam Verbum id est Filius semper cum Patre erat, per multa demonstravimus. Quoniam autem et Sapientia, quae est Spiritus, erat apud eum ante omnem constitutionem, per Salomonem ait: *Deus Sapientia fundavit terram* . . . Unus igitur Deus, qui Verbo et Sapientia fecit et aptavit omnia" (L. 4. c. 20. n. 1. 4.). „Solus unus Deus fabricator . . . hic Pater, hic Deus, hic conditor, hic factor, hic fabricator, qui fecit ea per semetipsum, hoc est per Verbum et per Sapientiam suam" (L. 2. c. 30. n. 9.). „Ecclesia per universum orbem usque ad fines terrae seminata ab Apostolis et eorum discipulis accepit eam fidem, quae est in unum Deum, Patrem omnipotentem . . . et in unum Iesum Christum Filium Dei incarnatum pro salute nostra; et in Spiritum Sanctum, qui per prophetas Dei consilia et adventum praenuntiavit" (L. 1. c. 10. n. 1.). *Theophilus Antiochenus:* „Similiter tres illi dies (genesiaci), qui ante luminaria fuerunt, imago sunt Trinitatis, Dei, eius Verbi, eiusque Sapientiae (i. e. Spiritus Sancti). Quartus vero, imago hominis luce indigentis, ut sint Deus, Verbum, Sapientia, homo. Propterea quarto die luminaria condita sunt" (Ad Autolyc. l. 2. n. 15.).

4. *Tertullianus:* „Custodiatur oeconomiae sacramentum, quae unitatem in trinitatem disponit, tres dirigens: Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Tres autem non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie; unius autem substantiae, et unius potestatis, quia unus Deus"

(Cont. Prax. c. 2.). „Opus evangelii, substantia novi testamenti . . . quod exinde tres crediti unum Deum sistunt, ut nove unus crederetur per Filium et Spiritum Sanctum, ut coram iam Deus in suis propriis nominibus et personis cognosceretur, qui et retro per Filium et Spiritum Sanctum praedictus non agnoscebatur" (Ib. c. 31. cf. ib. c. 8. 12. 25.). „Est Trinitas unius divinitatis Pater et Filius et Spiritus Sanctus" (De pudicitia c. 21.). *Hippolytus:* „Necesse ergo est, ut quamvis nolens confiteatur (Noëtus) Patrem Deum omnipotentem, et Christum Iesum Filium Dei Deum hominem factum, cui Pater omnia subiecit praeter se et Spiritum Sanctum, et sic hos esse vere tres. Quodsi vult scire, quomodo unus Deus demonstretur, sciat unam esse virtutem sive potentiam huius. Ac unus quidem Deus, quantum ad virtutem attinet; quantum vero ad oeconomiam sive dispositionem, trina est ostensio. Haec igitur, fratres, demonstrantur a nobis consonanter dicta; unus est enim Deus" (Cont. Noët. n. 8.). „Hanc oeconomiam tradit nobis Ioannes in Evangelio, et hic Verbum ipse confitetur Deum sic inquiens: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum.* Si Verbum erat apud Deum et Deus erat: quid ergo, dicetne aliquis, Ioannem docere duos deos? Duos quidem Deos non dicam, sed unum, personas vero duas et oeconomiam tertiam, gratiam Sancti Spiritus. Pater quidem unus, personae vero duae, quia etiam Filius, tertia autem Spiritus Sanctus . . . Aliter unum Deum intelligere non possumus, nisi vere Patri et Filio et Spiritui Sancto credamus" (Ibid. n. 10—14. cf. *Epiphanius,* haer. 57.). ***Novatianus*** in opere *De Trinitate,* quod inter opera Tertulliani invenitur, de tribus personis divinis singillatim agit earumque distinctionem inculcat: „Regula exigit veritatis, ut primo omnium credamus in Deum Patrem, et Dominum omnipotentem, id est rerum omnium perfectissimum conditorem" (c. 3.). „Eadem regula veritatis docet, nos credere post Patrem etiam in Filium Dei Christum Iesum Dominum Deum nostrum, sed Dei Filium huius Dei, qui unus et solus est" (Ib. c. 11.). „Quis enim non secundam Filii

post Patrem cognoscat personam?“ (Ib. c. 21.). „Sed etiam ordo rationis et fidei auctoritas, digestis vocibus et litteris Domini, admonet nos post haec credere etiam in Spiritum Sanctum“ (c. 29.).

5. *Dionysius Romanus* medio saeculo 3. in celeberrima ad Dionysium Alexandrinum epistola simul Tritheismum et Subordinatianismum repellens catholicum de Trinitate dogma clare et accurate definivit atque quae postea a Concilio Nicaeno et Constantinopolitano decreta sunt paene omnia praeformavit: „Iamvero aequum fuerit disputare adversus eos, qui monarchiam, quae augustissima est ecclesiae Dei praedicatio, in tres quasdam virtutes ac separatas hypostases tresque deitates dividentes ac discindentes destruunt. Audivi enim quosdam, qui apud vos divinum verbum praedicant et docent, huius opinionis magistros esse, qui quidem e diametro, ut ita loquar, Sabellii opinioni adversantur. Hic enim blasphemat, ipsum Filium dicens esse Patrem, et vicissim: illi vero tres deos quodammodo praedicant, dum sanctam unitatem (μονάδα) in tres diversas (ξένας) hypostases ab invicem omnino separatas dividunt. Uniri enim necesse est divinum Verbum Deo universorum et Spiritum Sanctum in Deo manere et inhabitare; atque ita divinam Trinitatem in unum, quasi in quendam verticem, Deum universorum omnipotentem dico, reduci atque colligi omnino necessarium. Insipientis enim Marcionis doctrina, quae in tria principia monarchiam secat et dividit, diabolica sane est, non autem verorum Christi discipulorum, vel eorum, quibus Salvatoris disciplina placet. Hi enim probe norunt, Trinitatem quidem in divina scriptura praedicari, tres autem esse Deos neque in vetere neque in novo testamento doceri. Sed neque minus culpandi sunt, qui Filium opus esse existimant, et Dominum factum esse, sicut unum eorum, quae vere facta sunt, arbitrantur: cum illum genitum esse, ut congruit ac decet, non conditum aut factum, divina eloquia testentur. Non levis igitur, sed maxima est impietas, Dominum aliquo modo manufactum dicere. Nam si factus est Filius, erat tempus quando non erat; atqui fuit semper, si utique est, ut ipse declarat, in Patre. Et si Christus Verbum, sapientia et virtus est —

haec enim Christum esse divinae docent litterae, ut ipsi nostis — haec sane virtutes Dei sunt. Quocirca si factus est Filius, fuit tempus, quando haec non erant: adeoque fuit tempus, quo sine his erat Deus; quod perabsurdum est . . . Neque igitur admirabilis et divina unitas in tres unitates est separanda, neque factionis vocabulo dignitas ac summa magnitudo Domini est diminuenda; sed credendum est in Deum Patrem omnipotentem et in Christum Iesum eius Filium, et in Spiritum Sanctum; Verbum autem Deo universorum esse unitum. Quippe ego, inquit, *et Pater unum sumus;* et: *Ego in Patre et Pater in me est.* Ita scilicet divina Trinitas et sanctae monarchiae praedicatio integra servabitur." —

Hanc quidem dogmaticam epistolam Dionysius R. ad Dionysium Alexandrinum misit, utpote qui subordinatianismi accusatus erat: verum hic a falsa accusatione se purgavit atque communis fidei ipse quoque testis est, ut *S. Athanasius* in opusculo *de sententia Dionysii* invicte ostendit. Item *Origines* a nonnullis Patribus tamquam Arianismi praecursor vituperatus ab Athanasio tamquam testis antiquae fidei adducitur, et merito quidem; etsi enim Origenes in speculativa mysterii eiusdem explanatione erraverit, catholicae tamen traditionis testis indubius est. Sic de baptismo agens „adorandae Trinitatis deitatem" commemorat (Enarrat. c. 6.) et alibi declarat: „Didicimus credere tres esse hypostases: Patrem et Filium et Spiritum Sanctum" (In Ioan. tract. 2.; cf. alia verba eiusdem supra iam relata in Prooem. n. 6.). Tandem *Gregorius Thaumaturgus* ut luculentus fidei antiquae testis iam supra (th. 1. nn. 23. et 24.) adductus est. Denique unanimis omnium Patrum antecedentium consensus testis exstat *Augustinus* sic declarans: „Omnes, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quae Deus est, divinorum librorum veterum et novorum catholici tractatores hoc intenderunt secundum scripturas dicere, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus unius eiusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuent unitatem, ideoque non sint tres dii, sed unus Deus, quamvis Pater Filium genuerit et ideo Filius non sit, qui Pater est . . . Spiritusque Sanctus nec 6.

Pater sit nec Filius . . . Haec et mea fides est. quando haec est catholica fides" (De Trinit. l. 1. n. 7.).

7. 2) *Ex confessionibus Martyrum.* — Ex confessionibus, quas Martyres coram tyrannis et tribunalibus per diversas regiones et aetates primae aerae christianae ediderunt, manifestissime patet universalis primaevae ecclesiae fides in SS. Trinitatem. Ex multis exemplis, quae apud ***Ruinart,*** Acta martyrum inveniuntur, quaedam afferre satis erit. Sic ***Polycarpus*** Smyrnae anno 166: „Verax Deus, glorifico te cum aeterno et coelesti Iesu Christo, dilecto Filio tuo, cum quo tibi et Spiritui Sancto gloria et nunc et in futura saecula." *S.* ***Epipodius*** Lugduni 178: „Christum cum Patre et Spiritu Sancto Deum esse confiteor, dignumque est, ut illi animam meam refundam. qui mihi et creator est et redemptor." *S.* ***Vincentius*** *L.* Valentiae in Hispania anno 304.: „Dominum Christum confiteor Filium altissimi Patris, unici unicum, ipsum cum Patre et Spiritu Sancto unum solum Deum esse profiteor... Ego uni et vivo sacrifico Deo, qui est benedictus in saecula." *S.* ***Euplus*** Catanae 304.: „Patrem et Filium et Spiritum Sanctum adoro: sanctam Trinitatem adoro, praeter quam non est Deus . . . Sacrifico modo Christo Deo me ipsum . . . Adorem Trinitatem inseparabilem. quae Trinitas unitas Deitatis est . . . Ego sacrifico et immolo meipsum Patri et Filio et Spiritui Sancto." *S.* ***Afra*** Augustae Vindelicorum anno 303. vel 304.: „Domine Deus omnipotens Iesu Christe... Gratias tibi ago Domine Iesu Christe . . . Tibi offero sacrificium meum, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum." Similia occurrunt in actis *S.* ***Pionii*** Smyrnae 250, *S.* ***Tarachi*** in Cilicia 304. aliorumque, quae l. c. exstant.

8. 3) ***Ex doxologiis iam in antiqua ecclesia usitatis.*** — Eas doxologias professionem fidei in SS. Trinitatem continere manifestum est ex ipsis verbis: Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto; Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto; Gloria Patri et Filio in Spiritu Sancto. Etenim unam eandemque adorationem exhibent: et insuper processionis ordinem quoque insinuant. His doxologiis formae similes acce-

dunt, quibus orationes et instrumenta publica concludi solebant; qualis v. g. legitur in actis *S. Symphoriani:* „Praestante Domino nostro Iesu Christo, qui sine fine regnat cum Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum" (Ruinart, op. cit.). Illas vero doxologias inde ab Apostolorum aetate a fidelibus usurpatas fuisse, dubitari nequit. Testis est ***Basilius***, qui connumerationem Spiritus Sancti in doxologiis ad antiquissimas consuetudines refert. Postquam enim in opusculo de Spiritu Sancto verba apostolica de traditionibus servandis citavit (1. Cor. 11. 2.; 3 Thess. 2, 14.) subiungit: „Quarum una est et haec, de qua nunc agimus (conglorificatio illa Spiritus Sancti), quam qui ab initio praescripserunt tradiderunt que posteris, usu semper simul cum tempore progrediente ipsam longa consuetudine in ecclesiis irradicarunt" (c. 39.). Deinde multis probat, quamdiu iam ante suam aetatem illa consuetudo frequentata fuerit. Cf. ***Constitutiones Apostol.*** l. 8. cc. 12—13.

4) ***Ex baptismi ritu.*** — Huius scilicet sacramenti ad- 9.
ministratio inde ab ecclesiae origine sollemnis fidei in SS. Trinitatem confessio erat, utpote quod semper trium personarum nomine et invocatione necnon saepissime infusione vel immersione quoque trina collatum est. De qua re iam testatur ***doctrina Apostolorum*** (Didache) hanc regulam inculcans: Βαπτίσατε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος . . . ἔκχεον εἰς τὴν κεφαλὴν τρὶς ὕδωρ εἰς ὄνομα πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος (n. 7.). Similiter Iustinus: Ἐπ' ὀνόματος τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου θεοῦ καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ πνεύματος ἁγίου τὸ ἐν τῷ ὕδατι λουτρὸν ποιοῦνται (Apol. I. 61.). Et ***Tertullianus:*** „Nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tinguimur" (Adv. Prax. 26.). ***Cyrillo Hierosolymitano*** teste cum susceptione baptismi tamquam sacramento fidei coniuncta erat sollemnis et expressa SS. Trinitatis professio: „Deducebamini ad sanctum divini baptismi lavacrum . . . Atque tunc unusquisque interrogabatur, an crederet in nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti; et confessi estis salutarem confessionem." (Catech. mystii. 2.)

Similiter *S. Basilius* intimum nexum inter fidem Trinitatis et baptismum urget: „Sicut enim credimus in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, sic et baptizamur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti" (De Spiritu Sancto n. 12.).

10. 5) *Ex haeresum et dogmatum historia.* — Etenim *ex una parte* haereses mysterio SS. Trinitatis oppositae iis sub adiunctis apparuerunt et invaluerunt, ex quibus earum novitas et oppositio contra traditam et apostolicam doctrinam manifesto cognoscitur. Nimirum *primo* haeretici imprimis Ariani subdole agentes falsam suam doctrinam primum variis artibus, ut catholicis loquendi formulis, contegere studuerunt ac demum postea, cum iam invaluerat, clare et aperte proponere ausi sunt; quae agendi ratio sane et ipsis persuasum fuisse arguit, suam doctrinam novam et traditioni oppositam esse. *Deinde* id ipsum Patrum procedendi ratio ostendit. Quando scilicet primum propositi sunt errores Sabellii, Samosateni, Arii, catholici imprimis episcopi continuo reclamarunt atque eosdem ut novos inauditos traditioni oppositos denuntiarunt et condemnarunt. Ita *Alexander Alex.* universis episcopis Arii haeresim denuntians exclamat: „Quis unquam talia audivit? Quis iam audiens non obstupescat et aures obstruat, ut ne eiusmodi verborum sordes aures suas contaminent?" (Apud Athanas. Edit. Maurin. I p. 398.). Et ipse *Athanasius* ita Arianos perstringit: „En igitur nos quidem hanc sententiam a Patribus ad Patres transiisse demonstramus; vos vero, o novi Iudaei et Caiphae discipuli, quos Patres, qui vestris voculis faverint, exhibere potestis? Nullum certe prudentem et sapientem unquam proferetis: omnes enim a vobis abhorrent praeter unum diabolum, qui nempe solus huius vestrae defectionis pater et auctor exstitit vobisque primum hanc impietatem inseminavit ac etiam nunc suadet, ut oecumenicam synodum vestris maledictis insectemini, quia videlicet non vestra, sed illa definierit, quae ab initio tradidere testes oculati, qui et ministri Verbi fuere" (De decret nic. n. 27.).

11. *Ex altera parte* fides catholica iis characteribus semper insignita fuit, quae originem eiusdem apostolicam aperte ostendunt. Vel eam fidem semper in possessione fuisse argu-

mento praescriptionis demonstratur. Nimirum hoc dogma, quod certe inde a saeculo quarto, quando a Concilio Nicaeno et postea a Concilio Constantinopolitano sollemniter definitum est, ad publicam ecclesiae fidem pertinebat, in hanc fidem post aetatem apostolicam introductum non est; ergo ad doctrinam apostolicam pertinet. *Probatur antecedens*: Et *primo* quidem dogma Trinitatis in fidem catholicam introduci non potuit insensibili fidei mutatione. Etenim iam sola spectata naturali hominum indole fieri non potuisse intelligitur, ut dogma tam grave et fundamentale, tam arcte cum vita christiana et cultu divino connexum, tam longe a naturali ratione remotum sine ulla commotione, sine resistentia et reclamatione, sine disputationibus et conciliorum discussionibus sensim sine sensu per orbem universum in catholicam fidem irreperet. Quod eo magis manifestum est, quod maiore horrore tum Pastores tum fideles ab omni novitate in fide abhorrebant omnemque eiusdem mutationem respuebant; ut multis exemplis constat. Neque vero *deinde* dogma Trinitatis sensibili cum ecclesiae commotione vel perturbatione introductum est. Eiusmodi enim sensibilis fidei mutationis vestigia exstarent atque tempus, locus, auctor assignari possent; id autem fieri nequit neque ullum tam gravis mutationis vestigium exstat. Imo vero, ut supra ostensum est, fides Trinitatis ad apostolicam usque aetatem ascendit et ab ipsa divina revelatione derivatur. Econtra autem haereses mysterio SS. Trinitatis oppositae proponi atque invalescere non potuerunt, quin simul tota ecclesia commoveretur atque penitus fere perturbaretur. Cf. De verbo Dei revelato, qu. 1.

2. Fides Patrum, qui inde a saeculo 4. floruerunt. — Iam etiam Patrum saeculi 4. et subsequentis aetatis doctrina paucis exhibenda est, ex qua adhuc magis apparebit, qualis et quam constans et consona fides atque intelligentia Trinitatis in antiqua ecclesia fuerit; imprimis vero ad veram fidem et intelligentiam mysterii SS. Trinitatis pertinere apparebit, quod unitas naturae et essentiae in tribus personis subsistentis est unitas perfectissimae singularitatis; 12.

hoc enim iterum iterumque atque variis modis a Patribus inculcatur:

13. 1) *Docent eam unitatem vel identitatem naturae divinae profitendam esse, qua omnis polytheismi species excludatur.* — Ita v. g. *Basilius:* „Tametsi enim duo sunt numero, natura tamen divisi non sunt; neque, qui duas personas dicit, alienationem inducit. Unus est Deus et Pater, unus Deus et Filius, et non dii sunt duo; quoniam identitatem habet Filius ad Patrem. Non enim aliam in Patre divinitatem intueor, aliam in Filio: neque alteram naturam illam, et alteram hanc. Quocirca perspicua tibi fiat personarum proprietas, numera seorsim Patrem et seorsim Filium. Ut autem in Deorum multitudinem minime dissiperis, unam in ambobus profitere substantiam" (Cont. Sabell. 3.). Et *Augustinus:* „Credimus et tenemus et fideliter praedicamus, quod Pater genuerit Verbum, hoc est Sapientiam, per quam facta sunt omnia, unigenitum Filium, unus unum, aeternus coaeternum, summe bonus aequaliter bonum; et quod Spiritus Sanctus simul et Patris et Filii sit Spiritus et ipse consubstantialis et coaeternus ambobus: atque hoc totum et Trinitas sit propter proprietatem personarum, et unus Deus propter inseparabilem divinitatem, sicut unus omnipotens propter inseparabilem omnipotentiam: ita tamen, ut etiam cum de singulis quaeritur, unusquisque eorum et Deus et omnipotens esse respondeatur; cum vero de omnibus simul, non tres dii vel tres omnipotentes, sed unus Deus omnipotens; tanta ibi est in tribus inseparabilis unitas, quae sic se voluit praedicari" (De civit. Dei l. 11. c. 24.). — Videlicet una numero natura divina est in tribus personis divinis, Patre et Filio et Spiritu Sancto; secus non unus, sed tres dii essent, atque Polytheismus induceretur.

14. 2) *Declarant, catholicam veritatem mediam tenere viam inter errores oppositos Sabellianorum et Iudaeorum ex una et Arianorum et gentilium ex altera parte.* — Sic *Athanasius* asserit Trinitatis professione „Iudaeos pariter rubore perfundimus et gentilium confutamus calumnias, arbitrantium, nos cum Trinitatem dicimus, perinde plures Deos confiteri" (Orat. 4. c.

Arianos.). Et *Gregorius Nyssenus* verbis iam supra relatis: „Naturae singularitas partitionem respuit adeo, ut neque monarchiae dominatus in diversas divinitates secetur neque cum Iudaico dogmate fides nostra consentiat, sed inter duas opiniones interiecta veritas procedat et utramque sectam ita destruat, ut ab utraque, quod utile est, assumat. Etenim iudaicum dogma cum Verbi professione, tum fide, quae est in Spiritum Sanctum, evertitur; at gentilium in multos deos distracta superstitio per hoc extinguitur, quod inane commentum multitudinis naturae singularitas excludit. Rursus igitur e Iudaica persuasione naturae singularitas maneat; ex gentili autem errore solum discrimen hypostaseon; et utrinque congruenti remedio impia curetur opinio. Est enim velut medicina quaedam iis, qui circa unum aberrant, Trinitatis numerus; iis vero, qui in multitudinem dispersi sunt, singularitatis ratio" (Orat. catech. c. 3.). Et *Isidorus Pelusiota* scribit, vetus testamentum tres in Deo hypostases, naturam vero unicam docere, „ut et Iudaeorum minime sanam de una persona sententiam traducat; quorum sequens vestigia Sabellius ob ingenitam Filii cum Patre aequalitatem ad unam personam profitendam forte confirmatus est; et Gentilium in diis asseverandis pluribus excludat errorem, quorum Arius et Eunomius discipuli esse convicti sunt, qui hypostaseon discrimen ad essentiam stulte absurdeque traxerunt" (L. 1. epist. 143.). Denique clarissime *Fulgentius*: „Si quem vero audieris, ita tres personas, Patris et Filii et Spiritus Sancti dicere, ut velit tres naturas istarum trium personarum asserere, Arianum haereticum sine dubitatione intellige. Verum est enim, quod Sabelliani de natura Patris et Filii et Spiritus Sancti credunt; sed falsum est, quod tres personas esse non credunt. Verum est etiam, quod Ariani tres personas Patris et Filii et Spiritus Sancti dicunt; sed falsum est, quod istarum trium personarum tres naturas persuadere contendunt. Perverse itaque Ariani naturam Trinitatis dividunt, et personas Sabelliani confundunt; cum ita sit una natura Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut non una persona; quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti" (Ep. 8. ad Donat.).

15. *3) Statuerunt in Trinitate secus ac in Christo Deo-homine non esse aliud et aliud, sed alium et alium.* — Videlicet SS. Patres mysteria Trinitatis et Incarnationis cum invicem comparantes docuerunt, in Christo Deo esse aliud et aliud i. e. duas realiter distinctas naturas, non autem alium et alium i. e. unam numero personam; ergo cum dicunt in Trinitate quidem esse alium et alium, non vero aliud et aliud, intelligunt in Deo quidem esse plures realiter distinctas personas, unam vero numero naturam. Audiatur *Gregorius Naz.*: „Aliud quidem atque aliud sunt ea, ex quibus Salvator . . ., non tamen alius atque alius, absit. Porro aliud dico, contra quam in Trinitate res habet. Illic enim alius atque alius, ne personas confundamus, non autem aliud atque aliud, quoniam tria quoad divinitatem unum idemque sunt" (Ep. ad Cledonium). Similiter *Rusticus Diaconus*: „Trinitas personarum, non naturarum Trinitas est. Et rursus dualitas non personarum, sed naturarum dicitur circa Dominum Iesum Christum. Si igitur duas personas dicentes Patrem et Spiritum Sanctum, similiter duas naturas diceremus (quod est blasphemum) Filii esse personas, aut e converso duas dicentes Filii esse naturas, duas — quod absit — similiter diceremus naturas Patris et Spiritus Sancti, tunc calumniis vestris occasionem non absque verisimilitudine dederimus". (Cont. Acephal.). Et *Vincentius Lirinensis*: „In Deo una substantia, sed tres personae. In Christo duae substantiae, sed una persona. In Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud. In Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius. Quomodo in Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud? Quia scilicet alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Sed tamen Patris et Filii et Spiritus Sancti, non alia atque alia, sed una eademque natura. Quomodo in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius? Quia videlicet altera substantia divinitatis, altera humanitatis, sed tamen deitas et humanitas non alter et alter, sed unus idemque est Christus" (Commonitor. c. 19.).

16. *4) Statuerunt, unitatem essentiae divinae non logicam esse, sed realem vel ontologicam.* — Ita v. g. *Gregorius Naz.*:

„Nobis unus Deus est, quoniam una deitas . . . Quid autem dixerint fortasse, nonne apud ethnicos quoque deitas una est, ut docent, qui apud illos perfectius philosophantur, et apud nos genus universum nonne humanitas una: nihilominus tamen multi sunt dii et non unus, sicut etiam (multi) homines? At in his communitas habet unitatem sola ratione consideratam, singularia autem plurimum inter se divisa sunt . . . Nostrum non ita habet, sed unumquodque eorum (quaevis persona divina) cum altero non minus unitatem habet, quam secum ipso identitate essentiae et potentiae" (Orat. 31. al. 37. n. 14. ss.). Et *Ioannes Damascenus:* „Nam reipsa Petrus a Paulo discrepare cernitur; communitas autem, et naturae coniunctio atque unio ratione et cogitatione spectatur. Quippe mente hoc concipimus, Petrum et Paulum eiusdem esse naturae, ac communem habere naturam unam; quoniam unusquisque ipsorum animal est rationabile, mortale. Proinde communis ipsa natura ratione considerabilis est; at singillatim unaquaeque et per partes, hoc est per seipsa, separata est ac multis praedita, quae ipsam ab altera disiungunt, cuiusmodi sunt proprietates ac notae particulares; tum vero prae ceteris eo ipso, quod non insunt invicem, sed separatim existunt. Unde et duo et tres homines dicuntur et multi. Hoc vero in omni re creata videre licet. At vero in sanctissima Trinitate contra res habet. Ibi enim, quod commune est, et unum reipsa consideratur ob aeternitatis communionem et identitatem substantiae, actionis, voluntatis et ob consilii conspirationem et identitatem potestatis, facultatis, bonitatis. Non dixi similitudinem, sed identitatem" (De fide orthod. l. 1. c. 1. ss.).

5) *Expressis verbis declarant, inter tres personas discrimen in natura penitus nullum esse; totam vero distinctionem solis mutuis relationibus originis absolvi.* — Ita v. g. *Gregorius Naz.*: „Haec ipsa: non esse genitum et esse genitum et procedere designant alium Patrem, alium Filium, alium nomine Spiritus Sancti appellatum, ut servetur inconfusa distinctio trium hypostaseon in una natura et dignitate deitatis. Neque enim Filius est Pater, nam unus Pater, **17.**

tamen Filius est id quod Pater; nec Spiritus est Filius, q ex Deo est, nam unus unigenitus, tamen Spiritus est id, qu Filius: tres sunt unum deitate, unum est tres proprietatibu (Or. 31. al. 37. n. 9.). Et *Gregorius Nyssenus:* „Nam sentiae ratione est unum. Ideo in unum nomen respic Dominus in lege sua constituit; sed secundum proprietat quibus hypostases dignoscuntur, in Patris et Filii et Spiri Sancti fidem dividitur sine separatione partitum, et citra co fusionem unitum" (Cont. Eunom. l. 1. initio.). Necnon *Au stinus:* „Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem su non quod ad se sunt" (In Ioan. tract. 39.). „Nec alia qua causa est, quae divisionem faciat personarum, nisi qu hic ingenitus est, et ille genitus, id est: hic Pater est, ille Filius" (Serm. 58. de verbis Domini sec. Ioannem Denique *Isidorus Hispalensis*: „In relatione personarum T nitas est; in substantia vero naturae unus Deus est, Pa scilicet et Filius et Spiritus Sanctus" (Liber de differentiis 2 Itaque quidquid numerum vel multiplicationem dicit, perso vel relationes divinas respicit; natura igitur divina num una est.

18. 6) *Asseruerunt mysterium esse humanam rationem e cedens, quomodo unitas naturae cum personarum trinit componatur.* — Hoc scilicet item evidenter arguit, eos u tatem naturam intellexisse numericam; in specifica en plurium personarum unitate naturae nihil mysterii invenit Apposite *Maximus*: „Quid enim haberet admirationis, si hominis cum homine, ita Filii cum Patre esset unitas et visio?" (Centur. 2. de charit.). Porro *Gregorius Nyssen* urget: „Nullo sermone declarari potest ineffabilis profundit mysterii, quomodo res eadem et numerabilis est et numeru fugit, et cernitur in distinctione et in monade intelligitur distinguitur hypostasi et non dirimitur subiecto. Porro ali est ille, cuius est Verbum ac Spiritus, sed ubi in his co ceperis distinctionem, vicissim naturae unitas partitionem n admittit" (Orat. catech. c. 3.). Et *Sophronius*: „Hoc ipsu quippe (sc. deitas) et unum est et tria creditur . . . et n que unum quatenus unum accipitur ut tria, neque tria qu

s tria sunt, dicuntur unum, quod sane mirabile est et i plenum stupore. Eadem enim res et numerabilis est ugit numerum; numerabilis quidem tribus hypostasibus, ens numerum unicitate deitatis . . . Numeratur igitur 'rinitas non essentiis aut naturis et diversis deitatibus vel us dominationibus, absit, sicut insaniunt Ariani et sicut tritheitae furiunt vanissime dicentes essentias tres et ıras tres et tres dominationes et tres deitates" (Ep. synolecta in Concilio 6. Act. 11.).

7) *Varias loquendi formulas adhibuerunt, quibus nu-* 19.
*ica essentiae vel naturae divinae unitas manifesto impli-*r. — Sic *Epiphanius* confitetur „unitatem in Trinitate 'rinitatem in unitate, unam divinitatem Patris et Filii et itus Sancti" (haer. 62. n. 3.). *Athanasius* declarat, „nos n nomine Patris et Filii, ita et in nomine Spiritus Sancti tizari et effici filios Dei, non deorum; Patrem enim et ım et Spiritum Sanctum Dominum Sabaoth esse; unam idem esse divinitatem et unum Deum in tribus hypostas" (De incarn. Verbi n. 10.). *Gregorius Naz.* docet, tres ionas divinas „unum esse non hypostasi, sed divinitate unitatem in Trinitate adoratam, et Trinitatem in unitate ectam" (Orat. 12.). *Synnesius* canit: „Cano te unitas) te Trinitas. Unitas es, Trinitas cum sis. Trinitas es, as cum sis." (Hymn. 3.) *Maximus* docet „Patrem et um et Spiritum Sanctum esse μόναδα ter subsistentem" ıt. 1. c. 1.). *Ambrosius* declarat „unam esse in tribus atem, et tria esse, in quibus una deitas" (De symb. n. 2.). *ustinus* affirmat, „hanc Trinitatem esse unius eiusdemque ırae atque substantiae, et hanc non minorem esse in sins, quam in omnibus, nec maiorem in omnibus, quam in ulis, sed tantam in solo Patre vel in solo Filio, quanta Patre simul et Filio; et tantam in solo Spiritu Sancto, nta simul in Patre et Filio et Spiritu Sancto" (Ep. 66.). ıique *Patres Concilii Constantin. III. cum Agathone Papa* m exhibent „in Trinitatem in unitate et unitatem in Trite; unitatem quidem essentiae, Trinitatem vero personım sive subsistentiarum, Deum Patrem confitentes, Deum

Filium, Deum Spiritum Sanctum, non tres deos, sed unum Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum unam substantiam" (Act. 4.).

20. 8) *Communis antiquorum fides ex contentione quoque elucet, quae saeculo 4. exarsit de quaestione, utrum tres hypostases dicendae sint, an vero potius una hypostasis et tres personae* (τρία πρόσωπα). — Nimirum Patres orientales hypostasin dicentes eum, qui est hic unus distinctus ab aliis habentibus eandem naturam communem, tres in Deo asserebant esse hypostases, unam vero essentiam (οὐσίαν); tres vero personas vel tria πρόσωπα dicere volebant propter Sabellianismum vitandum. Econtra Patres occidentales hypostasin secundum ethymologiam intelligentes substantiam in Deo dicebant unam esse substantiam, tres vero personas. sc. personam intelligentes non sensu Sabelliano, sed catholico. Quare ex utraque parte commune disputationis suppositum erat unitas numerica substantiae vel essentiae divinae. Quod quidem evidens sane est et per se intelligitur, si de assertoribus unius hypostasis sermo est; sed etiam certum est. cum de assertoribus trium hypostasum quaeritur.

21. Etenim *primo Athanasius* refert, se tria ex assertoribus trium hypostaseon quaesivisse: an tres inaequales substantias crederent; an tres aequales, sed separatas; an tria principia profiterentur, atque hoc se ab omnibus responsum accepisse, ideo tantum tres ab ipsis asseri hypostases „quod in SS. Trinitatem crederent, non nomine tenus Trinitatem, sed quae vere sit atque subsistat . . ". Neque propterea se dicere tres deos aut tria principia, neque omnino eos, qui ita dicerent, tolerare; sed ipsos sanctam quidem Trinitatem agnoscere, unam tamen Deitatem ac unum principium, ac Filium quidem Patri consubstantialem . . . Sanctum vero Spiritum non creaturam, neque alienum. sed proprium et a substantia Filii et Patris indivisum." Tum assertores unius hypostasis interrogati num unam hypostasin asserentes negare velint tres esse realiter distinctos: Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, responderunt: „se nunquam ita sensisse; sed hypostasin

licimus censentes, perinde esse hypostasin dicere ac essentiam: unamque credimus hypostasin eo, quod Filius sit ex substantia Patris et propter identitatem naturae; unam quippe deitatem et unam eius naturam credimus, nec aliam quidem Patris, alienam autem ab illa Filii et Spiritus Sancti." Quare Athanasius concludit: „His et illi consentiebant, qui, quod tres hypostases dixissent, accusabantur; et ipsimet dicentes unam essentiam, probabant horum doctrinam, ut eam interpretati fuerant" (Epist. syn. ad Antiochen. n. 5. 6.).

Secundo eiusdem rei testis est *Gregorius Naz.*, quippe **22.** qui de hac controversia referens ait: „Res profecto ridenda vel potius lugenda; fidei videbatur diversitas, quae erat de sono vocis altercatio. Hinc deinde Sabellianismus ob tres personas exprobatus est et Arianismus ob tres hypostases, quae erant figmenta ex nimio studio disputandi" (Or. 21. n. 35.). Et iterum idem utramque partem interpellans: „Quid enim dicitis, qui tres hypostases affertis? an hoc eo dicitis, quod tres essentias existimatis? . . . quid vos, qui personas dicitis? num unum velut quiddam compositum fingitis animo, ac tres facies, aut omnino formam humanam habens? Absit, ipsi quoque inclamatis . . . Quid igitur, ut interrogare vos pergam, vobis hypostases volunt, aut vobis personae? nimirum tria esse, quae distinguantur, non natura, sed proprietatibus. Optime. An fieri potest, ut quidam inter se magis concordent atque idem dicant, quam cum ita sentiunt, tametsi alioquin syllabis discrepent?" (Or. 32.).

9) Mens Patrum de unitate Dei numerica ex contro- **23.** *versia quoque clarescit, quam eodem saeculo* 4. *de termino* ὁμοούσιος *cum Arianis gesserunt.* — De hac controversia referunt *Athanasius*, Orat. c. Arianos; *Basilius*, adversus Eunomium, de Spiritu Sancto; *Gregorius Naz.* or. 37.; *Hilarius*, de Trinitate; *Cyrillus Alexandrinus*, lib. thesaur. aliique. Porro Ariani cum catholicis in duobus conveniebant, scilicet Deum verum nonnisi unum esse, atque Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse tres personas distinctas; tertium autem, quod catholici asserebant, Filium (necnon Spiritum Sanctum) consubstantialem (ὁμοούσιον) esse Deo Patri ne-

gabant atque vehementer impugnabant. Potissima vero argumenta petebant ex falsa generationis notione, quam Catholici negabant; opinabantur enim Ariani, generationem proprie dictam omnem divisionem et multiplicationem naturae includere. Iam ex argumentis Arianorum atque Catholicorum responsionibus manifestum prorsus est, catholicos eam consubstantialitatem Filii cum Patre firma fide asseruisse, quae unitatem naturae non specificam sed numericam dicit.

24 Et *primo* quidem Ariani arguerunt, cum ex ipsa confessione catholicorum multiplicatio divinae naturae repugnet, nullam esse in divinitate generationem: hinc autem ex professione τοῦ ὁμοουσίου consequi, Filium cum Patre re identicum et ratione tantum distinctum esse; quae est impia Sabellii sententia. Responderunt Catholici cum *Gregorio Nazianzeno*, ex consubstantialitate sequi quidem, Filium esse quod Pater est, et Spiritum, quod Filius, non autem Filium esse Patrem vel Spiritum esse Filium; sequi tria haec esse unum, si divinitatis rationem ducas, et unum tria, si proprietates tibi obversentur, ut nec unum Sabellio, nec tria pestiferae divisioni faveat (Orat. 37).

25. *Secundo* opponebant Ariani, ex professione generationis Filii consubstantialis ex Patre consequi, substantiam divinam instar materiae praeiacentis esse, ex qua distributa sint Pater et Filius; vel quod idem est opponebant, Filium secundum catholicos esse ex divisione paternae substantiae. Responderunt Patres, absurdam esse quamvis divinae substantiae divisionem; sed Filium esse ex Patre non tamquam partem ex toto, sed tamquam totum ex toto, ita ut eandem prorsus naturam divinam, quam Pater ex se habet, Filius possideat generatione communicatam; hinc, cum eadem sit Patris et Filii natura, aliam et aliam esse solum eorundem hypostases. Ad rem *Athanasius*: „Ceterum non ex parte tantum divinitatis forma est, sed τὸ εἶναι τοῦ υἱοῦ plenitudo est divinitatis Patris, ac totus Deus est Filius“ (orat. 3.). Et iterum: „Quia Deus ex Deo est . . . idcirco unus Deus in scripturis annuntiatur. Cum enim Verbum unius Dei sit Filius, ad illum, cuius est, refertur, ita ut duo quidem sint Pater et

Filius, unitas vero divinitatis individua sit nulloque modo separabilis" (orat. 4.).

Tertio Ariani obiciebant, ex professione τοῦ ὁμοουσίου 26. posita generatione in divinitate consequi multiplicationem naturae divinae ideoque pluralitatem deorum. Responderunt catholici cum *Athanasio*: „Si is, qui Patrem et Filium agnoscit, duos deos dicit, necesse est igitur, ut Filio repudiato a Sabellio stet, qui unum esse credit. Nam si is, qui duos dicit, gentilis est; igitur ille, qui unum dicit, Sabellianus est. Verum non ita se res habet, absit. Sed quemadmodum is, qui Patrem et Filium duos esse agnoscit, unum Deum confitetur, ita ille, qui Deum unum credit, Patrem et Filium duos esse credit, sed unum divinitate, et quatenus ex Patre natum Verbum ab ipso Patre nec separari nec dividi nec seiungi potest. Humano si placet utamur exemplo. Ignis et splendor ex eo ortus duo quidem sunt, quatenus existunt et cernuntur, unum vero sunt, quatenus splendor ab igne est, nec dividi ab eo potest" (Orat. 4.).

Corollarium.

Terminus* ὁμοούσιος *primitus et per se quidem solam diversitatem naturae excludit; veruntamen, ut a Patribus Nicaenis symbolo adiectus et ad Trinitatem relatus est, non tantum diversitatem sed etiam distinctionem naturae excludit. 27. — Propositio isthaec iam in antecedentibus praeformata est, ideoque brevis eiusdem explicatio vel demonstratio sufficit. Itaque:

1) *Terminus* ὁμοούσιος *per se et primitus solam diversitatem naturae excludit.* — Etenim prima vocis significatione seu Ethymologia attenta, ea universim ὁμοούσια seu consubstantialia dicuntur, quae eandem sive specie sive numero naturam habent; quare primitus et per se identitas realis vel numerica unitas naturae eo termino non exprimitur; imo vero in creaturis, utpote quae eandem numero naturam habere nequeunt, idem terminus semper specificam solum naturae unitatem denotat. Et hac quidem significatione vo-

cabulum ὁμοούσιος non apud profanos solum, sed etiam apud ecclesiasticos scriptores adhibitum reperitur. Sic v. g. ***Basilius***: „Itaque cum duobus aut etiam pluribus simul coniunctis, ut Paulo Silvano et Timotheo, inquiritur essentiae humanae definitio, non aliam quis in Paulo reddet essentiae rationem, aliam in Silvano et aliam in Timotheo, sed quibus verbis Pauli essentia ostensa fuerit, eadem etiam aliis convenient, et consubstantiales inter se sunt, qui eadem essentiae ratione designantur" (Ep. 38. ad Gregorium fratrem). Et ***Maximus Martyr***: „Consubstantiale est, quod eadem essentiae definitione continetur. Sic homo nihil differt ab homine, quatenus homo est" (De Trinit. dial. 1.). Et ipsa fidei professio ***Concilii Chalcedonensis***: „Secuti igitur Sanctos Patres unum et eundem fatemur Filium, consubstantialem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis secundum humanitatem."

28. 2) ***Idem terminus, ut a Concilio Nicaeno adhibitus et ad Trinitatem relatus est, etiam singularitatem naturae exprimit.*** — Quod ***primo*** patet ex ipso scopo, quem Concilium prosequebatur. Cum enim Arianis maxime exosa esset affirmatio Catholicorum, Filium per generationem a Patre ipsam substantiam divinam habere, a Concilio quasi ut tessera fidei statuendus erat terminus aliquis technicus, qui concise et clare doctrinam catholicam contineret et Arianorum fraudes ab Athanasio (de decret. syn. Nic. n. 19. ss.) relatas et supra memoratas eluderet. Huiusmodi terminum aptiorem invenire non potuerunt quam vocabulum ὁμοούσιος. Hinc inexpiabile odium, quo Ariani istam vocem persecuti sunt.

29. *Praeterea* hanc vim et significationem termino ὁμοούσιος Patres tribuerunt, qui catholicum dogma et concilium Nicaenum contra Arianos strenue defenderunt: quorum plures supra iam citati sunt. Addi possunt ***Athanasius***, epist. ad African., ep. de syn. Arimin. et Seleuc.: ***Hilarius***, lib. de synodis; ***Marius Victor***, cont. Arian. l. 2.; ***Basilius***, ep. 300; ***Gregorius Naz.*** orat. 49.; ***Ambrosius***, de fide l. 3. c. 7.; ***Augustinus***, cont. sermon. Arian. Audiatur solus praecipuus catholicae fidei contra Arianos antesignanus, ***Athanasius***:

„Scripserunt (Patres Nicaeni), Filium Patri esse consubstantialem, ut significarent, Filium non tantum similem, sed similitudine ex Patre unum idemque esse (quod est Pater) μὴ μόνον ὅμοιον, ἀλλὰ ταὐτὸν τῇ ὁμοιώσει . . . Namque in corporeis quidem, quae sunt similia inter se, possunt distare et invicem longe abesse, quomodo se habent inter homines filii ad suos genitores, sicut scriptum est de Adam et Seth ex ipso genito, fuisse ei similem secundum speciem suam. Cum vero filii Dei generatio ex Patre diversa plane sit a natura hominum, nec solum similis ille sit, sed indivisibilis a substantia Patris, atque ipse et Pater unum sint, ut idem dixit, semperque Verbum sit in Patre et Pater in Verbo, sicut se habet splendor ad lucem; hoc enim et illa dictio significat; idcirco synodus haec perspiciens recte scripsit: ὁμοούσιον . . . Filium splendorem omnes dixerunt, ut eum proprie et sine divisione esse ex substantia ac unitatem cum Patre declararent. Procul autem hinc absit omnis cogitatio de corporeis . . . humanos sensus non debemus sequi nec divinitatis partitiones et divisiones fingendae sunt, sed tamquam de rebus incorporeis cogitantes unitatem naturae et identitatem lucis non dividamus" (De decret. Nicaen. n. 20.)

Denique ex ipsius subiecti, quod ὁμοούσιον praedicatur **30.** consideratione idem consequitur. Idem enim est dicere personas divinas non diversae, sed eiusdem naturae esse, ac affirmare, eas eandem numero habere naturam. Etenim terminus ὁμοούσιος, si quidem ratione substantiae vel naturae omnem multiplicabilitatem absolute et necessario excludentis dicitur, realem essentiae identitatem vel unitatem non includere non potest.

Notanda est hoc loco quaestio aliqua historica: num **31.** scilicet, ut primi Semiariani contenderunt, synodus Antiochena, habita anno 269. contra Paulum Samosatenum, terminum ὁμοούσιος ad Trinitatem relatum damnaverit. Duo solum pro scopo huius tractationis breviter animadvertere satis est. *Primo* si historia haec primum a Semiarianis in sua synodo Ancyrana a. 358 collectis relata non sit conficta, tum, ut referente *S. Hilario* (de synod. n. 81.) iidem narrant, terminus

ὁμοούσιος solum in sensu a Paulo Samosateno usurpato reiectus est, qui scilicet „per hanc unius essentiae usurpationem solitarium atque unicum (i. e. unam personam) sibi esse Patrem et Filium praedicabat.“ In sensu genuino terminus iam antea ab utroque Dionysio Romano et Alexandrino adhibitus erat et paulo post communis evasit. — Verum *secundo* improbabile prorsus non fuerit, historiam totam a Semiarianis esse studiose confictam; etenim ex una parte nullum illius damnationis vestigium ante synodum illam Ancyranam in historia occurrit; ex altera vero parte Semiariani, utpote termino ὁμοούσιος tamquam tesserae catholicae fidei infensissimi, rationem habuerunt et reipsa studuerunt, Concilio Nicaeno opponere aliud Concilium. Cf. *Maranus*, de divinitate D. N. I. Chr.; *Hergenröther*, aliique historiae ecclesiasticae scriptores.

Scholion.

32. ***Difficultates quaedam expediuntur.*** — Duplex series difficultatum expedienda restat, ut doctrina traditionis absolvatur. Et prima quidem series ex speculativa mysterii explicatione a Patribus quibusdam postnicaenis tradita derivatur et imprimis divinae naturae unitatem respicit; altera series in quibusdam obscurius dictis Patrum vel scriptorum antenicaenorum continetur.

1) *Obiectiones contra divinae naturae unitatem ex Patribus postnicaenis derivatae.* — Imprimis ad Patrum eorum doctrinam rite intelligendam considerandum est, diversas haereses dogmati SS. Trinitatis in antiquitate oppositas ex uno eodemque principio fere omnes processisse, ex falsa scilicet opinatione naturam et hypostasim esse tum re tum ratione identicas ideoque tot semper esse naturas distinctas, quot sunt hypostases distinctae. Hinc enim alii (Sabelliani) urgentes naturae divinae unitatem tum revelatione tum ratione certissimam etiam hypostasim divinam unam tantum esse inferebant, quae secundum diversas manifestationes ad extra diversis nominibus Patris et Filii et Spiritus Sancti designetur. Alii vero doctrinam revelatam trium di-

vinarum hypostaseon realiter distinctarum retinentes, tres pariter esse naturas divinas realiter distinctas asserebant adeo. ut unitas naturae divinae diceretur non singularitatis vel numerica, sed specifica vel collectiva (Tritheitae). Denique alii simul unitatem naturae divinae necnon distinctionem realem inter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum retinere volentes, Filium et Spiritum Sanctum ex ordine divino ad ordinem creatum deprimere ausi sunt (Ariani, Macedoniani). Quare SS. Patribus, ut commune harum haeresum principium diruerent, vindicanda et explicanda erat distinctio, quae inter naturam et hypostasim intercedit. In hac autem re plane inversa via, quam haeretici incesserunt. Cum enim hi dogma revelatum notionibus mere philosophicis accommodarent adeoque ipsum deformarent, SS. Patres ex inverso firmiter innitentes veritati revelatae, quae tres dictinctos unum Deum esse docet, et simul consideratis creaturis vel prae oculis habita tum revelatione tum ratione veras naturae et hypostasis rationes statuerunt atque deinde easdem ad explicandum Trinitatis dogma applicarunt. Iam in creaturis natura essentia dicitur, quae secundum eandem rationem pluribus inest ideoque eisdem communis est, hypostasis vero dicitur subiectum habens naturam, ideoque hypostasis non dicit aliquid commune, sed aliquid proprium; vel est alius et alius in eadem natura. Quare, cum plura secundum naturam conveniant secundum hypostasin vero differant, in creaturis apertum est aliquod esse discrimen inter naturam et hypostasin. Non eadem quidem sed analoga ratione secundum revelationem tres sunt: Pater et Filius et Spiritus Sanctus, qui habent naturam divinam vel Deus sunt. Iam considerantes hanc analogiam SS. Patres universim naturam definiebant communem pluribus essentiam vel definitionem, hypostasin autem subiectum unum ab alio distinctum eiusdem naturae. Communem vero hanc notionem Deo et creaturis adhibentes SS. Patres communiter omnino perspectum habuerunt, hanc communitatem notionis non univocam sed analogam esse; i. e. intelligebant unitatem naturae in Deo et creaturis aliam et aliam esse; scilicet in his solum logicam, in illo realem;

quod ex testimoniis pluribus supra adductis manifestum est; insuper videbant discrimen inter personas divinas non sicuti inter creata in aliquo absoluto, sed in aliquo relativo contineri, ut pariter iam constat. Iam his generatim notatis, singulae difficultates ex diversis testimoniis derivatae facile solvuntur. Exemplo sint aliqua.

33. a) *Opponitur Basilius*, utpote qui unitatem naturae divinae in distinctis personis aequiparet unitati naturae humanae in diversis hominibus atque expresse declaret, unitatem naturae divinae nequaquam esse numericam; unde consequens esse videtur, Basilium unitatem solum universalem naturae divinae agnovisse (Ep. 43. et alibi pluries). — *R. Primo* testimonia Basilii supra allata eius rectam hac in re fidem indubiam reddunt. *Secundo* Basilius sicut alii Patres unitatem naturae divinae cum unitate naturae humanae comparat quidem, nequaquam vero aequiparat; imo vero saepius expressis verbis docet, unitatem communitatemque naturae divinae esse καινὴν καὶ παράδοξαν ideoque talem, cui nihil simile in creaturis inveniatur. *Tertio*, quando Basilius unitatem naturae divinae numericam non esse declarat, unitatem Deo eam negat, quae numeri elementum est, sive quae est unitas individui cum aliis in specifica natura convenientis; nequaquam autem divinae naturae unitatem perfectissimam absolutae singularitatis alia individua eiusdem specificae naturae excludentis negat, verum hanc expressis verbis vindicat. *Denique* generatim notandum est, ad varia tum Basilii tum aliorum Patrum testimonia rite intelligenda considerandum esse, contra quos adversarios, sc. an Arianos an Sabellianos an alios iis locis agant.

34. b) *Obiiciuntur quaedam ex Augustino et Gregorio Naz.*, quippe quorum primus animadverterit, scripturam non contradicere, quominus dicantur tres essentiae (De Trinit. l. 7. c. 4. n. 8.), alter vero triplicem deitatem, vitam, sanctitatem, gloriam admiserit: „Triplex deitas me (e lavacro baptismatis) Luciferum oriri fecit“ (orat. 23. coll. 34.). — *R. Primo* etiam horum doctorum fides genuina certa est ex testimoniis supra productis. *Secundo* quod Augustinum attinet, animad-

vertendum est, eum l. c. non dicere, secundum scripturam tres esse essentias divinas, sed potius ad hominem argumentans et adversarios retorquens quaerit: „Cur ergo et tres essentias non licet dicere, quod similiter scriptura sicut non dicit, ita nec contradicit (expresse scilicet)?" Deinde autem ibidem rationes subiicit, quibus appellatio trium essentiarum tamquam falsa excluditur. v. g.: „Quia hoc illi est Deum esse, quod est esse, tam tres essentias quam tres Deos dici fas non est" (ibid. n. 9.; cf. n. 11. ss.). *Tertio*, qua ratione vero Gregorius Naz. triplicem deitatem dicat, ipse alibi definit: „Deum, dum dico, uno eodemque triplici lumine perstringamini; triplici quidem, quantum ad proprietates seu hypostases; uno autem, quantum ad substantiae h. e. divinitatis rationem" (Orat. 39. n. 11.). Itaque Deitas triplex dicitur non essentia vel natura sed hypostasi vel persona.

c) *Tertio* opponuntur imprimis Gregorius Nyssenus at- 35.
que Ioannes Damascenus, acsi divinae naturae in tribus personis communitatem tantum logicam non realem agnoverint: etenim simpliciter aequiparare videntur unitatem naturae divinae cum unitate naturae humanae in diversis hominibus. Sic v. g. *Damascenus:* „Quocirca omnia, quae Pater habet, Filii sunt, hoc uno excepto, quod ingenitus non est: quae quidem vox nec naturae discrimen, nec dignitatem, sed subsistendi modum indicat. Haud secus atque Adam, qui genitus non est (figmentum enim Dei est) et Seth, qui genitus (filius enim est Adami) et Eva, quae ex Adami costa prodiit (neque enim ipsa genita est), natura inter se minime differunt (homines enim sunt) sed existendi modo" (De fide l. 1. c. 8). Similiter *Gregorius Nyssenus* (Ad Adlabium; de communibus notionibus). — Gregorium Nyssenum et Ioannem Damascenum cum ceteris Patribus in numerica divinae naturae unitate profitenda convenire item certum est ex testimoniis eorundem supra allatis. Quod autem ad testimonia eorundem modo obiecta attinet, aliter dicendum est de Nysseno et aliter de Damasceno.

Et *Gregorius Nyssenus* quidem ll. cc. quaestionem trac- 36.
tans, cur, cum tres personae divinae sint, unus tamen Deus

dicendus sit, rationem hanc assignat, quod distinctio non in essentia, sed in personis sit, vel quod una essentia in tribus personis subsistat. Quod deinde unitate naturae humanae in diversis individuis illustrat, et contendit, etiam diversa individua humana verius dici unum hominem, quam multos homines: „Dicimus igitur, abusum quendam esse consuetudinis, ut eos, qui natura discreti non sunt, per ipsum naturae nomen pluraliter nominemus ac dicamus: multi homines: cui simile est, si quis dicat: multae naturae humanae . . . Multi quidem sunt eandem sortiti naturam, unus vero in omnibus est homo . . . Sed hypostaseon quidem ratio per eas, quae in unoquoque considerantur proprietates dispertitionem admittit et per computationem in numero consideratur; natura vero una est, ipsa secum unificata, ac individua prorsus unitas est, quae neque additione augetur, neque subtractione minuitur; sed, quod est unum permanens, etiamsi in multis esse cernatur, indivisibilis, continua, integra est, quae non simul cum singularibus, qui eius participes sunt, dividitur . . . ut multo rectius fuerit errantem in nobis consuetudinem corrigere et non amplius naturae nomen ad multitudinem extendere, quam consuetudini servientes errorem, qui hic latet, etiam ad divinum dogma transferre . . . Igitur unus nobis confitendus est Deus iuxta scripturae testimonium: *Audi Israël, Dominus Deus tuus Dominus unus est*; etiamsi nomen deitatis ad totam pertineat sanctam Trinitatem" (Ad Adlabium). Videlicet haec Nysseni expositio errorem philosophicum circa essentiam communem in creaturis, non vero theologicum circa divinam Trinitatem continet, i. e.: Gregorius secundum catholicam fidem unitatem perfectissimae singularitatis naturae divinae in tribus personis subsistenti tribuit; sed velut exemplum eiusdem unitatem numericam naturae humanae in diversis individuis subsistentis affert, qualis unitas humanae naturae nec convenit nec ullo modo convenire potest.

37. *Secundo* I. Damascenum falso cuiuslibet erroris hac in re culpari apertum est, cum ipse clare perspexerit, aliam esse unitatem naturae divinae et aliam naturae humanae,

illam scil. realem, hanc vero solum logicam. Et *unitatem quidem logicam humanae naturae* his verbis inculcat: „Hoc autem nosse interest, quod aliud sit quoad rem, et aliud ratione ac cogitatione considerari. Enimvero in omnibus creaturis discretio quidem personarum quoad rem consideratur. Re quippe ipsa Petrum a Paulo separatum consideramus: communitas autem et coniunctio atque unitas ratione atque cogitatione perspicitur. Per mentem enim concipimus Petrum et Paulum eiusdem esse naturae naturamque unam communem habere. Nam uterque eorum animal rationale et mortale est: et uterque caro est anima rationali et intelligente praedita. Haec itaque communis natura ratione consideratur" (L. 1. c. 8. n. 4. 9.). Deinde statim ex adverso *realem divinae naturae unitatem* claris verbis profitetur et urget: „In sacrosancta vero et substantiam omnem exsuperante, atque ultra res omnes evecta et incomprehensibili Trinitate, contrario modo se res habet. Illic enim communitas quidem et unitas reipsa consideratur, tum quia personae coaeternae sunt, tum quia illarum eadem est essentia, facultas, voluntas, sententiae conspiratio, eadem quoque auctoritas, potentia, bonitas. Non dixi, similitudinem, sed identitatem, atque unam motionis praesultationem (i. e. unam vitalem operationem). Una enim est essentia, una bonitas, una potestas, una voluntas, una facultas, una auctoritas: una, inquam, et eadem, non tres inter se similes, sed una plane eademque trium personarum motio. Unaquaeque enim ipsarum non minus unitatem habet cum alia, quam ipsa secum. Unum quippe idemque omnino sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus: nisi quod Pater ingenitus est, Filius genitus, et Spiritus Sanctus processit" (Ib. n. 40.). Ex hac autem expositione prorsus manifestum est, I. Damascenum verbis supra obiectis non eandem tribuere habitudinem naturae humanae et divinae in diversis personis subsistentibus, sed tantum similem vel analogam.

2) Obscurius quaedam dicta scriptorum antenicaenorum explicantur. — Concedendum quidem est, apud scriptores antenicaenos, quod SS. Trinitatem attinet, occurrere quaedam obscurius vel etiam minus accurate dicta. Verumtamen 38.

maxime cavendum est, ne ideo illorum scriptorum plures nedum omnes erroris circa dogma Trinitatis accusentur. Eiusmodi enim accusatio certo falsa et iniusta est. Quod constat *primo a posteriori* ex demonstratione supra instituta, utpote qua communem et continuam fuisse in antiqua ecclesia genuinam Trinitatis fidem demonstratum est; idem *etiam a priori* quasi constat ex principio traditionis (explicato et vindicato in tractatu de verbo Dei revelato), quippe quo certum est, veritatem revelatam, imprimis dogma tam fundamentale, ab omnibus fidelibus explicite credendum et in ipsa baptismi initiatione profitendum, non potuisse in ecclesia corrumpi nec perverti. Quae cum ita sint, ea, quae in antenicaenorum Patrum scriptis difficilius explicari posse videntur, potius rationem loquendi, quam ipsam rem, necnon aliquando philosophicam explicationem, quam ipsum dogma spectare dicenda sunt. Hinc ad diversa illorum scriptorum dicta intelligenda et explicanda illud maxime confert, quod sapienter iam monuit *I. Chrysostomus*: „Oportet inquirere, qua sententia quaeque dicantur, de qua materia seu argumento agatur, quidque corrigere studeat, qui loquitur" (In ep. ad Rom. hom. 25.). Qua regula prae oculis habita intelligitur, fieri potuisse, ut, quemadmodum ipse *Athanasius* animadvertit, „antequam in Alexandria quasi daemonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quaedam et minus caute locuti sint et quae non possint perversorum hominum calumniam declinare" (Ap. Hieronym. Apol. c. Rufin. 2, 17.). Item intelligitur, sine discrimine in ipsa fide eosdem terminos theologicos a diversis scriptoribus vel diversis temporibus alio et alio sensu usurpari potuisse et usurpatos esse, ut iam supra de terminis οὐσία, ὑπόστασις, ὁμοούσιος notatum est.

39. Iam qui hac norma vera et certa praelucente in scriptorum antenicaenorum fidem inquisiverit, eundem inquisitionis fructum habebit, ad quem Petavius, qui prius aequo durius aliquos Patres antenicaenos iudicaverat, nova inquisitione instituta (cf. Praefat. in ll. de Trinitate) pervenit; scilicet declarat: „Paucissimi illi sunt, qui in re dissentiunt a communi fide et, si sinceros purosque catholicos quaerimus, omnino

nulli. In re ipsa dixi; nam in loquendi modo paululum quosdam variasse in tertio et quarto capite primi libri de Trinitate monstravimus. Deinde cuiuscemodi tandem istorum scripta et testimonia sunt, in praecipuis tamen, et quae ad summam spectant mysterii totius, ut concordes invicem sunt, ita nobiscum congruunt" (Ib. c. 1. n. 12.). Et accurata demonstratione instituta concludit: „Hac testium, virorum sanctissimorum eruditissimorumque, copia fidem nostram liberasse et id, quod propositum erat, cumulate nos praestitisse confidimus, ut catholici de Trinitate dogmatis fidem omnes intelligerent per traditionis seriem ac velut canalem a Christo et Apostolis ad nicaena cucurrisse tempora, a quibus deinceps ad extrema usque mundi saecula plenis velis et continuato cursu provehitur" (Ib. c. 6. n. 1.). Cf. *Franzelin*, th. 11. et 12.; *Régnon*, op. cit; *Stentrup*, Christologia I.; *Baltus*, défense des SS. Pères accusés de Platonisme; *Theologische Quartalschrift* (Tübingen) 1850; *Der Katholik*, 1887 II.

His vero universim notatis singulares quidam difficiliores **40.** vel obscuriores modi loquendi in specie per modum obiectionum propositarum considerandi sunt; ad quos ceteri reduci possunt.

a) Patrem aliqui Deum vocant, Filium vero Dominum vel Pontificem sempiternum. Ita v. g. Clemens R., Polycarpus aliique. — *R.* Cum Pater fons et origo ceterarum personarum sit, speciali modo sive per antonomasiam vel appropriationem Deus vocatur; neque autem ideo ceteris personis divinitas denegatur. Praeterea vocabulum *Dominus* (κύριος) nequaquam inferius est vocabulo *Deus;* quod ex scriptura constat et a S. Chrysostomo praeclare contra Anomaeos ostenditur (Orat. 5. c. Anom.). Apposite etiam *Gregorius Naz.:* „Pietatis doctrina, ut sciamus unum Deum, ingenitum Patrem, unum genitum Dominum Filium, qui Deus quidem appellatur, quando per se et seorsum dicitur, Dominus autem, quando cum Patre nominatur; illud propter naturam (sc. quia una deitas), hoc propter unitatem principii" (διὰ τὴν μοναρχίαν). (l. c.)

b) Item aliqui Patrem dicunt superiorem aliis personis, **41.** et Filium Patri subiectum, necnon Patrem Filio sive Verbo

praecepisse mundi creationem. Ita Irenaeus, Iustinus aliique. *R.* Pater superior dicitur ceteris personis non ad aequalitatem ceteris personis denegandam, sed ad prioritatem originis inculcandam; eodem sensu Filius Patri subiectus dicitur, vel etiam Filius secundum naturam humanam spectatur; denique praeceptum a Patre Filio datum non intelligitur mandatum a superiore inferiori impositum, sed communicatio eiusdem divinae voluntatis per generationem. Ita ipsi Patres hos terminos explicant, v. g. *Basilius*: „Quod dicitur mandatum, ne sermonem imperiosum per vocalia organa prolatum intelligamus, Filio velut subdito praescribentem, quid facere debeat; sed, ut Deum decet, cogitemus voluntatis communicationem, velut formae cuiusdam irradiationem in speculo a Patre in Filium aeternaliter dimanantem" (De Spiritu Sancto n. 38.). Eodem sensu *Patres Concilii Antiocheni* contra Paulum Samosatenum: „Filium, qui semper cum Patre est, credimus implevisse voluntatem paternam in creatione universi. Ipse (Pater) enim dixit et facta sunt: ipse mandavit et creata sunt. Qui autem mandat, alteri mandat, quem non alium esse persuasum habemus, quam unigenitum Filium Dei Deum . . ., quippe qui vere est et operatur, utpote Verbum simul et Deus, per quem omnia fecit Pater, non tamquam per instrumentum nec tamquam per scientiam non subsistentem: generavit quidem Filium Pater tamquam actum vivum et per se subsistentem, omnia in omnibus operantem" (Ap. Mansi, Concil. coll. tom. I.).

42. c) Similiter docent, Filium et Spiritum Sanctum Patri in mundi creatione ministrasse. Ita v. g. Irenaeus, Theophilus et alii. — Difficultas fere eadem atque eadem ratione solvenda est ac praecedens. Itaque *primo* eadem formula loquendi vel similibus utuntur etiam Patres, qui post Concilium Nicaenum floruerunt et quorum fides orthodoxa extra omnem suspicionem posita est; ut v. g. Hilarius, Athanasius, Basilius, Gregorius Naz., uterque Cyrillus. *Praeterea* considerandum est, Patres tum his loquendi formulis usos esse, quando refutabant vel Sabellianos distinctionem personarum negantes vel Gnosticos absurde asserentes mundum virtute a

Deo abscissa seu apostata creatum esse. Contra eos autem haereticos eae locutiones aptae erant, praesertim quia in contextu Patres ea addere solebant, quibus singulare prorsus ministerium et diversum ab eo creaturarum esse patet et aequivocatio omnis excluditur. Audiatur *Irenaeus*: „Non indiget Deus ministerio (Angelorum) ad fabricationem eorum, quae facta sunt, sed habet copiosum et inenarrabile ministerium. Ministrat enim ei ad omnia sua progenies et figuratio sua, id est Filius et Spiritus Sanctus, Verbum et Sapientia, quibus serviunt et subiecti sunt omnes angeli" (L. 4. c. 17.). Scilicet Verbum et Spiritus Sanctus Patri ministrare dicuntur, quatenus simul cum Patre mundum non crearunt nisi natura vel voluntate per generationem aut spirationem a Patre accepta.

d) Item aliqui docent, Patrem voluntarie Filium generasse; unde Filium ens contingens sive creaturam habuisse videntur. — *R.* Duplici modo aliquid voluntarie vel voluntate fieri dici potest, ut notat *S. Thomas*: „Cum dicitur aliquid esse vel fieri voluntate, dupliciter potest intelligi. Uno modo, ut ablativus designet concomitantiam tantum, sicut possum dicere, quod ego sum homo mea voluntate, quia scilicet volo me esse hominem. Et hoc modo potest dici, quod Pater genuit Filium voluntate, sicut et est voluntate Deus, quia vult se esse Deum, et vult se generare Filium. Alio modo sic, quod ablativus importet habitudinem principii . . ., et secundum hunc modum Deus Pater non genuit Filium voluntate, sed voluntate produxit creaturam" (S. th. 1 p. q. 41. a. 2.). Iam non hoc sed illo modo Patrem Filium voluntarie genuisse dixerunt; ut ex scopo patet, quem sic loquentes prosecuti sunt. Etenim hoc Arianorum contra divinitatem et generationem Verbi sophisma ipsis evadendum erat: Pater Filium genuit aut volens aut nolens; si volens genuit, Filius contingens vel creatura est; si vero nolens genuit, generatio invita et coacta fuit, qualis Deum dedecet. Ergo. 43.

Itaque SS. Patres hoc sophisma repellentes aut negarunt, Patrem Filium voluntarie genuisse, et tum libertatem vel contingentiam generationis excludunt; aut voluntarie Pa- 44.

trem generasse docent et ea ratione non quidem libertatem sive contingentiam generationis concedunt nec eiusdem necessitatem vel spontaneitatem naturalem negant, sed coactionem, necessitatem fati, invitam voluntatem excludunt. Testis huius interpretationis ipse est *Athanasius*: „Num quia ex natura, non autem ex voluntate sit Filius, iam etiam praeter voluntatem Patris et nolente Patre est Filius? Minime vero, sed potius Pater vult Filium . . . Ut enim non ex voluntate bonus esse coepit, nec tamen contra sententiam et voluntatem bonus est; namque hoc quod est ipse vult esse . . . sic cum Filius proprius sit eius naturae, non praeter voluntatem eius est. Sit ergo volitus et dilectus Filius a Patre, haecque ratione pie quis cogitet, Deum velle et non nolle" (Orat. 3. c. Arian. n. 66.). Et *Ambrosius*: „Ergo nec invitum dixerim nec volentem . . . Nam sicut bonus Pater non aut ex voluntate est aut necessitate (i. e. invitus vel coactus), sed super utrumque, hoc est natura, ita non generat ex voluntate aut necessitate Pater" (De fide l. 4. c. 9. n. 103. Cf. *Augustinus,* de Trinit. l. 15. c. 20. n. 38.; *Hilarius*, de synod. n. 69.).

45. e) Dicunt Filium visibilem esse et reipsa visibiliter apparuisse. Patrem vero prorsus invisibilem esse, atque aliquando huius invisibilitatis rationem assignant immensitatem eiusdem. Ita Irenaeus, Theophilus, Iustinus. — *R*. Filius visibilis et visibiliter apparuisse dicitur ratione incarnationis et theophaniarum in scriptura V. L. relatarum. In his enim theophaniis inprimis Filium apparuisse et suae incarnationi praelusisse Patres plerumque censuerunt. Unde Filium ratione naturae humanae vel natae vel praefiguratae visibilem dixerunt. Addunt autem rationem congruentiae, ob quam Filius potius quam Pater visibiliter apparuerit, scilicet: conveniens erat, ut Deus per eundem ad intra et extra manifestaretur; manifestatio autem interna Patris est Filius seu Verbum: ergo. Denique quando Patres dicunt Patrem apparere non posse ratione suae immensitatis et eminentiae, non absolutam possibilitatem spectant, sed praecise apparitiones prae oculis habent, quae reipsa a scriptura V. L. (ex

eorum saltem opinione) exhibentur, et in iis praefiguratam considerant naturam humanam limitatam et circumscriptam non a Patre, sed a Filio assumendam; cum igitur ratione huius naturae praefigurandae illas apparitiones factas esse censerent, Patri eas tribuere non poterant, sed eum ratione naturae divinae immensae et incircumscriptae invisibilem praedicarunt, quin ideo Filio immensitatem negarent. Insuper, cum persona divina mitti non dicatur, nisi quae procedat, ille autem apparens missus dicatur, etiam ex hac ratione illas apparitiones non Patri sed Filio attribuerunt, Patrem vero etiam propter eius eminentiam, i. e. quia ingenitus est vel non procedit, invisibilem praedicarunt. Cf. ***Franzelin,*** th. IX.

f) Aliqui Patres Sapientiam (i. e. Verbum sive Filium) a Deo primo creatam vel simul cum creatione rerum generatam esse dicunt. — ***R.*** Quando Patres sic loquuntur non intelligunt creationem proprie dictam nec generationem temporalem, sed modum loquendi scripturae prae oculis habentes temporalem Verbi ab aeterno geniti manifestationem in rerum creatione exprimere volunt. Videlicet triplicem generationem necnon triplex Verbum vel potius triplicem Verbi statum aliquando distinguunt: Prima est generatio aeterna et interna seu propria, et secundum hanc Filius est ***Verbum insitum*** sive λόγος ἐνδιάθετος; altera est generatio temporalis et externa et impropria et consistit in verbi interni manifestatione per creationem, et secundum hanc Filius dicitur ***Verbum prolatitium*** sive λόγος προφορικός; tertia item est temporalis et externa et impropria et consistit in incarnatione seu unione hypostatica cum natura humana, et secundum hanc est ***Verbum incarnatum*** sive λόγος ἐνσαρκός. Eadem ratione Tertullianus necnon Hippolytus Filium, in sinu Patris ***Rationem,*** eundem in creatione vel incarnatione manifestatum ***Verbum*** vel ***Sermonem*** necnon generationem aeternam ***conceptionem,*** generationem temporalem vel ***perfectam generationem*** vel ***nativitatem*** vocant. Iam haec omnia nihil continent, quod dogmati catholico oppositum sit. Reipsa autem ab illis Patribus per generationem Verbi temporalem intel- 46.

lectam esse externam eiusdem manifestationem clarissime patet ex his *Hippolyti* verbis: „Quando voluit et sicut voluit, ostendit Verbum suum temporibus apud eum definitis. per quod omnia fecit . . . Eorum autem, quae facta sunt, ducem et consiliarium et effectorem generabat Verbum, quod Verbum cum in se haberet, essetque inadspectabile mundo creato fecit adspectabile, emittens priorem vocem et lumen ex lumine generans emisit creaturae Dominum; suum proprium intellectum prius ipsi soli visibilem creato vero mundo invisibilem, hunc fecit visibilem, ut mundus videns eum dum apparuit, salvari posset" (Cont. Noët. n. 10.). Ceterum et Patres postnicaeni ea ratione loquendi utuntur, ut v. g. *Gregorius Naz.*: „Filius non aliunde quam de Patre, quia semper cum Patre; et ideo Sapientia Dei appellatur, ut nunquam Pater sine sapientia h. e. sine Filio suo esse credatur. Haec est illa sapientia ineffabilis, quae initio viarum Dei apud Salomonem (Prov. 8. 22.) vel condita vel genita vel creata describitur; quam tamen sic conditam dicit, ut semper eam cum Deo fuisse demonstret . . . Non enim ita Deus Sapientiam suam condidit, quasi aliquando sine Sapientia fuerit: sed cum initium viarum suarum dicat, initium motus operis alicuius ostendit, ut hoc initium habeat Sapientia Dei, quod de Deo processit ad creanda omnia tam coelestia quam terrena, non quod modo coepit esse. Ita creata est Sapientia imo genita, non sibi, quia semper erat, sed his, quae ab ea fieri oportebat" (Orat. 49. n. 5.; quae tamen oratio alterius Gregorii esse videtur).

g) Denique quandoque ab iisdem scriptoribus Filius dicitur „derivatio totius et portio", dum Pater vocatur „tota substantia" (*Tertullianus* cont. Praxeam c. 9.); vel declaratur esse θεός (sine articulo), cum Pater sit ὁ θεός (*Origenes* in Ioan. tom. 2. n. 2. 3.); vel tandem „natura Filii soli omnipotenti propinquissima" dicitur (*Clemens A.*, Strom. 2.). *R. Primo* quod attinet illud Tertulliani dictum, ex contextu intelligitur, derivationem totius eidem nihil aliud esse, quam communicationem totius deitatis per generationem, atque pariter portionem non divisionem significare, sed partitionem

ideoque pro absoluta simplicitate rei, de qua agitur, solam communicationem. Quare alibi ipse Tertullianus Filium „portionem" dicit, quatenus consors est plenitudinis divinitatis (cont. Marcion. l. 3. c. 6.). — *Secundo* diversum illum usum vocis θεός (cum et sine articulo) relate ad Patrem et Filium Origenes, ut ipse declarat, solum ad distinctionem personalem significandam usurpavit. Scilicet Pater ὁ θεός est tamquam fons vel principium deitatis, Filius autem θεός (sine articulo), quia divinitatem a Patre communicatam habet. Atque simili ratione ab eodem Origene Verbum dicitur ὁ λόγος, creata vero ratio λόγος sine articulo, quia scilicet Verbum fons et exemplar est omnis rationis creatae. *Tertio* tandem Clemens Alexandrinus clarissime consubstantialitatem Filii cum Patre profitetur (cf. Paedagog. l. 1. c. 8. et l. 3. in fine). Illud igitur dictum „natura Filii propinquissima omnipotenti" non igitur de natura Filii, sed de persona eiusdem accipiendum est. Ita autem acceptum duplici modo intelligi potest: scilicet imprimis Filius propinquissimus Patri recte dicitur, quatenus eius imago consubstantialis est, creaturae autem non sunt nisi imagines imperfectae eiusdem imaginis consubstantialis; quo sensu intelligendus est Clemens A. Deinde Filius propinquissimus Patri comparate ad Spiritum Sanctum dici potest, quatenus prima processione per intellectum a solo Patre tamquam secunda persona procedit; Spiritus S. vero altera processione per voluntatem a Patre et Filio tamquam tertia persona originem ducit. Quo sensu loquitur Gregorius Nyssenus (Ad Ablav.).

Quaestio secunda.

De processionibus divinis.

Articulus primus.

De Filii generatione.

Thesis 5. Dei Filius vera generatione ex substantia Patris procedit; quae generatio est operatio intellectualis.

Declaratio.

1. *1. Quaestionis argumentum et divisio.* — Postquam summa fidei de SS. Trinitate ex fontibus revelationis et regula fidei demonstrata et quadantenus explanata est, iam singula capita eiusdem fidei inquirenda, accuratius demonstranda et simul, quantum fieri potest, speculativa vel scholastica expositione declaranda sunt. In qua re maxime theologus, memor gravissimi moniti: „*Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria*" (Proverb. 25, 27.) magisterii authentici praedicationem tanquam stellam rectricem fideliter sequi debet. Porro primo loco explicanda est doctrina de processionibus vel originibus divinis, utpote quae est fundamentum vel radix totius reliquae doctrinae de SS. Trinitate. Porro duae sunt secundum fidem catholicam in Deo processiones: Filii generatio et Spiritus S. spiratio vel processio: quod symbola declarant et scriptura clare docet: „Pater a nullo est factus, nec creatus nec genitus; Filius a Patre solo est, non factus nec creatus, sed genitus; Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus nec creatus nec genitus, sed procedens" (Symb. Athanas.) „*Ego ex ore Dei processi*" (Ioan. 8, 42). „*Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita*

nte omnem creaturam" (Eccli. 24, 5.). "*Mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*" (Ioan. 15, 26.). Hinc primo processio Filii, secundo processio Spiritus Sancti demonstranda et explicanda, tertio comparatio inter utramque hanc processionem instituenda est. Unde triplex huius quaestionis exstat articulus:

Articulus primus: De Filii generatione.

Articulus secundus: De Spiritus Sancti spiratione vel processione.

Articulus tertius: De processionis Spiritus Sancti ad Filii generationem habitudine.

2. ***Processionis notio atque diversa ratio.*** — Nomen processionis primitus significat motum localem, secundum quem aliquid ex uno loco in alium transit. Deinceps vero ad quemcunque transitum ex uno statu in alium significandum translatum est, ita ut quaevis mutatio hoc nomine designari possit. Praeterea idem nomen emanationem dicit unius ex alio, ut fluminis ex fonte vel terra, radii ex sole, caloris ex igne. Denique speciatim originem unius ex alio significat, qua ratione v. g. opus artis ab artifice, genitus a genitore, generatim effectus a causa procedere dicitur. Atque haec significatio maxime hic consideranda est. Cum vero quaevis origo unius ab alio fiat per aliquam operationem eius, a quo aliquid oritur, processio sic intellecta aliquando etiam sensu activo pro ipsa hac operatione, communiter vero sensu passivo pro origine rei procedentis sumitur. Ex eadem ratione, quia scilicet, quidquid procedit, per operationem aliquam procedit, pro diversitate operationum diversae sunt processiones. Iam prius considerandae sunt processiones creaturarum, ut inde per analogiam et differentiam aliqua iam hoc loco notitia processionum divinarum hauriatur. 2.

1) Processiones creaturarum. — Imprimis duplex est processio creata, altera ad extra, altera ad intra, sicut duplex operatio est, altera immanens, altera transiens. Etenim per alias operationes procedit terminus, qui intra subiectum agens manet, per alias vero terminus procedit, qui extra subiectum operans progreditur. — Porro haec processio ad extra per- 3.

ficitur aut per creationem aut per mutationem subst tialem aut per mutationem accidentalem. Cum vero D solus ipsum totum subiectum efficere possit, creaturae aut nonnisi aliquid in subiecto iam exstante producere valea a solo Deo aliquid per creationem procedere potest, atc omnis processio ex creaturis etiam perfectissima, quae generatio, rationem mutationis habet. — Tandem in processiones ad intra ratione saltem ipsius immanent eae eminent, quae per operationem fiunt, qua rationalis cr tura semetipsam intelligit atque diligit. Nimirum sicut intellectionem aliquis terminus intra intellectum procec ita per amorem pariter aliquis terminus intra voluntatem p cedit. Apposite *S. Thomas*: „Sicut ex hoc, quod aliquis r aliquam intelligit, provenit quaedam intellectualis concep rei intellectae in intelligente, quae dicitur verbum: ita hoc, quod aliquis rem aliquam amat, provenit quaedam i pressio, ut ita loquar, rei amatae in affectu amantis, secu dum quam amatum dicitur esse in amante, sicut et intell tum in intelligente" (S. th. I. p. q. 37. a. 1.). Et iteru „Secundum operationem voluntatis invenitur in nobis qu dam alia processio, scilicet processio amoris, secundum qu amatum est in amante, sicut per conceptionem verbi r dicta vel intellecta est in intelligente" (Ib. q. 27. a. 3 Harum autem processionum termini sane res subsistent non sunt, sed formis accidentalibus constituuntur, quibus i tellectus et voluntas informantur.

4. 2) *Processiones divinarum personarum.* — Quoniam s cundum fidem catholicam constat, in Deo exstare proce siones, quibus secunda et tertia persona divina procedunt, processionibus creaturarum iam a principio per analogiam differentiam aliquatenus explicari potest, quales illae proce siones divinae sint vel non sint. Nimirum primo person divinae non procedunt per operationem transeuntem, neq per creationem neque per mutationem sive substantialem si accidentalem. Non procedunt per creationem, quia, quidqu creatur, eo ipso quod aliena efficientia existit, ens ab alio e atque ipsa essentia ab ente a se sive a Deo differt; persona

m divinae divinam naturam habent atque Deus sunt.
ue per mutationem sive substantialem sive accidentalem
edunt; ratio aeque aperta est, quia divina natura meta-
sica necessitate omnem mutationem vel compositionem
substantialem sive accidentalem prorsus excludit. Restat
ır, ut personae divinae per operationes immanentes pro-
ınt; atque cum in spirituali natura aliae operationes non
nisi intellectus et voluntatis, eaedem personae divinae
intellectionem et amorem procedere satis manifesto con-
ıitur. Cum autem creatae naturae nulla immanente ope-
one res subsistens procedat, sed formae solum acciden-
s termini processionis exstent, iterum processiones di-
ıe essentialiter et toto ordine diversae sunt. Quoniam
n Deus actus purissimus omnis compositionis et muta-
ıis expers est, per operationem immanentem divinam non
nae accidentales, sed res subsistentes procedunt seu per-
ae, quibus natura divina numero eadem ipsa processione
ımunicatur. Unde intelligitur, divinam operationem sicuti
ıseuntem virtualiter, ita et immanentem super quamvis
aturarum tum transeuntem tum immanentem toto ordine
inere. Etenim sicut operatio divina (virtualiter) transiens
rationem creatam transeuntem infinite excedit eo, quod
minum suum non solum mutatione aliqua subiecti praeexi-
ntis ponit, sed secundum totam substantiam novum efficit;
operatio divina immanens prae creata immanente eo ex-
lit, quod non accidentia sed res subsistentes vel personas
ducit.

Quae cum ita sint, iam quadantenus intelligitur, exi- 5
ntia processionum in Deo immanentium ex fontibus reve-
ionis demonstrata, reliquam de SS. Trinitate doctrinam ex
ocessionibus tamquam primo principio vel fundamento na-
rali ratione logice inferri posse. Ipsa vero existentia illa-
m processionum nequaquam naturali ratione demonstrari,
d ex sola revelatione innotescere potest. Nam ex eo, quod
eratio divina vitalis terminari non potest ad terminos im-
anentes accidentales, naturali ratione inferri non potest,
dem operatione terminos substantiales immanentes proce-

dere; sed rationi naturali lumine revelationis carenti inferendum potius esse videretur, in Deo nullam exstare processionem ad intra. In his igitur processionibus ipsa essentia mysterii SS. Trinitatis cernitur, utpote quae naturali ratione nec inveniri neque, postquam ex revelatione cognitae sunt, ex internis rationibus satis vel intelligi vel declarari vel demonstrari possunt.

6. ***3. Doctrina catholica de processione Filii haeresi Arianorum opposita.*** — In primo huius quaestionis articulo haeresis Arianorum circa Filii processionem refutanda et doctrina catholica statuenda et demonstranda est. Ut iam supra dictum est, Arianae impietatis caput fuit, Filium non esse vera generatione ex substantia Patris genitum, sed solum tamquam creaturam etsi nobilissimam a Deo processisse ita ut nec Patri consubstantialis nec Filius naturalis, sed tantum voluntatis consensione cum eo unus eiusque Filius adoptivus sit. Contra impium hunc errorem Concilium Nicaenum veram Filii ex Patre generationem sollemniter definivit. Iam tota haec catholica de Filii generatione doctrina quoad substantiam in duabus thesibus absolvenda est: in praesenti generatio Filii ex Patre per operationem intellectualem demonstranda et explicanda est; in altera subsequenti ostendendum erit, quarum rerum intellectione Filius procedat; in utraque vero variae aliae explicationes per modum corollariorum vel scholiorum adiciendae erunt.

7. Demonstratio vero praesentis thesis bipartita est: in prima parte probatur, Filium per generationem a Patre procedere; in altera parte prius demonstratur, Filium tamquam terminum operationis intellectualis a Patre produci, atque deinceps, quo modo huic operationi intellectuali ratio verae et proprie dictae generationis conveniat, pro viribus explicandum erit.

Demonstratio.

I. p. Filius per generationem a Patre procedit.

8. ***1. Probatur ex s. scriptura.*** — Cum doctrina scripturae hac in re abundet, facile tamen duobus argumentis comprehenditur:

1) *Argumentum primum.* — Persona divina, quae nomine Filii designatur, vero et proprio sensu tamquam naturalis Dei Filius exhibetur; iamvero, qui vero et proprio sensu naturalis Dei Filius est, per generationem a Deo Patre procedit; ergo Dei Filius per generationem a Patre procedit. Minor multiplici modo facile probatur:

a) Et *imprimis* quidem *Dei Filius dicitur modo prorsus singulari:* sic vocatur *simpliciter Filius* (ὁ υἱός) ut Ioan. 3, 35.: ὁ πατὴρ ἀγαπᾷ τὸν υἱόν . . . Ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν ἔχει ζωὴν αἰώνιον· ὁ δὲ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ οὐκ ὄψεται ζωήν . . .; Cf. 5, 19. ss.; 8, 36. ss. Qui autem simpliciter Filius est vel qui praeposito articulo ab omnibus aliis in ratione filii segregatur, nonnisi filius naturalis est. — Deinde Christus, quando baptizatus a Ioanne vitam publicam exorsurus erat, ab ipso Deo Patre eius missionem sollemniter confirmante *Filius eiusdem Patris dilectus* esse declaratur: „*Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*" Et similiter alibi *Filius dilectionis paternae* dicitur (Matth. 3, 17; Col. 1, 13.). Iamvero, qui tam sollemni occasione et ratione ab ipso Patre filius suus prae aliis esse declaratur, necessario Filius Dei naturalis esse creditur. Apposite *Hilarius*: „Quid calumniam Deo Patri professae de Filio proprietatis afferimus? Anne tibi in eo, quod dicitur *hic est*, non hoc significari videtur: alios quidem cognominatos ab eo in filios, sed hic Filius meus est? Donavi adoptionis plurimis nomen, sed iste mihi Filius est. Ne quaeras alium, ne non hunc esse credas. Hunc ego tamquam digito indice ac verbi significatione contingo, qua dico: et meus est, et hic est, et Filius est" (De Trinit. 6, 23.). — *Praeterea* Filius est, cui specialis prorsus et propria Dei cognitio convenit: „*Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius*" (Matth. 11, 27.). Solus autem Filius naturalis specialem et sibi propriam Dei cognitionem habet. Insuper iisdem verbis Filius aeque atque Pater omnem cognitionem creatam excedere dicitur, quod item sane de solo Filio naturali valet. Ergo. — Item Filius *factus esse obediens dicitur, quamvis esset Filius*: Καίπερ ὢν υἱὸς ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπα-

θεν τὴν ὑπακοήν (Heb. 5, 8.). Soli vero Filio naturali Dei non per se et ex natura sua obedientia convenire intelligitur vel tamquam aliquid mirabile vel singulare tribui potest. — Denique Filius Dei vocatur *prae omnibus atque etiam ipsis angelis,* qui ex natura sua servi sunt et solum per Filium ipsum filii Dei adoptivi evadunt: „*Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu . . .? Et rursum: Ego ero illi in patrem et ipse erit mihi in filium*" (Heb. 1, 4. ss.). „*Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*" (Ioan. 1, 12.). Iamvero nemo ita prae aliis Filius est aliosque filios adoptivos facit nisi naturalis Dei Filius. Ad rem *Chrysostomus*: „Si est gratia Filius, non solum non est angelis praestantior, sed etiam minor. Quo modo? Quoniam homines quoque iusti appellantur filii, et nomen filii, nisi sit filius proprius et germanus, non potest ostendere excellentiam" (In ep. ad Heb. hom. 2, 3.).

10. *Confirmatur argumentum,* quia Iudaei nomen Filii Dei a Christo sibimetipsi vindicatum pro blasphemia habuerunt et quod confessio Iesum esse Filium Dei tamquam vitae et salutis principium ac fundamentum laudatur; neutrum enim horum contingere potuisset, si nomen *Filii Dei* sensu improprio intellectum esset, quia nihil tum nisi aliquid cum plurimis aliis hominibus commune edixisset. Quo spectant haec testimonia praeter alia partim iam supra adducta: Matth. 16, 17., ubi Petro confesso: „*Tu es Christus Filius Dei vivi*" Iesus reponit: „*Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus et supra hanc petram aedificabo ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam*". Act. 8, 36. 37.: „*Et ait eunuchus: ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet; et respondens ait: Credo Filium Dei esse Iesum Christum.*" 1. Ioan. 5, 1 ss.: „*Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est Filius Dei.*" Cf. 1. Ioan. 2, 22.; 4, 15.; 5, 1—5.

b) Praeterea *verus Dei Filius* necnon *proprius Dei Filius* vocatur. Sic v. g. 1. Ioan. 5, 20: „*Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio eius.*“ Quibus verbis eadem ratione sicut Deus verus Deus est, ita Filius verus Dei Filius dicitur: cum igitur Deus ex natura vel essentia sua Deus sit, pariter Filius ex essentia sua vel natura Filius Dei esse dicitur ideoque non adoptivus, sed naturalis Dei Filius esse exhibetur. — Deinde Rom. 8, 32: „*Qui* (Deus) *etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*“ Scilicet proprius filius ille est, qui proprie illud habet, quod nomen filii exprimit; quare proprius filius naturalis filius est vel eandem generatione a patre accepit naturam; improprie vero tantum et per participationem filius est, qui non eandem a Patre naturam sed tantum aliquam cum eadem similitudinem accepit, vel filius non natura, sed tantum adoptatus est. Christus igitur naturalis Dei Filius est. *Confirmatur*, quia tantum in traditione Filii naturalis incomprehensibilis illa caritas Dei splendescit, quam Apostolus extollere intendit. Apposite *Hilarius*: „Numquidnam etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen? Apostolus enim volens charitatem erga nos Dei ostendere, ut magnificentia Dei dilectionis ex comparationis genere nosceretur, non pepercisse Deum proprio Filio suo, docuit. Nec utique pro adoptandis adoptato, neque pro creatis creaturae, sed pro alienis suo, pro connuncupandis proprio. Quaere virtutem dicti, ut magnitudinem caritatis intelligas. Quid sit proprium expende, ne ignores veritatem“ (De Trinit. l. 6.). 11

c) Vocatur *Filius unigenitus, unigenitus a Patre, unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris*: „*Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis*“ (Ioan. 1, 14.). „*Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*“ (Ib. 18.). „*Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam* 12.

aeternam" (Ioan. 3, 16.). „*Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*" (Ib. 18.). „*In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum Deus misit in mundum, ut vivamus per eum*" (1. Ioan. 4. 9.). Iamvero, qui ita sine restrictione iteratis vicibus *Filius unigenitus, unigenitus a Patre, unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris* dicitur, Filius Dei naturalis per generationem productus credendus est. Apposite *S. Thomas*: „Cum ratione creationis nomen filiationis divinae multis conveniat, quia omnibus angelis et sanctis, si etiam eadem ratione Christus filius diceretur, non esset unigenitus, licet per excellentiam suae naturae inter ceteros primogenitus posset dici. Asserit autem eum scriptura esse unigenitum" (c. 9. l. 4. c. 7.). Et *Chrysostomus*: „Ne itaque ob nominis consortium putares illum ex eorum numero esse, qui per gratiam filii sunt, adest articulus, qui distinguat illum ab iis, qui per gratiam sunt filii. Quodsi hoc tibi non sit satis, magis proprium audi nomen: unigenitus. Sin adhuc humum respicis, non dubitabo humanum de Deo proferre verbum, nempe sinum. Cur ergo sinus hic memoratur? . . . Si per hoc verbum nec verus filius esse probatur nec Deum incorporeum esse statuitur, frustra iactatur hoc dictum nullius usus. Cur ergo dictum est? . . . Annon palam est, ideo prolatum esse, ut non aliud ex illo percipiamus, quam quod ille sit vere unigenitus, quod coaeternus Patri" (In Ioan. hom. 15. 2.).

13. *Exceperunt* Ariani eorumque sequaces contra hoc argumentum: Filium dici unigenitum, quia solus a solo Deo, cetera a Deo per ipsum creata sint. — *R.* Exceptio absona est, utpote qua terminus unigenitus contra communem usum loquendi a scriptura quoque servatum in alienam significationem detorquetur. *Unigenitus* enim non significat aliquem ab uno genitum, quia secus nullus homo dici posset unigenitus: sed dicit aliquem genitum esse tamquam unicum sui Patris filium. — Praeterea exceptio falso fundamento innititur. Repugnat enim, creationem fieri per creaturam quamvis nobilissimam, etiam ut per causam adiutricem et mi-

nistram; talis autem causa creata ministra Filius esse in exceptione dicitur. Apposite *Basilius*: „Si ergo non quoniam solus genitus est, sed quoniam a solo, Unigenitus dictus est, si rursus idem est secundum te genitum esse et creatum esse; cur non etiam unicreatum eum appellas tu, quia omnia facile et excogitas et profers? Nemo autem homo, ut video, ex vestra sententia est unigenitus . . . Iamvero et creatura Deo Verbo dignitate inferior est causae nomine, cum ob id solum et ipsa unigenita non sit; quod Filius una cum Patre creationem attigit, quamquam ne hoc quidem ab ipsis conceditur. Nam perfectissimum ministrum eum nominant. Quomodo igitur non a solo creatura etiam facta est secundum vos, qui velut inanimatum quoddam instrumentum Deum Verbum Patri adiungitis? . . . Quare unigenita est et creatura, imo et illius partes, non invisibiles virtutes solum, sed corpora etiam sensibilia et horum humillima . . . *Ipse enim dixit et facta sunt.* Quo enim ministerio indigere possit, qui nutu solo creat, una cum voluntate creatura subsistente“ (Adv. Eunom. 1, 2. n. 21.).

2. *Argumentum alterum.* — In ss litteris secunda persona non solum Filius vero et proprio sensu vocatur, sed etiam disertis et expressis verbis eius generatio ex substantia Patris praedicatur: **14.**

a) Inprimis huc spectat Heb. 1, 4—7: „*Tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?*“ Quibus verbis Apostolus, quantum Christus angelis antecellat, ex nomine ostendit; angeli scilicet ex nomine suo nuntii et ministri Dei sunt, Christus vero Filius Dei est et ex Deo genitus. Atqui angeli quoque necnon homines in scriptura improprie filii Dei vocantur et ex Deo nasci vel generari dicuntur (Ioan. 1, 13.). Ergo Apostolus Christo prae angelis filiationem et generationem tribuens nomina *Filii Dei* et *gignere* proprio sensu adhibet; quare Christus naturalis Dei Filius est et per generationem ex substantia Patris procedit. Confirmatur, quia Apostolus ibidem (in 1. cap. ep. ad Heb.) Christo aperte diversas prae-

rogativas divinas vindicat: mundi creationem et consecrationem, aeternitatem, cultum divinum etc. (Cf. De verbo Incarnato Th. 6.).

15. *Excipiunt* contra hoc argumentum *primo*, quod ipse Apostolus verba: *Filius meus es tu; ego hodie genui te*, alibi (Act. 13, 32.) ad resurrectionem Christi potius referat; *secundo*, quod idem Apostolus iterum alibi (Heb. 5, 4.) iisdem verbis sacerdotium Christi expressum asserat; denique tertio, quod etiam multi St. Patres eadem verba non de generatione, sed sicut Apostolus vel de resurrectione Christi vel de eiusdem sacerdotio intellexerint, vel etiam ad baptismum Christi retulerint. — *R. Primo* quod attinet Act. 13, 32., res explicata est in Tractatu de Verbo Incarnato th. 4. n. 22. — *Secundo* quod spectat Heb. 5, 4., item nulla difficultas est. Neque enim Apostolus ibi generationem vel filiationem quocunque sacerdotio absolvi dicit, sed veram generationem et filiationem tamquam rationem sacerdotii assignat, vel Christum a Deo patre, qui ipsum generavit, etiam sacerdotem constitutum esse declarat. — *Tertio* denique „quod Patres attinet, plurimi interpretationem, quam dedimus, suo suffragio comprobant. Si vero multi verba: *ego hodie genui te* vel de manifestatione Christi in baptismate facta, vel de resurrectione aut ascensione intellexerunt, nullus tamen a) adduci potest (unum si exceperis Theodoretum in h. l., cuius tamen fides hac in re suspecta est propter favorem Nestorio impensum), qui prius incisum *Filius meus es tu* non intellexerit de Filio naturali proprie dicta generatione genito. Quod si b) alterum incisum de impropria et metaphorica generatione intelligunt, naturalem non excludunt, aliis vero in locis acerrime propugnant, in ipsis etiam locis obiectis supponunt; imo ratio non improbabilis reddi potest, cur illa verba aliter quoque explicaverint. Ita e. g. ea referunt ad Christi baptismum, quod in suis codd. legebant ea a Patre occasione baptismi Christi dicta Matth. 3, 17., censebantque propterea iis tempore baptismi declaratam fuisse filiationem eius naturalem: cf. *Hilarius* de Trinitate l. 8. c. 25.; vel ea referunt ad Christi resurrectionem, tum quod

tarunt Paulum eadem resurrectioni applicare: tum propter
iandam extensionem quia per resurrectionem Christus a
atre veluti genitus est ad novae immortalisque vitae decus
splendorem secundum corpus, qualis decuit Filium Dei
carnatum. Cf. *Petavius* III. 6. et *Thomassinus* III, 11.
incarnat." (*Hurter*, Comp. t. 2.[8] n. 138.).

b) Adhuc clarius fere, si fieri potest, generatio Filii ex
atre exprimitur Ps. 109, 3.: „*Tecum principium in die vir-
tis tuae, in splendoribus sanctorum; ex utero ante luci-
rum genui te*". Etenim *primo* hunc psalmum messianicum
se, ut iam supra dictum est (th. 3. n. 6), praetermissa ipsa
us indole certo constat tum ex testimoniis S. Petri, S. Pauli
ecnon ipsius Christi tum ex communi St. Patrum necnon
eologorum consensu. *Praeterea* versiculum allatum ge-
inum esse quoad substantiam tum ex iisdem rationibus
m ex versionibus vulgata, septuagintavirali necnon syriaca
riter constat. Quibus suppositis versiculo aeterna Filii ex
bstantia Patris generatio clare exhiberi manifesto perspicitur.
ensus enim eiusdem spectato contextu sic explicandus est:
liquando, scilicet in iudicio et mundi renovatione virtus tua
velabitur atque principatum possidebis necnon gloria Sanc-
rum te circumdabit: etenim priusquam Luciferum sive quid-
iam aliud crearem, ex intima mea substantia te genui. —
onfirmatur argumentum ex comparatione cum Ioan. 1. 18.:
Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse ennarravit".
tenim vocabula *uterus* et *sinus* idem significant. Unde ap-
site *Augustinus:* „Qui est sinus, ipse est uterus, et sinus et
erus pro secreto positus est. Quid est ex utero? Ex secreto,
occulto, de meipso, de substantia mea" (In ps. 109. n. 16.).

Duplex tamen exceptio contra argumentum proposita est. **16.**
t *primo* quidem textus hebraicus generationem Filii con-
iere non videtur, utpote qui sic nunc vertitur: „Populus
us spontanea oblatio in die virtutis tuae; in splendoribus
nctis ex utero matutino tibi ros nativitatis tuae"; atque
militer *Hieronymus* vertit: „Quasi de vulva orietur tibi ros
lolescentiae tuae". *Secundo* vero, cum multi Patres versi-
ılum de aeterna Filiis generatione intellexerint, plures alii

tamen eundem de temporaria nativitate ex utero B. Virginis interpretati sunt.

17. Iam quod primam exceptionem attinet, spectatis principiis catholicae exegeseos non obstante differentia textus hebraici sine haesitatione dicendum est, tamquam certum retinendum esse, in versiculo aeternam Verbi generationem tradi; ratio est, quia tum versiones vulgata et septuagintaviralis et syriaca eum continent, tum Patres communi consensu Verbi generationem eodem expressam vident. Restat igitur sola quaestio, quomodo cum hac certa explicatione textus hebraicus componatur. *Itaque duplex explanatio exstat*: Alii textum Masorethicum corruptum esse atque textum hebraicum primigenium cum textu graeco perfecte consonasse censent; cuius sententiae rationes hisce comprehenduntur: „De hoc textu notentur: 1. eum esse expressum ad versionem 70 interpretum, cum qua quoad sensum etiam versio syriaca concordat. 2. Cum hinc textus originalis, quem recensio masorethica praebet, praesertim in libro psalmorum valde neglectus appareat, inde vero alexandrina versio sit admodum verbalis (cf. Keil, Einleitg, p. 552.), concludendum esse, nostrum locum recte exstare in versione septuagintavirali et vulgata (et arabica et syriaca), non vero in textu masorethico (aut Targum aut versione S. Hieronymi propria), Eoque magis 3. posse id admitti, quod textus masorethicus, ut nunc exstat, est nonnisi post adventum Christi constitutus, et ad unum exemplar revocatus, quod doctores iudaei proprio marte elegerunt, relictis ceteris forte meliorem textum habentibus. Decursu autem tot saeculorum, ex tempore 70 interpretum usque ad Masorethas potuisse fieri immutationem, imo multas esse factas probari potest argumentis invictis. Immutationem revera 4. in nostro versu esse factam suadetur a. versione 70 interpretum; coniicitur b. ex vetustioribus interpretibus Aquila et Symmacho, ex quorum versione liquet, eos aliter legisse hunc textum; c. ex obscuritate (quam testantur tot interpretationes variae cf. Richard. O. M. in collat. ad h. l. subiunctis commentario Lombardi in Ps. Migne 191, 1002) textus Masorethici; d. ex eo, quod textus

Masorethicus inducit vocem novam et inauditam *mischar* pro aurora, quae alias semper dicitur *schachar*. Accedit e. quod sufficit duas voces expungere, ut textus cum versione alexandrina conciliari possit. Illud incommodum, textum emendatum etiam aliis vocalibus ornari debere, non multum obstat; nam mutationes vocalium non pertinent ad textum proprie dictum. Nec desunt f. codd. circiter 100, qui faveant versioni alexandrinae. Mirum vero g. videri non debet, in Masorethae selegerint et praetulerint lectionem, quae textum tam splendidum pro doctrina christiana obscuret" (*Hurter*, Comp. II. p. 117[a]. nota). — Alii vero ipsum textum Masorethicum de aeterna Verbi generatione explicari posse censent, atque ad Hieronymum provocant, utpote qui textui Masorethico favet quidem, sed ex ipso hoc textu a communi Patrum traditione non deflectens aeternam Verbi generationem ostendit (Cf. *Kaulen* in *Katholik* 1865 II 129 ss. et *Theologische Quartalschrift* 1898, 615. ss.

Altera exceptio ex eo petita, quod aliqui Patres verba; 18. *ex utero ante luciferum genui te* de nativitate ex utero B. Virginis acceperint, nullius momenti est. Etenim Patres moraliter omnes, praesertim illi, qui ex professo Arianam haeresim refellunt, verba illa *ex utero* de substantia Patris explicarunt; ut iam supra dictum est. Tantum paucissimi explicationem obiectam proposuerunt; atque hi ipsi aliis in locis communem Patrum sententiam sequuntur (cf. *Tertullianus*, cont. Prax. c. 7. coll. cont. Marc. l. 5. c. 9; *Eusebius*, demonst. ev. l. 4. c. 14. coll. comment. in h. ps.); opinati enim sunt, de utraque generatione textum intelligi posse. Quae cum ita sint, paucissimorum illorum qualiscunque dissensus communi Patrum interpretationi non obstare manifesto intelligitur. Iamvero a communi hac Patrum interpretatione eo minus recedere licet, quo magis textus noster dogmaticus est et quo certius in versionibus authenticis exstat.

2. Ex traditione. — Plura traditionis documenta 19. afferre supervacaneum fuerit, cum multa jam superius allata vel symbola vel conciliorum decreta huc spectent. Notanda vero est Remonstrantium assertio, qui cum *Simone Episcopio*

theologic. institut. l. 4. s. 2. c. 34. affirmarunt, necessitatem credendi aeternam Filii ex Patri generationem saeculo demum quarto ac nicaenae synodi definitione inductam esse. Quam falsa sit haec assertio, inde patet, quod etiam Patres antenicaeni de generatione Filii aeterna testantur atque de ipsa textus scripturae allatos necnon alterum: *Generationem eius quis enarrabit* (Is. 53, 8.) interpretantur. Ita v. g. *Iustinus*: „Cum Verbum sit primogenitum Dei, Deus est" (Apol. 2. 6.). Et *Tertullianus*: „Nec dubitaverim Filium dicere et radicis fruticem, et fontis fluvium et solis radium; quia omnis origo parens est, et omne, quod ex origine profertur, progenies est; multo magis sermo Dei, qui etiam proprie nomen Filii accepit. Nec frutex tamen a radice, nec fluvius a fonte, nec radius a sole discernitur. sicut nec a Deo sermo" (Cont. Prax. c. 8.). Necnon *Dionysius Alexandrinus*: „Deus enim manifestatus est in carne, factus ex muliere: qui ex Deo Patre genitus est ex utero ante Luciferum, velut e corde Verbum ex Patre editum" (Ep. synodic. ad Paulum Samosat.). Denique *Alexander Alexandr.*: „Quid illud: *Ex utero ante Lucriferum genui te*, nonne palam ostendit naturalem partus paterni filietatem?" (Ep. ad Alexandr. Constantin. episcopum ap. Theodor. l. 1. hist. c. 3.).

2. p. Dei Filius per operationem intellectualem a Patre procedit, quae processio rationem verae et proprie dictae generationis habet.

20 ***1. Dei Filius per operationem intellectualem a Patre procedit.*** — Haec prima huius partis assertio tribus quasi gressibus absolvitur: et primo quidem ratio interna verbi intellectualis explicanda est; secundo vero processio intellectualis Filii ex appellationibus verbi, sapientiae, Dei Filio in scripturis tributis demonstratur: tertio eadem processio ex traditione confirmatur.

1) *Ratio interna Verbi intellectualis.* — Appellatio verbi non una ratione adhibetur:

a) Et *primo* quidem verbi appellatio spectata nominis impositione primo de orali locutione usurpatur. In quo verbo

orali, ut recte monet *Schiffini* (Metaph. I. n. 301.), ex communi naturae sensu tria notanda sunt, quae formalem eius rationem constituant. Et *primo* quidem eiusmodi verbum est aliquid procedens ab ente intelligente, formaliter ut est intelligens; nam locutio, cuius terminus verbum est, rationem actionis intellectivae propriam habet. *Secundo* verbum a loquente intelligentia praedito ideo profertur, ut eam, quam de re aliqua conceptionem habeat, intelligenti manifestet; etenim „nihil est aliud loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifestare" (S. Thomas, S. th. 1. p. q. 107. a. 1.). *Tertio* verbum in eiusmodi manifestatione rationem signi suppositivi habet, quippe quod locum tenet ipsius rei, quae verbo manifestatur.

b) Spectato usu loquendi imprimis philosophico et theo- **21.**
logico verbum de interiore mentis creatae conceptu sive termino intellectiva actione producto dicitur. „Primo tamen et principaliter interior mentis conceptus verbum dicitur; secundario vero ipsa vox interioris significativa (verbum oris); tertio ipsa imaginatio vocis (verbum cordis) verbum dicitur" (S. th. 1. p. q. 34. a. 1.). Iam hoc ipsum verbum mentis, quod ex sua cum verbo oris connexione et similitudine ita vocatur accuratius considerandum est. Itaque cognitio imprimis intellectualis in eo essentialiter consistit, quod cognoscens rem cognitam secundum quandam similitudinem in se exprimat vel expressam habeat. In omni igitur cognitione creata invenitur rei expressio activa et passiva; expressio activa est notionis conceptio vel productio; expressio vero passiva est ipsa notio mente concepta, per quam mens sibi rem manifestat vel repraesentat. Iam haec obiecti in mente expressio vel repraesentatio passiva est ipsum verbum mentale; atque ***merito ita vocatur propter suam cum verbo orali connexionem et similitudinem.***

Etenim *primo* eiusmodi notio mente concepta ab ente **22.**
intelligente ut est intelligens vel ab intellectu ut tali tamquam effectus vel terminus actione intellectiva productus procedit. *Secundo* mens talem intelligendi actum ideo progignit, ut obiectum conceptum intelligenti manifestet; etenim sive

simpliciter apprehendit sive iudicium format, in utroque casu veritatem, quam veluti in semine conceptam tenebat, non quidem alteri, sed sibi ipsi manifestat adeoque secum ipsa loquitur. *Tertio* eiusmodi actus intelligendi immediatum ordinem ad obiectum dicit eiusque similitudo et quasi imago est; quare signum obiecti non pure manifestativum, sed suppositivum est. Quae cum ita sint, manifesto intelligitur, rationem verbi actui intellectus proprie convenire, imo magis eidem competere, quam orali locutioni, cum scilicet, quae hanc in ratione verbi constituunt, in illo maxime relucent et ex eo in hanc deriventur. Hinc pariter actio, qua verbum mentale producitur, dictio vocatur; vel dicere, cum de intellectu sermo est, idem est, ac verbum producere. Itaque verbum mentale definiri potest: ***terminus intellectuali operatione productus, quo obiectum intentionaliter exprimitur vel cognoscitur.*** Unde haec diversa nomina: verbum, conceptus obiectivus, actus intellectus, species expressa, idea, vel potius eorundem significata non re sed summum solum consideratione vel respectu, quem dicunt, ab invicem distinguuntur. Sic v. g. idea est actus intellectus, quatenus ad rem cognitam ut exemplar eiusdem efficiendae refertur; idem vero actus verbum dicitur, quatenus eius origo ab intellectu dicente necnon eiusdem assimilatio cum obiecto spectatur.

23. Adversantur quidem huic explicationi ex parte plures theologi etiam graves imprimis Thomistae, quatenus realem inter actum intellectus et verbum distinctionem ponunt. Ex eorum enim opinione in processu intellectionis haec comprehenduntur: „*Primo*, principium intellectionis, id est intellectus informatus specie intelligibili impressa; ***secundo*** operatio elicita, id est, intellectio; quae cum esse non possit, quin sit simul productio termini qui primo et per se apprehenditur, hinc *tertio* adest verbum ut terminans operationem, tam in ratione operati, quam in ratione obiecti; in ratione quidem operati, quia est forma quaedam secundum operationem intellectivam producta; in ratione vero obiecti, quia est species intellecta, in qua scilicet intelligitur res extra intellectum consistens. Et hoc dico, quia speciem expressam seu verbum

esse id, quod intelligitur, dupliciter accipi potest. Uno modo, sumendo verbum secundum suum esse intentionale et repraesentativum tantum; alio modo sumendo illud, in quantum est quoddam physicum accidens. Et si quidem sumatur primo modo, verum est verbum esse id quod intelligitur, quia sic eadem est apprehensio verbi et rei in verbo repraesentante, sicut idem est motus in imaginem in quantum imago est, et in rem ipsam, cuius est imago. Secundo autem modo verbum non est intellectionis obiectum nisi in actu reflexo et, quando intellectus supra suum opus regreditur" (Billot, De Deo trino p. 23.). Porro ratio ponendi eiusmodi verbum in cognitione creata et naturali in eo continetur, „quod perceptio in primis nunquam immediate terminatur ad rem intellectam secundum quod in suo proprio esse consistit; id est, obiectum nunquam per semetipsum coniungitur intellectui in esse obiecti actu intellecti" (Ibid. p. 22.). Unde sequitur, „processionem verbi non esse universaliter de ratione intellectionis, sed optime concipi posse intellectionem secundum quam nullum verbum producitur. Si enim obiectum per semetipsum uniretur intellectui cognoscenti in esse rei intellectae, non opus esset verbo ad intelligendum; et ideo dictum est supra, non requiri verbum in visione beata; imo vero apparet quod nec dari potest, quia cum nulla similitudo creata repraesentare valeat divinam essentiam ut in se est, oportet omnino ut ipsamet per seipsam coniungatur intellectui beato, tamquam gerens vices speciei simul impressae et expressae." (p. 24.) — *Verum haec opinio non ex uno capite difficilis et minus probabilis apparet.*

Et *primo* quidem minus probabile esse apparet, verbum **24.** intellectuale realiter distinctum esse ab ipso intellectionis actu; nam, ut supra ostensum est, in ipso formali actu intellectionis omnia inveniuntur, quae propriam rationem verbi constituunt; unde si praeter ipsum intellectionis actum verbum aliud realiter distinctum admittendum foret, duo verba mentalia in cognitione intellectuali exstarent, quod arbitrarium et superfluum esse perspicitur. *Secundo* vero adhuc minus probabile esse videtur, verbum mentale esse medium obiectivum

in quo obiectum cognoscatur. Etenim secundum hanc opinionem in omni intellectione simul verbum tamquam imaginem vel speculum et obiectum in eo relucens uno intuitu attingeremus; et certe verbum non cognosci non posset, quia dicitur esse ratio obiectiva cognoscendi obiectum, sed *propter quod unum quodque tale et illud magis;* atqui in directa cognitione teste conscientia nihil praeter ipsum obiectum cognoscimus; ergo. Insuper superfluum esse videtur verbum tamquam medium in quo, quia alia unio inter intellectum cognoscentem et obiectum non requiritur, quam quae per speciem impressam et ipsum actum intelligendi habetur. Denique *tertio* hanc Thomistarum opinionem prae opposita non meliorem exhibere analogiam ad processionem Verbi divini explicandam infra patebit. Maneat igitur explicatio supra proposita, secundum quam verbum mentis nihil aliud est, quam ipse actus intellectus, prout ex una parte dicit respectum ad intellectum tamquam suum principium, ex altera vero parte respectum ad obiectum tamquam intentionalis eiusdem expressio vel imago.

25. Cum hac verbi mentalis explicatione concordant diversa SS. Patrum et ecclesiae doctorum effata. *S. Augustinus* v. g. sic verbum mentale describit: „In illa igitur aeterna veritate, ex qua temporalia facta sunt omnia, formam, secundum quam sumus et secundum quam vel in nobis vel in corporibus vera et recta ratione aliquid operamur, visu mentis aspicimus; atque inde conceptam rerum veracem notitiam tamquam verbum apud nos habemus, et dicendo intus gignimus: nec a nobis nascendo discedit. Cum autem ad alios loquimur, verbo intus manenti ministerium vocis adhibemus, aut alicuius signi corporalis, ut per quandam commemorationem sensibilem tale aliquid fiat etiam in animo audientis, quale de loquentis animo non recedit" (De Trinit. l. 9. c. 7.). Et ibidem inferius: „Necesse est enim, cum verum loquimur, id est quod scimus loquimur, ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascatur verbum, quod eiusmodi sit omnino, cuiusmodi est illa scientia, de qua nascitur. Formata quippe cogitatio ab ea re, quam scimus, verbum est, quod in corde dicimus: quod nec graecum est, nec latinum, nec linguae alicuius al-

terius; sed cum id opus est in eorum, quibus loquimur, perferre notitiam, aliquod signum, quo significetur assumitur. Et plerumque sonus, aliquando etiam nutus, ille auribus, ille oculis exhibetur, ut per signa corporalia etiam corporis sensibus verbum, quod mente gerimus, innotescat" (l. 15. c. 10.). Et iterum alibi: „Scripturae sanctae verbum esse definiunt, quod intra animi silentium mente concipimus: verbum esse definiunt ipsam cogitationem, quae adhuc intra conscientiae secreta retinetur: vocem vero, per quam verbum profertur in medium. Vox sonus est, index cogitationis; verbum vero ipsa cogitatio" (Serm. 20. de sanctis, de cuius genuinitate tamen non certo constat).

Similiter *I. Damascenus:* „Verbum est naturalis mentis 26.
agitatio, qua movetur et intelligit et cogitat, veluti lux ipsius et splendor existens. Est praeterea verbum intimum, quod in corde tantum eloquimur" (De fide orthod. l. 1. c. 13.) Et *S. Anselmus:* „Cum enim cogito notum mihi hominem absentem, formatur acies cogitationis meae in talem imaginem eius, qualem illam per visum oculorum in memoriam attraxi; quae imago in cognitione verbum est eiusdem hominis, quem cogitando dico. Habet igitur mens rationalis, cum se cogitando intelligit, secum imaginem suam ex se natam, id est cogitationem sui ad suam similitudinem, quasi sua impressione formatam, quamvis ipsa se a sua imagine nonnisi ratione sola separare possit, quae imago eius verbum est. Hoc itaque modo, quis neget summam sapientiam, cum se dicendo intelligit, gignere consubstantialem sibi similitudinem suam, id est, Verbum suum" (Monologium, c. 33.).

Denique ipse *S. Thomas*: „Verbum quidem tripliciter in 27.
nobis proprie dicitur; quarto autem modo dicitur improprie sive figurative. Manifestius autem et communius in nobis dicitur verbum, quod voce profertur; quod quidem ab interiori procedit, quantum ad duo, quae in exteriori verbo inveniuntur, scilicet vox ipsa et significatio vocis. Vox enim significat intellectus conceptum . . .; et iterum vox ex significatione vel imaginatione procedit . . . Vox autem, quae non est significativa, verbum dici non potest. Ex hoc ergo dicitur verbum vox

exterior, quia significat interiorem mentis conceptum. Sic igitur primo et principaliter interior mentis conceptus verbum dicitur; secundario vero ipsa vox interioris conceptus significativa: tertio vero ipsa imaginatio vocis verbum dicitur . . . Dicitur autem figurative quarto modo verbum id, quod verbo significatur vel efficitur; sicut consuevimus dicere: Hoc est verbum, quod dixi, vel quod mandavit rex, demonstrato aliquo facto, quod verbo significatum est, vel simpliciter enuntiantis vel etiam imperantis" (S. th. 1. p. q. 34. a. 1.). Et alibi: „Verbum intellectus nostri, secundum cuius similitudinem loqui possumus de verbo in divinis, est id ad quod operatio intellectus nostri terminatur, quod est ipsum intellectum (sc. obiectum ab intellectu expressum vel ipsa haec expressio), quod dicitur conceptio intellectus; sive sit conceptio significabilis per vocem incomplexam, ut accidit, quando intellectus format quidditates rerum, sive per vocem complexam, quod accidit, quando intellectus componit et dividit" (De verit. q. 4. a. 2.). Denique: „Dico . . . intentionem intellectam id, quod in seipso concipit intellectus de re intellecta. Quae quidem in nobis neque est ipsa res, quae intelligitur, neque est ipsa substantia intellectus, sed est quaedam similitudo concepta ab intellectu de re intellecta, quam voces exteriores significant; unde et ipsa intentio verbum interius nominatur, quod est exteriori verbo significatum. Et quidem quod praedicta intentio non sit in nobis res intellecta, inde apparet, quod aliud est intelligere rem et aliud est intelligere ipsam intentionem intellectam, quod intellectus facit, dum super suum opus reflectitur; unde et aliae scientiae sunt de rebus, et aliae de intentionibus intellectus" (C. g. l. 4. c. 11.). Fatendum vero est, alia S. Thomae effata potius sententiae Thomisticae favere videri. Qua autem ratione haec diversa S. Thomae testimonia cum invicem et cum sententia exposita componi possint, breviter quidem et solide explicare videtur Schiffini (Disput. metaph. n. 302.).

28. c) Iam eam haec sit verbi creata cognitione producti natura, rationali deductione facile infertur, quaenam *ratio*

Verbi divini sit vel in quibus cum verbo creato conveniat et in quibus ab eo differat: si quidem ex ipsa revelatione constet, etiam divina cognitione verbum produci. Videlicet quae essentialem rationem verbi intellectualis constituunt atque imperfectionem nullam dicunt, etiam in Verbo divino inveniantur oportet: quae vero vel minimam imperfectionem includunt, a Verbo divino prorsus eliminanda sunt. Itaque *primo,* cum ad essentialem verbi intellectualis rationem pertineat, quod per intellectivam operationem immanenter producatur hoc ipsum etiam de Verbo divino valeat necesse est, scilicet intellectionis divinae terminus immanens productus est vel per intellectionem divinam immanenter procedit. Qua vero ratione ab ea processione omnis imperfectio etiam termini procedentis sit soluta, opportunius inferius explicabitur. *Secundo* verbo mentali essentiale est, quod obiectum intellectionis intentionaliter exprimit: ergo etiam Verbum divinum obiecti cognitionis divinae perfecta expressio vel repraesentatio est. *Tertio* cum verbum creatum ex indigentia intelligentis producatur, utpote qui ex se est mera potentia intelligendi et per ipsum verbum in actu constituitur; Verbum divinum non ex indigentia aut potentialitate sui principii, sed ex eius perfectione et foecunditate producitur, utpote quod ex essentia sua non potentia, sed purissimus actus intelligendi est. *Quarto* igitur verbum creatum forma accidentalis intellectum in ratione intellectionis actuans est; Verbum autem divinum infinita substantia vel intellectio subsistens est. *Quinto* denique in productione verbi creati forma repraesentativa ipsi propria est res distincta a forma, quae est principium verbi productivam, cum illa ad hanc se habeat ut actus secundus ad actum primum; in productione autem Verbi divini, quamvis principium producens necessario distinctum sit a Verbo producto, forma tamen, quae in hoc est ratio repraesentandi, eadem est cum forma, quae in illo ratio producendi est, quippe cum sit ipsum intelligere principii producentis Verbo communicatum. Etenim Verbi divini productio nequaquam dicere potest transitum de potentia in actum, sed communicatio eiusdem purissimi et simplicissimi actus est.

29. 2) *Probatur ex scriptura.* — Iam secundum SS. Trinitatis personam, Filium Dei, per intellectionem divinam procedere, ratione verbi mentalis exposita facile probatur ex nomine Verbi, quod eidem personae in scriptura tribuitur; et confirmatur ex nominibus sapientiae et imaginis, quae pariter ibidem de eadem usurpantur. Itaque:

a) Filius Dei secundum sacras litteras Verbum Dei est; qui autem Verbum Dei est, per intellectionem divinam procedit; ergo Filius Dei per intellectionem divinam procedit.

Probatur maior: In prologo evangelii S. Ioannis et 1. Ioan. 1. idem, qui Filius Dei dicitur, etiam Verbum Dei appellatur; et Apocal. 19, 13. Christus proprio nomine Verbum Dei nominatur: *Et voçatur nomen eius Verbum Dei.* Atque hinc constans semper et consentiens etiam Traditionis doctrina est, Filium Dei et Verbum esse unam eandemque divinam personam. Ita *Damasus* papa declarat: „Cum ipse Filius sit Verbum Dei", et: „Si quis non dixerit Verbum Domini Filium Dei Deum, sicut Deum Patrem eius, et omnia posse et omnia nosse et Patri aequalem, a. s." (Anathem. 7. 10. Denz. n. 29. n. 34.). Necnon *Concilium Chalcedonense* exhibet: „unum et eundem Filium unigenitum Deum, Verbum, Dominum Iesum Christum" (D. n. 134.). Iamvero hoc nomen Verbi Dei de Filio Dei proprio sensu usurpari absque dubitatione certum esse debet, quamvis cum variis haereticis etiam Durandus oppositum dicere ausus sit (In 1. d. 2. q. 3. et d. 27. q. 3.). Etenim cum idem nomen simpliciter et sine ulla restrictione vel limitatione sive explicita sive implicita adhibeatur, a sensu proprio recedere fas non est; neque enim ullo modo imaginandum est, gravissima et fundamentalia fidei mysteria constanter metaphoricis terminis proponi: secus etiam termini Patris et Filii tropice accipi possent et consequenter totum hoc Trinitatis dogma et cum ipso alia penitus destruerentur. Quae cum ita sint, etiam tota traditio nomen *Verbum Dei* constanter proprio sensu usurpavit. Ita v. g. *Cyrillus A.* contra Eunomium: „Quid obsecro de Ioanne statues, qui Filium vocat Verbum, atque hanc maxime propriam appellationem ei tribuit, quaeque es-

sentiam eius maxime manifestet? Ait enim: *In principio erat Verbum* . . . Vides, quomodo essentiam Filii exponat hoc nomen et haec appellatio Verbi, quae secundum naturam significat" (Thesaur. ass. 19.). Similiter alii Patres, ut ***Athanasius*** in orationibus contra Arianos, ***Augustinus*** in libris de Trinitate (l. 15. c. 10. ss.), *I. Damascenus* (De fide orthodoxa, l. 1. c. 6. ss.). Denique *S. Thomas* propriam eam acceptionem hac ratione confirmat: „Ariani, quorum fons Origenes invenitur, posuerunt Filium alium a Patre esse in diversitate substantiae. Unde conati sunt, cum Filius Dei Verbum dicitur, astruere non esse proprie dictum, ne sub ratione Verbi procedentis cogerentur fateri Filium Dei non esse extra substantiam Patris. Nam verbum interius sic a dicente procedit, quod in ipso manet. Sed necesse est, si ponitur verbum Dei metaphorice dictum, quod ponatur verbum Dei proprie dictum. Non enim potest aliquid metaphorice verbum dici nisi ratione manifestationis; quia vel manifestat sicut verbum, vel est verbo manifestatum. Si autem est manifestatum verbo, oportet ponere verbum, quo manifestetur. Si autem dicitur verbum, quia exterius manifestat ea, quae exterius manifestantur, non dicuntur verba, nisi in quantum significant interiorem mentis conceptum, quem aliquis etiam per exteriora signa manifestat. Etsi ergo verbum aliquando dicatur metaphorice in divinis, tamen oportet ponere verbum proprie dictum, quod personaliter dicatur" (S. th. 1. p. q. 34. a. 1. ad 1.).

Probatur minor. Haec iam simul cum maiore demon- **30.**
strata intelligitur, sed ulterius sic confirmari potest. Cum Filius Dei sit Verbum Dei proprie dictum, est aut Verbum Dei prolatum sive prolatitium aut vero immanens. Iamvero Filius Dei potest quidem dici et a Patribus dictus est verbum Dei prolatum, quatenus creatione et incarnatione manifestatus est; atvero imprimis vero et proprio sensu Verbum Dei immanens est. Etenim *primo*, ut ex argumentatione S. Thomae supra relata patet, non potuisset fieri verbum Dei prolatitium, nisi prius Verbum Dei immanens fuisset. *Praeterea* Christus Filius Dei ab Ioanne manifesto exhibetur

tamquam Verbum increatum, aeternum, divina natura praeditum, a Patre distinctum et personale; tale autem Verbum profecto non solum prolatum, sed immanens est, ideoque per intellectionem procedit. Ergo Filius Dei, cum sit Verbum, per intellectionem divinam procedere intelligitur. Apposite *S. Basilius:* „Cur Verbum? Ut perspicuum sit processisse ex mente" (Hom. 16. in illud: *In principio erat Verbum* n. 3.). Et *Gregorius Naz.* declarat, Filium dici Verbum, ὅτι οὕτως ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, ὡς πρὸς νοῦν λόγος (Orat. theol. 4. vers. fin.). Similiter alii.

31. b) Filius Dei in scriptura tamquam *sapientia Patris* exhibetur. Nam quae in libris sapientialibus de Sapientia tamquam de persona subsistente enuntiantur (cf. thes. 3. n. 10.), Patribus consentientibus de persona Filii intelligenda sunt. Quod vero quidam antiqui scriptores eadem de Spiritu Sancto acceperunt, ut Theophilus (ad Autol. l. 2. n. 7. et 18.) et S. Irenaeus (haer. l. 4. c. 20.) moralem consensum non tollit. Etenim plerique scriptores eiusdem aetatis Sapientiam Filium Dei intelligunt, ut v. g. Athenagoras (Legat. n. 10.), S. Justinus (dial. cum Tryphone n. 61. et n. 129.), Clemens Alexandrinus (Strom. 6.), Tertullianus (Adv. Hermag. c. 18.); atque praeterea et inprimis iam tempore Arianae haeresis haec interpretatio in universa ecclesia communis evaserat (cf. thes. 3. n. 13.). — Ceterum haec interpretatio ex ipsa scriptura satis certa esse videtur; etenim ex una parte, quae in libris sapientialibus de Sapientia enuntiantur, eadem in Novo Testamento Filio sive Verbo tribuuntur; et ex altera parte item Filius vel Christus ibidem expressis verbis Dei sapientia dicitur, ut Matth. 11, 19.; Luc. 11, 49.; 1. Cor. 1, 24. 30. Itaque nulla dubitatio esse potest, Filium esse Sapientiam Patris. Atqui hac Filii appellatione indicatur eundem ex intellectione paterna procedere. Ergo.

Probatur minor: Etenim, cum tres personae divinae sint sapientes, imo ipsa sapientia, ratio unica, ob quam Filius speciali modo et prae aliis personis Sapientia dicatur, nonnisi specialis relatio originis esse potest; atqui si propter originem suam Sapientia dicitur, necessario ab intellectu paterno pro-

cedere credendus est, quia principium sapientiae intellectus est. Ergo. Et *confirmatur* ex ipsa scriptura, utpote in qua Sapientia de seipsa dicit: „*Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam*" (Eccl. 24, 5.) cf. S. Augustin., de Trinitate l. 7. c. 3.

c) Denique Filius Dei in scriptura nomine *imaginis* aliis- 32
que similibus denotatur, ut Col. 1, 15.: *Imago Dei invisibilis*; Heb. 1, 3: *Splendor gloriae et figura substantiae eius*; 2. Cor. 4, 4.: *Illuminatio evangelii gloriae Christi, qui est imago Dei*; Sap. 7, 25. 26: *Vapor virtutis Dei, emanatio quaedam claritatis omnipotentis Dei sincera, candor lucis aeternae, speculum sine macula Dei maiestatis, imago bonitatis illius.* Atqui cum hac ratione imaginis connexa est origo Filii ab intellectu paterno. Ergo.

Probatur minor. Et *primo* quidem hanc connexionem indicant SS. Patres (cf. Petavius, de Trinit. 2, 11. et 6, 5—7 atque Ruiz, de Trinit. disp. 2. sect. 2.). — *Praeterea* vero ex ipsa interna imaginis ratione consequitur, quippe quam *S. Thomas* sic declarat: „De ratione imaginis est similitudo. Non tamen quaecunque similitudo sufficit ad rationem imaginis, sed similitudo quae est in specie rei vel saltem in aliquo signo speciei. Signum autem speciei in rebus corporeis maxime videtur esse figura. Videmus enim, quod diversorum animalium secundum speciem sunt diversae figurae, non autem diversi colores. Unde si depingatur color alicuius rei in pariete, non dicitur esse imago, nisi depingatur figura. Sed neque ipsa similitudo speciei sufficit, vel figurae; sed requiritur ad rationem imaginis origo; quia, ut *Augustinus* dicit in lib. 83 quaestion. q. 74. post init.: unum ovum non est imago alterius, quia non est de illo expressum. Ad hoc ergo quod vere aliquid sit imago, requiritur quod ex alio procedat simile ei in specie, vel saltem in signo speciei" (S. th. 1. p. q. 35. a. 1.). Quae cum ita sint, imago proprie est: *Perfecta similitudo ad exemplar expressa ex vi actionis vel quasi-actionis, qua exprimitur.* Et sane haec definitio communi hominum acceptioni respondet et omnibus imaginibus naturalibus et artefactis convenit ut v. g. picturae, photo-

graphiae, statuae: si vero similitudo non adesset vi ipsius actionis, qua producitur, per se et formaliter, imago proprio sensu non esset. Jam hinc facile argumentum eruitur. Videlicet cum Filius ex doctrina scripturae sit imago Patris, per actionem procedat necesse est, quae per se et formaliter ipsum constituat perfectam similitudinem ad exemplar Patris expressam; atqui unica eiusmodi actio exstat intellectio divina; ergo Filius per intellectionem paternam procedit.

33. 3) *Ex traditione.* — SS. Patrum hac in re communis est doctrina eamque probant imprimis iisdem scripturae testimoniis, quae modo ad demonstrationem adhibita sunt, praesertim vero inde, quod Filius propria ratione Verbum Patris dicitur et est. In re iam clara pauca testimonia exempli causa adducere satis erit. Itaque *Cyrillus Alexandrinus:* „Sermo, inquit, ille prolatitius, quo utimur, in mente et ex mente gignitur; ac videtur quidem diversus esse ab eo, qui in corde versatur, quatenus extra os existit, velut e profundo missus in lucem. Est autem rursus in ipso, eique similis in omnibus. Etenim videre licet in sermone cogitationem illam, quae cordis sermo dicitur, ac vicissim in mente verbum adhuc tacitum. Ita Filius Dei sine divisione procedens a Patre, character est et expressa figura proprietatis ipsius. Verbum enim est hypostatice existens et vivens ex vivo Patre“ (Thesaur. 6.). Et *Augustinus:* „Quando ergo concipis verbum, quod proferas, rem vis dicere; et ipsa rei conceptio in corde tuo iam verbum est. Nondum processit, sed iam natum est in corde, et manet, ut procedat . . . Quomodo tu verbum, quod loqueris, in corde habes, et apud te est, et ipsa conceptio spiritalis est. Nam sicut anima tua spiritus est, ita et verbum, quod concepisti, spiritus est; nondum enim accepit sonum, ut per syllabas dividatur, sed manet in conceptione cordis et in speculo mentis, sic Deus edidit verbum, hoc est genuit Filium. Et tu quidem ex tempore gignis verbum etiam in corde. Deus sine tempore genuit Filium, per quem creavit omnia tempora“ (In Ioann. tract. 14. c. 2.). Et alibi: „Verbum ergo Dei Patris unigenitus Filius, per omnia Patri similis et aequalis, Deus de Deo, lumen de lu-

mine, sapientia de sapientia, essentia de essentia; est hoc omnino, quod Pater, non tamen Pater; quia iste Filius, ille Pater. Ac per hoc, quod novit omnia, quae novit Pater: sed ei nosse de Patre est, sicut esse. Nosse enim et esse ibi unum est. Et ideo Patri sicut esse non est a Filio, ita nec nosse. Proinde tamquam seipsum dicens Pater genuit Verbum sibi aequale per omnia. Non enim seipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in eius Verbo quam in ipso. Ibi summe illud agnoscitur: Est, est; non, non (Math. 5, 37.). Et ideo Verbum hoc vere veritas est: quoniam quidquid est in ea scientia de qua genitum est, et in ipso est; quod autem in ea non est, nec in ipso est . . . Sciunt ergo invicem Pater et Filius; sed ille gignendo, iste nascendo" (De Trinit. l. 15. c. 14.). Et ibidem paulo inferius: „Verbum autem nostrum illud, quod non habet sonum neque cogitationem soni, sed eius rei, quam videndo intus dicimus, et ideo nullius linguae est; atque inde utcumque simile est in hoc aenigmate illi Verbo Dei, quod etiam Deus est, quoniam sic et hoc de nostra nascitur, quemadmodum et illud de scientia Patris natum est" (c. 15.). Denique *Fulgentius* item comparans Verbum divinum cum verbo mentis humanae haec exsequitur: „Sic est Verbum apud Deum, sicut est in mente verbum, sicut in corde consilium. Cum enim mens apud se verbum habet, utique cogitando habet, quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare. Cum ergo mens cogitat, et cogitando verbum intra se generat, de sua substantia generat verbum, et sic illud verbum generat de se, ut genitum habeat apud se; nec minus aliquid habet verbum, quod ex mente nascitur, quam est mens, de qua nascitur, quia quanta est mens, quae generat verbum, tantum est etiam ipsum verbum. Sicut enim de tota mente nascitur verbum, sic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente non est eius aliquid, ubi in ea verbum non sit; ideo verbum tantum est, quanta est mens ipsa, de qua est, et cum apud illam est, in illa est, et quanta illa est, tantum etiam verbum est, quia de tota et in tota est, tantumque est ipsum verbum, quanta

simul est et mens ipsa cum verbo; neque enim sic de illa verbum nascitur, ut ab ea localiter secernatur. Nativitas quippe illa, quae ostendit, quid sit, et de qua sit, ipsa ostendit, quod extra eam, de qua natum est, esse non possit, nec in aliquo minus sit, sed sic de ipsa sit, ut apud ipsam et in ipsa sit; tantumque sit de illa, quantum in illa, et tantum in illa, quantum cum illa" (Ad Monim. l. 3. c. 7.).

34. ***2. Haec Filii per operationem intellectualem a Patre processio rationem verae et proprie dictae generationis habet.*** — Quae assertio satis intellegitur, ratione formali tum generationis tum verbi intellectualis praesertim divini perpensa. Iam, ut *S. Thomas* declarat: „Nomine generationis dupliciter utimur. Uno modo communiter ad omnia generabilia et corruptibilia; et sic generatio nihil aliud est, quam mutatio de non esse ad esse. Alio modo proprie in viventibus; et sic generatio significat originem alicuius viventis a principio vivente coniuncto; et haec proprie dicitur nativitas. Non tamen omne huiusmodi dicitur genitum, sed proprie quod procedit secundum rationem similitudinis. Unde pilus vel capillus non habet rationem geniti et filii, sed solum, quod procedit secundum rationem similitudinis, non cuiuscunque; nam vermes, qui generantur ex animalibus (siquidem generantur; sed generatio aequivoca nulla exstat), non habent rationem generationis et filiationis, licet sit similitudo secundum genus; sed requiritur ad rationem talis generationis, quod procedat secundum rationem similitudinis in natura eiusdem speciei; sicut homo procedit ab homine, et equus ab equo. In viventibus igitur, quae de potentia in actum vitae procedunt, sicut sunt homines et animalia, generatio utramque generationem includit. Si autem sit aliquod vivens, cuius vita non exeat de potentia in actum, processio (si qua in tali vivente invenitur) excludit omnino primam rationem generationis; sed potest habere rationem generationis, quae est propria viventium" (1. p. q. 27. a. 2.). Quaecum ita sint, generatio proprie dicta recte definitur: *Origo viventis a vivente coniuncto in similitudinem naturae.* In qua definitione termino *a vivente coniuncto* significatur,

generationem ex substantia vel natura generantis esse ita, ut ipsa generantis substantia saltem aliqua sui parte in genitum derivetur atque sic principium generationis quodammodo ipsum genitum fiat. Qua ratione maxime generatio differt a creatione et effectione, utpote in quibus aliquid extrinsecus oritur, non autem ex ipsa substantia manat vel profunditur. „Quod efficitur, inquit *Basilius*, non ex substantia efficientis existit; quod autem gignitur, ex ipsamet generantis est substantia. Non est igitur idem efficere ac generare" (Cont. Eunom. l. 4.). Denique termino *in similitudinem naturae* exprimitur, ad generationem requiri, ut terminus genitus ex modo ac vi ipsius processionis cum genitore similitudinem habeat. Si igitur v. g. ex cadavere vermis per generationem aequivocam alius vermis eiusdem generis et speciei oriretur, vera generatio non esset, cum ex eodem cadavere aliud animal oriri potuisset adeoque alter vermis non vi ipsius processionis, sed per accidens ortus esset. Quibus omnibus ratio verae generationis satis declarata est.

Iam cum haec et non alia sit ratio generationis, pro- 35. cessionem Verbi divini rationem verae et proprie dictae generationis habere, satis commode liquet. Etenim

1) In ea processione adest *origo alterius ab altero;* nam de ratione verbi est, ut ab eo, cuius verbum est, realiter distinguatur, quia scilicet terminus intellectione productus est.

2) Eadem processio est *origo viventis a vivente;* etenim verbum operatione non transeunte sed immanente adeoque vitali procedit; quare sicut verbum nostrum in mente nostra manet atque actus vitae accidentalis est, ita Verbum divinum apud Deum manet atque actus vitae substantialis est. Qui igitur vitam in semetipso habet atque vita ipsa est, ea productione alteri a se distincto dedit habere vitam in semetipso et esse ipsam vitam.

3) In processione Verbi divini origo habetur *viventis a vivente coniuncto;* nam in hac origine substantia generantis non tantum aliqua sui parte neque tantum specie eadem, sed tota substantia divina atque numero eadem genito communi-

catur ita, ut nulla sit alterius ab altero seiunctio, imo nec distinctio nisi per relationum oppositionem.

4) Denique Verbum procedit *in similitudinem naturae:* non tantum quia tamquam *divinum* actus non accidentalis sed subsistens atque substantialis est, sed quia tamquam *Verbum* divinum essentiae divinae, obiecti formalis et proprii intellectionis divinae, perfectissima expressio vel similitudo est ideoque, sicut ipsa intellectio divina, cum essentia divina perfectam identitatem habet.

Quae cum ita sint, processio Verbi divini verissimae generationis rationem habet atque Verbum. quod tamquam terminus immanens productus per actum purissimum et absolute necessarium intellectionis substantialis paternae productus expressio est perfecta sui principii per identitatem naturae, rationem Filii habet sensu maxime proprio adeo, ut alia quaevis filiatio cum ipsius filiatione comparata analoga tantum quaedam eiusdem adumbratio censeri queat. Merito igitur *S. Augustinus* scribit: „Eo quippe Filius, quo Verbum, et eo Verbum, quo Filius.“ (L. c.)

Corollaria.

36. ***1. Filius sive Verbum aeterna generatione procedit.*** — Quae assertio, cum quidem iam ex praecedenti demonstratione prorsus manifesta sit, expresse tamen contra Arianos, qui dicebant: „Erat aliquando, quando non erat, et prius, quam nasceretur, non erat“ (cf. symbol. Nicaen.) notari meretur atque rationibus quibusdam in unum collectis muniri:

1) Ex scriptura evidenter constat. — Nimirum Filius dicitur *vita aeterna, quae erat apud Patrem* (1. Ioan. 1, 2.); *in principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum* (Ioan. 1, 1.); *ex utero ante luciferum genui te* (Ps. 109, 3.); *Filius meus es tu; ego hodie genui te* (Heb. 1, 7.). Iam aliis praetermissis haec omnia generationem Filii ex Patris aeternam esse clare praedicant. Quod enim illa verba; *ego hodie genui te* attinet, egregie in eadem notat *S. Thomas:* „Ista generatio non est temporalis, sed aeterna, quia *hodie*

genui te. Differt autem tempus ab aeternitate, quia tempus variatur sicut motus, cuius mensura est in variatione et successione. Et ideo per successionem nominantur praeteriti et futuri. Aeternitas autem est mensura rei immobilis et ideo non est ibi variatio per successionem, sed semper est praesens et ideo notatur per adverbium praesentis temporis, scilicet *hodie.* Verum quia illud, quod fit, quia nondum est, incompletum per consequens est: quod autem factum est, completum est et ita perfectum, ideo non dicit: *genero te*, sed *genui*, quia perfectus est. Sed tamen ne putetur esse generatio eius tota in praeteritione et per consequens in defectione, addit *hodie*, ut sit sensus: perfectus es, Fili, et tamen generatio tua aeterna est et semper a me generaris; sicut lumen in aere perfectum est et tamen semper procedit a sole" (In h. l.).

2) *Accedit manifestum traditionis suffragium.* — Nam ideo Ariani a Patribus impugnati et refutati atque a magisterio authentico damnati sunt, quia Filium non esse ab aeterno, sed in tempore a Deo processisse impie contendebant.

3) *Denique ex natura rei idem evidenter colligitur.* — Etenim cum Filius verus Deus sit, nonnisi ab aeterno generatione procedere potest; praeterea quia tamquam Verbum per intellectionem paternam procedit, ideo sicuti haec necessario aeterna est, tamquam necessarius terminus eiusdem necessario ab aeterno generatur.

2. *Filius tamquam secunda ss. Trinitatis persona procedit.* — Haec propositio, quae non perfectionis vel dignitatis ordinem spectat, quippe quo considerato divinae personae perfecte aequales sunt, sed originis rationem, sub qua differunt ab invicem, respicit, pariter evidens est. 37.

1) *Ex Scriptura et traditione constat.* — Etenim in hisce fontibus revelationis, si tres personae divinae simul connumerantur, Filius fere semper ponitur secundo loco, cum Pater primo et Spiritus Sanctus tertio loco exhiberi soleant. Raro tantum vel hinc inde Filius tertio loco post Spiritum Sanctum secundo loco exhibitum ponitur, quia scilicet Filii natura potius humana quam divina spectatur.

2) Idem ex natura rei intellegitur. — Nam cum Filius et Spiritus sanctus procedant, hac processione vel origine spectata, Filius prior Spiritu Sancto esse intelligitur. Nam Filius, ut demonstratum est, per intellectionem, Spiritus Sanctus autem per amorem procedit; intellectio autem prior est amore. Insuper Filius a solo Patre, Spiritus Sanctus autem ex Patre et Filio procedit; iam vero origine sane prius est principium processionis, quam terminus eiusdem. Ergo.

38. ***3. Verbum in divinitate tantum personaliter, non vero essentialiter dicitur.*** — Fuerunt quidam, qui Verbum in divinis tum personaliter sive notionaliter tum essentialiter dici autumarunt: ratio eorum fuit, quod omnis actus intelligendi, cum forma expressa repraesentans sit, rationem verbi habeat; hinc scilicet, cum ipsa essentia divina infinitus actus intelligendi sit communis tribus personis divinis, illico consequi videtur, non solum Filium, sed praeterea tum essentiam divinam tum Patrem tum Spiritum Sanctum Verbum dici posse. Et confirmatur, quia S. Basilius verba: *Portans omnia verbo virtutis suae* (Heb. 1, 3.) ita interpretatur, ut Spiritum Sanctum verbum Filii esse declaret.

Verum *improbanda et falsa haec opinio est*, ut ex ipsa ratione verbi intellectualis facile patet: „Dicitur proprie Verbum in Deo, inquit *S. Thomas*, secundum quod Verbum significat conceptum intellectus. Unde *Augustinus* dicit l. 15. de Trinit. c. 10.: ‚Quisquis potest intelligere verbum non solum, antequam sonet, verum etiam, antequam sonorum eius imagines cogitatione involvantur, iam potest videre aliquam Verbi illius similitudinem, de quo dictum est: *In principio erat Verbum.* Ipse autem conceptus cordis de ratione sua habet, quod ab alio procedat, scilicet a notitia concipientis.‘ Unde Verbum, secundum quod proprie dicitur in divinis, significat aliquid ab alio procedens, quod pertinet ad rationem nominum personalium in divinis, eo quod personae divinae distinguuntur secundum originem. Unde oportet, quod nomen Verbi, secundum quod proprie in divinis accipitur, non sumatur essentialiter, sed personaliter tantum“ (S. th. 1. p. q. 34. a. 1.).

Breviter: De ratione verbi proprie dicti est, ut realiter per intellectionem procedat; atqui nec essentia, nec Pater, nec Spiritus Sanctus realiter per intellectionem procedunt; sed solus Filius hanc originem habet; ergo solus Filius proprie Verbum est ideoque Verbum non essentialiter, sed solum personaliter dicitur. Quod vero rationem in oppositum ex Scriptura et Basilio obiectam attinet, optime respondet *S. Thomas:* „Cum de Filio dicitur: *Portans omnia verbo virtutis suae* verbum figurate accipitur pro effectu Verbi. Unde glossa interlinearis ibi dicit, quod verbum sumitur pro imperio, in quantum scilicet ex effectu virtutis Verbi est, quod res conserventur in esse; sicut ex effectu virtutis Verbi est, quod res producantur in esse. Quod vere Basilius interpretatur verbum pro Spiritu Sancto, improprie et figurate locutus est, prout verbum alicuius dici potest omne illud, quod est manifestativum eius, ut sic ea ratione dicatur Spiritus Sanctus verbum Filii, quia manifestat Filium“ (Ib. a. 2. ad 5.).

Sicut autem Verbum intra Deum tantum personaliter 32
dicitur, *ita etiam dicere tantum personaliter sumi potest,* utpote qui terminus nihil aliud significat, quam Verbum producere; hoc enim soli Patri convenit. Apposite iterum *S. Thomas:* „Sicut proprie loquendo Verbum dicitur personaliter in divinis et non essentialiter, ita et *dicere.* Unde sicut Verbum non est commune Patri, et Filio et Spiritui Sancto; ita non est verum, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sint *unus dicens.* Unde *Augustinus* dicit, 7. Trinit. c. 1. circa princ.: „Dicens illo coaeterno Verbo non singulus intelligitur in divinis; sed cum ipso Verbo, sine quo non est utique dicens. Sed *dici* convenit cuilibet personae; *dicitur* enim non solum verbum, sed res, quae verbo intelligitur, vel significatur. Sic ergo uni soli personae in divinis convenit *dici* eo modo, quo dicitur Verbum; eo vero modo, quo dicitur res in verbo intellecta, cuilibet personae convenit *dici.* Pater enim intelligendo se et Filium et Spiritum Sanctum et omnia alia, quae eius scientia continentur, concipit Verbum ut sic tota Trinitas Verbo *dicatur,* et etiam omnis creatura. Sicut intellectus hominis verbo, quod concipit intelligendo

lapidem, *dicit*" (Ib. a. 1. a. 3.). — Quod vero S. Anselmus (Monolog. c. 32. 28.) opinari videtur, in summo spiritu idem esse intelligere ac *dicere* atque ideo tum Patrem tum Filium tuus Spiritum Sanctum *dicentem* esse, reipsa huic doctrinae opponi non videtur. Etenim, ut iterum *S. Thomas* declarat: „Anselmus . . . improprie accepit dicere pro intelligere: quae tamen differunt; nam intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quaedam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectae. In Deo autem importat omnimodam identitatem, quia in Deo est omnino idem intellectus et intellectum . . . Sed *dicere* importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum; nihil est enim aliud dicere, quam proferre verbum. Sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quae in verbo prolato manifestatur intelligenti. Et sic sola persona, quae profert verbum, est *dicens* in divinis, cum tamen singula personarum sit intelligens, et intellecta, et per consequens verbo dicta" (Ib.). Vel forte etiam dici potest, Anselmum locutum esse sensu identico ac ratione absoluti, quo sensu intelligere sane *dicere* includit.

40. Ex hac S. Thomae declaratione patet, non solum ipsum Verbum ac personas ceteras divinas, sed omnem rem Verbo repraesentatam a Patre dici, etsi ea dictione non producatur. Quod ulterius declarans *Suarez* merito notat: „Verbum includit duplicem respectum . . . (alterum realem ad dicentem alterum rationis ad res repraesentatas), et ideo, quando producitur Verbum, censetur quodammodo res produci, non in esse simpliciter, sed in esse repraesentativo, et inde communi usu factum est, ut verbum passivum significans productionem Verbi, scilicet *dici,* ipsi obiecto tribuatur. Quod in similibus facile constat; dicimus enim depingere imaginem et regem, et scribere litteras, et res; ita ergo dicimus verbum et rem repraesentatam per verbum. Ibi autem aliqua includitur analogia, nam dicere verbum est proprie producere illud, dicere autem rem est repraesentare illam producendo verbum eius, et idem est de verbo pingendi, scri-

bendi et similibus. Et videntur locutiones fundatae in illo principio sumpto ex *Aristotele* de memoria et reminiscentia c. 5.: ,Idem est motus in imaginem, et in id, cuius est imago'" (De Trinit. l. 9. c. 3. n. 8.).

4. Verbum quidem, nomine Sapientiae non 41
essentialiter sed personaliter sumpto, Sapientia Patris dici potest; nullo tamen modo est Sapientia Patris, qua ipse Pater formaliter sapiens est. — Tria in hac assertione continentur, quae distinctim explicanda sunt:

1) *Verbum, si nomen Sapientiae essentialiter sumatur, dici nequit Sapientia Patris.* — Ratio est manifesta: Nam nomen sapientiae essentialiter sumptum non aliter significat ac alia nomina absoluta, ut v. g. divinitas vel essentia: atqui Verbum non dicitur divinitas vel essentia Patris, quamvis sit divinitas vel essentia a Patre accepta; ergo neque dici potest Sapientia Patris, nomine Sapientiae essentialiter accepto, quamvis sapientia a Patre communicata sit. Ad summum sensu prorsus improprio Filius sapientia Patris dici potest, quia est illa sapientia, quae est Pater eamque a Patre habet.

2) *Si vero nomen Sapientiae personaliter sumitur, pro* 42.
ipsa nempe sapientia genita, Verbum sane Sapientia Patris nominari potest. — Nimirum cum vox ipsa sapientiae in rigore sit absoluta et communis, Verbo divino tamen appropriatur vel speciali modo prae aliis personis divinis tribuitur, quia ex vi processionis suae formaliter sapientiam a Patre recipit. Iam ad hanc originem significandam Verbum proprie Sapientia Patris dici potest et dicitur. Ut vero de hac significatione sine ambiguitate constet, nomini Sapientiae vel aliquid addendum est vel ex circumstantia sermonis constare debet, eo modo terminum adhiberi.

3) *Neque tamen Verbum ullo modo Sapientia Patris* 43.
est, per quam ipse Pater formaliter sapiens sit. — Videlicet in termino Sapientia Patris genitivus *Patris* per se duplicem habitudinem significare potest, causa formalis et originis, sicut etiam Verbum hominis dici potest sapientia eius,

quia et ab illo procedit et illum formaliter actu sapientem constituit. Porro Patrem Sapientia genita formaliter constitui sapientem, aliquando opinatus est *Augustinus* (l. 83. qq. q. 23.).

Verum *falsa est eiusmodi opinatio vel locutio;* Pater nullo modo per Sapientiam genitam formaliter sapiens constituitur. Quod iam *Athanasius* clare notavit: „Sapientia Patris est Filius, non ut in homine, ubi per sapientiam est sapiens, sed ex sapiente sapientia illa ortum habet“ (or. 1.). *S. Augustinus* vero illam opinationem ipse non semel retractavit et refutavit. Verbi causa sic praeclare disserit: „Quod si et Pater, qui genuit Sapientiam, ex ea fit sapiens, neque hoc est illi esse, quod sapere, qualitas eius est Filius, non proles eius et non ibi erit iam summa simplicitas. Sed absit, ut ita sit, quia vere ibi est summe simplex essentia: hoc ergo ibi est esse, quod sapere. Quod si hoc est ibi esse quod sapere, non per illam sapientiam, quam genúit, sapiens est Pater, alioquin non ipse illam, sed illa eum genuit. Quid enim aliud dicimus, cum dicimus; hoc illi est esse, quod sapere, nisi eo est, quo sapiens est? Quapropter quae causa illi est, ut sapiens sit, ipsa illi causa est, ut sit: proinde si sapientia, quam genuit, causa illi est, ut sapiens sit, etiam ut sit ipsa illi causa est. Quod fieri non potest, nisi gignendo eam aut faciendo. Sed neque genitricem, neque conditricem Patris ullo modo quisquam dixerit sapientiam. Quid enim insanius? Ergo et Pater ipse sapientia est: et ita dicitur Filius Sapientia Patris, quomodo dicitur lumen Patris; id est, ut quemadmodum lumen de lumine et utrumque unum lumen, sic intelligitur sapientia de sapientia et utrumque una sapientia; ergo est una essentia, quia hoc et ibi esse, quod sapere. Quod enim est sapientiae sapere et potentiae posse et aeternitati aeternam esse, iustitiae iustam esse, magnitudini magnam esse, hoc est essentiae ipsum esse. Et quia in illa simplicitate non est aliud sapere quam esse, eadem ibi sapientia est quae essentia“ (De Trinit. l. 7. c. 1.; cf. ibid. c. 3.; l. 6. cc. 1. 2; l. 15. c. 7.; Retract. c. 26.).

44. Ex hac praeclara Augustini expositione manifestum est, item *falsam esse propositionem: Pater intelligit Verbo.* Nam

sicut formaliter sapiens est Pater per ipsam essentiam nec non pariter Filius et Spiritus Sanctus, ita per eandem personae divinae intelligentes constituuntur. *Recta vero est enuntiatio nonnunquam occurrens*: Pater intelligit in Verbo suo. Etenim haec propositio nihil nisi habitudinem obiecti, in quo cognito alia cognoscantur, menti sistit. Verbum autem revera obiectum intellectionis paternae est, in quo omnia speciali modo repraesentantur. Notandum vero est, illam propositionem continere aliquid, quod Verbo ob specialem suae processionis rationem tantum appropriatur, non autem proprium est. Repraesentatio enim omnium intelligibilium Verbo formaliter ratione essentiae convenit; essentia autem eadem est in omnibus personis divinis. Discrimen solum in eo est, quod Verbum vi suae processionis eam accipit formaliter ut repraesentativam, cum Spiritus Sanctus eam alia et Pater nulla processione habeat. Quod igitur omnia in Verbo repraesententur et cognoscantur, non est propter modum habendi eam repraesentationem, sed propter ipsam repraesentationem, et ideo in qualibet persona divina invenitur. Quare Verbo idem non proprium, sed appropriatum solum est. Itaque sicut intelligere, ita et repraesentare idem est in tribus personis, alius et alius tantum est modus habendi ipsum; unde repraesentare Patri non est proprium Verbo, sed repraesentare generatione acceptum; repraesentare simpliciter autem Verbo appropriatum est.

Ex praecedentibus iam solvitur etiam *quaestio connexa, num* 45. *dici possit: Filius est sapiens sapientia genita, Pater ingenita.* — Nimirum enuntiatio: Filius est sapiens sapientia genita, Pater sapiens est sapientia ingenita, sensu proprio et formali acceptae falsae sunt; nam nomina geniti et ingeniti nomina personalia sunt, sapientia autem dicit attributum absolutum et essentiale, sicut deitas. Iamvero dici nequit: Filius est Deus Deitate genita, cum non deitas generetur, sed Filius. Ergo pari ratione dici nequit sensu proprio et formali: Filius est sapiens sapientia genita, nec: Pater est sapiens sapientia ingenita.

Hoc loco ad difficultates solvendas iam opportune notatur, *tria verba, quibus actus intelligendi paternus significatur, ni-*

nirum generare, intelligere, dicere quoad modum significandi multum differre. Itaque *primo* vocabulum *generandi* solum dicit habitudinem ad terminum productum, non autem ad obiectum, unde nec reflecti potest supra ipsum generantem nec construi cum termino in casu significante modum causalitatis; et ideo non dicimus: Pater generat se, nec: generat Verbo, sed tantum generat Verbum. — Vocabulum *intelligendi* autem non dicit habitudinem ad terminum productum, sed tantum actum formalem intelligentis cum habitudine ad obiectum dicit et ideo reflecti potest supra ipsum Patrem, unde certe dicitur: Pater intelligit se. Insuper vero coniungi potest cum Filio in casu etiam significante obiectum ita ut recte dicatur: Pater intelligit Filium. Neque vero dici potest: Pater intelligit Verbo, quia ea enuntiatione exprimeretur causalitas formalis Verbi in intellectione paterna; Verbum autem, ut supra dictum est, intellectionem paternam non constituit, sed per eam procedit sive eiusdem terminus productus est. — Vocabulum denique *dicere* respectum ad terminum productum dicit et ideo propriissime dicitur: Pater dicit Verbum suum. Verum idem vocabulum non sistit in solo termino producto, sed, quia significat eundem, ut repraesentativus est, etiam ad res repraesentatas refertur tamquam ad obiectum; quare recte dicitur: Pater dicit se, dicit Spiritum Sanctum, dicit creaturas. Atque in hac significatione, in qua ad obiecta refertur, idem vocabulum *dicere* cum ipso termino producto i. e. Verbo etiam in casu significante causalitatem construitur; nimirum recte dicitur: Pater dicit Verbo semetipsum, totam ss. Trinitatem necnon creaturas; ratio est, quia hoc modo non significatur aliqua causalitas formalis Verbi circa obiecta, sed sola repraesentatio vel habitudo signi, quae in Verbo ad res dictas esse intelligitur.

46. Denique *solvenda est difficultas* aliqua, quae oriri possit ex argumentatione quadam, quam SS. Patres saepenumero contra Arianos adhibuerunt. Nimirum aeternitatem Filii contra hos haereticos vindicantes sic argumentati sunt: Pater nunquam fuit sine sapientia; atqui si fuisset sine Verbo, fuisset sine sapientia; ergo nunquam fuit sine Verbo; ergo

Verbum est aeternum. Ita v. g. S. Athanasius or. 4 cont. Arian. n. 4. et plures alii (cf. Petav. de Trinit. l. 6. c. 9.). Iamvero haec argumentatio inefficax videri possit, nisi Pater Verbo intelligat sive formaliter Verbo intelligens et sapiens constituatur. — *R.* Argumentatio isthaec SS Patrum prorsus efficax manet, quin ullo pacto consequatur, Patrem formaliter Verbo intelligere, sive per Sapientiam genitam formaliter constitui sapientem. Etenim quando dicunt, Patrem, si fuisset sine Verbo, fuisse sine sapientia: id sensu non formali, sed illativo accipiendum est. Videlicet sapientia subsistens et absoluta, ut est in Patre, ex interna necessitate et foecunditate naturae divinae necessario ad verbum consubstantiale productum terminatur. Quare ex defectu Verbi ab Arianis asserto, recte inferretur defectus sapientiae subsistentis et absolutae, atque vicissim ex aeternitate sapientiae essentialis in Patre recte aeternitas Verbi infertur. Neque tamen Pater per Verbum formaliter intelligens constituitur, sed eius intellectio necessario Verbo tamquam termino producto completur.

5. Per intellectionem divinam unum tantum Verbum procedere potest. 47. Nonnulli in eo difficultatem experiuntur, quod unum tantum in divinitate Verbum procedat, cum tamen non solius Patris, sed Filii quoque et Spiritus Sancti intellectio infinita sit ideoque eandem ac Patris foecunditatem habere posse et debere videatur. Verum haec difficultas merus imaginationis lusus est atque ipsa natura rei accuratius inspecta penitus excluditur. Nimirum cum verbum intellectionis nihil aliud sit, ut supra dictum est, nisi terminus intellectionis internus, totuplex verbum est, quotuplex est intellectio: atqui in divinitate una et simplicissima intellectio est; ergo unum tantum per intellectionem divinam verbum procedere potest. Unde in solo Patre, non vero in Filio et Spiritu Sancto intellectio divina foecunda Verbi est. Quod paulo amplius ita declarari potest. Quemadmodum solus Pater generat Filium, quia ipse solus essentiam divinam non ab alio habet, quae est proprietas personam generantem constituens, ita solus Pater intelligendo dicit Verbum, quia ipse

solus intellectionem habet a se, quae est conditio personam dicentem constituens. Etenim cum actus intelligendi generatione Verbi tamquam termini interni compleatur, ideo Pater necessario Verbum edit, Filius autem et Spiritus Sanctus Verbum gignere non possunt, quia actum Verbo iam completum a Patre accipiunt; verbum enim non magis multiplicari potest, ut dictum est, ac ipse actus, cuius est. Etenim sicut essentia divina multiplicari nequit, quoniam totius esse actus purissimus est, ita nec intellectio divina, quia actus totius intelligere i. e. perfecta cognitio omnis veri est; atque pariter Verbum multiplicari nequit, quia perfecta expressio omnes veri est. — *Neque contra excipi potest*, intellectionem Filii vel Spiritus Sancti, cum sit actio completa sine termino suo interno concipi non posse. Haec enim difficultas etiam ita instaurata merae imaginationi innititur, utpote qua intellectio Patris et Filii et Spiritus Sancti ut triplex concipitur. Sicut autem essentia non est triplex, sed una eademque numero, quae tum Patris tum Filii tum Spiritus Sancti est, ita nec triplex, sed una numero intellectio est Patri et Filio et Spiritui Sancto communis. Haec igitur una intellectio in Patre est dicens Verbum et in Filio Verbum dictum. Apposite *S. Thomas*: „Eo modo convenit Filio esse intelligentem, quo convenit ei esse Deum, cum intelligere essentialiter dicatur in divinis. Est autem Filius Deus genitus, non autem generans Deus, unde est quidem intelligens non ut producens Verbum, sed ut Verbum procedens, prout scilicet in Deo Verbum procedens secundum rem non differt ab intellectu divino, sed relatione sola distinguitur a principio Verbi" (S. th. 1. p. q. 34. a. 2. ad 4.). Et alibi brevius: „In ipsa perfectione divini esse continetur et Verbum intelligibiliter procedens et principium Verbi" (Ib. q. 27. a. 2. ad 3.). Qua vero ratione per oppositionem relationum, quae est inter Patrem dicentem et Verbum dictum in una essentia divina personae realiter distinctae constituantur, inferius, quoad eius fieri potest, fusius explicabitur.

48. ***6. Cum a processionibus divinis quaevis imperfectio desit, Verbum divinum neque procedit***

sicut operatio, neque eius generatio proprio sensu actio vel effectio vel productio est. — Ex iis, quae ad omnem a processione Verbi divini imperfectionem amandandam supra iam notata vel indigitata sunt, duo hoc loco vel ad intelligendum modum loquendi quorundam theologorum vel etiam ad ipsam rem magis perspiciendam paulo accuratius explicanda sunt:

1) *Verbum divinum non procedit sicut operatio.* — Nimirum in creaturis duplici modo aliquid ab alio procedit: alio modo ut operatio, alio ut operatum; v. g. intellectio ab intelligente et volitio a volente *ut operatio*, genitus autem a generante et opus artis ab artifice *ut operata* procedunt. Quae ut operata procedunt etiam ***secundum operationem*** seu ***ratione operationis*** procedere dicuntur. Quae cum ita sint, Verbum divinum nullo pacto procedere potest ***sicut operatio***, utpote quae in principio et in termino processionis imperfectionem arguit. Etenim operatio ab operante procedens ideoque realiter distincta est actualitas virtutis eius sive actus potentiae; quare accidens est in potentia receptum atque ideo tum in principio tum in termino processionis manifesto defectum et imperfectionem ponit. Cum igitur Deus sit ipsa perfectio subsistens atque per identitatem suum intelligere, suum velle, suum operari, Verbum divinum nequaquam sicut operatio procedit. Quibus notatis iam haec praeter alios *S. Thomae* expositio intelligitur: „Processus operationis ab operante non distinguit rem per se existentem ab alia re per se existente, sed distinguit perfectionem a perfecto, quia operatio est perfectio operantis. Sed processus operati distinguit unam rem ab alia. In divinis autem non potest esse secundum rem distinctio perfectionis a perfectibili. Inveniuntur tamen in Deo res ab invicem distinctae, scilicet tres personae; et ideo processus, qui significatur in divinis ut operationis ab operante, non est nisi rationis tantum; sed processus, qui significatur ut rei a principio, potest in Deo realiter inveniri" (De verit. q. 4. a. 2. ad 7.).

2) *Generatio Verbi divini neque proprio sensu actio* **49.**
vel effectio vel productio est. — Cum igitur Verbum divi-

num, ut dictum est, non procedat ut operatio, consequi videtur, ut sicut operatum procedat; verum potius *per modum operati* procedere dicendum est, ut scilicet omnis prorsus imperfectio ab hac processione removeatur. Etenim quod simpliciter sicut operatum procedit, actionis sive operationis vel effectionis effectus et causatum est; intra Deum autem nihil actione ulla causatum esse potest; atque ideo Verbum per modum operati procedere dicitur, quo generaliore termino omnis interna processio comprehendi potest, quae non est ipsius operationis, sed secundum operationem vel ratione eiusdem.

50. Itaque generatio Verbi *primo* non infert proprio sensu actionem sive ad praedicamentum actionis non pertinet, utpote quae accidens est vel necessario ut accidens concipitur; verum illa generatio potius influxus substantivus est Patris, a quo Filius, sive ratio exigitiva originis Filii a Patre, qui sibi consubstantiales solis relationibus oppositionis inter se distinguuntur. Neque *secundo* generatio Verbi proprio sensu productio vel effectio est; etenim quod producitur vel efficitur a non-esse ad esse, ex potentia ad actum procedit: Verbum autem divinum ex non-esse ad esse, ex potentia ad actum transire inepte diceretur et conciperetur. Quare per generationem Verbi nihil aliud intelligitur, nisi ex interna necessitate et foecunditate naturae divinae sub ratione intellectionis subsistentis alteram personam exstare et realiter se habere ad primam tamquam principiatum ad principium, vel in specie tamquam intellectum emissum ad intelligentem emittentem. Aliis verbis: Verbum divinum ex exigentia naturae divinae ideoque prorsus necessario est, quia est Pater; i. e. quia essentia divina ut actus intellectualis est in Patre, eo ipso sine nova imo vero sine ulla actione ut intellecta est in Filio, sive eum modum essendi habet, cum quo Verbum divinum est. Quare processio Verbi formaliter ipsa intellectualis dictio Verbi est seu ipsum Verbum ut procedens ab intellectione Patris. Qua ratione etiam processio Verbi tamquam alterius personae aliquali ratione intelligi potest. Etenim ex vi intellectionis paternae, quae cum essentia divina iden-

tica est eandemque ut obiectum respicit, haec eadem essentia divina primo intellecta aut dicta est atque novum essendi modum acquirit a se quidem indistinctum, distinctum vero a Patre, utpote cui relatione dicti ad dicentem vel verbi ad intelligentem opponitur. Iamvero hic essendi modus, quia in Deo accidens nullum esse potest, substantialis sit oportet; modus autem substantialis existendi in natura rationali hypostasis est. Ergo per intellectionem paternam in natura divina procedit altera persona divina, quae proprie Verbum est et dicitur, quia est terminus intellectionis ab intelligente procedens et rem intellectam repraesentans.

Ex dictis etiam intelligitur, qua ratione in anima nostra intelligente et amante imago quaedam Trinitatis contineatur, 51.
quemadmodum SS. Patres necnon antiqui theologi docuerunt. Nimirum anima imaginem Trinitatis non exhibet, quatenus simpliciter est et se intelligit et amat; cogitatio enim procedit in anima sicut operatio eius et amor similiter: Verbum autem divinum, ut dictum est, sicut operatio non procedit. Itaque anima imaginem Trinitatis exhibet, quatenus se intelligendo similitudinem seu verbum sui ipsius in seipsa format quasi animam intellectam in anima sese intelligente; et similiter se amando quasi animam amatam in anima sese amante constituit.

7. *Distinctio inter actum intellectus et verbum ab aliquibus Thomistis in intellectionem humanam inducta nihil confert ad generationem Verbi divini explicandam.* 52.
— *Billot* rationem verbi creati declarans contra doctrinam hac in re supra statutam sic animadvertit: „Et prior quidem doctrina apparet falsa ex rationibus intrinsecis: insuper tollit propinquissimum exemplum, quod apud nos inveniatur, divinarum processionum. Sententia vero opposita, quae est S. Thomae, videtur omnino vera et hic est breviter exponenda: non quod sit habenda ut fundamentum dicendorum de mysterio Trinitatis, absit; sed quia, ut mox dictum est, praebet viciniorem analogiam ex qua, per viam remotionis et excellentiae, possumus assurgere ad aliqualem intelligentiam processionis illius Verbi quod

erat in principio apud Deum" (Qu. 27. n. II.). — At vero haec perperam asseruntur. Praetermitto quidem, quod doctrina supra proposita ex internis rationibus falsa et opposita aliquorum Thomistarum S. Thomae esse dicatur; haec enim, quia gratis asseruntur, gratis quoque negantur. Sed, quod propius ad processionem Verbi divini spectat, duo hoc loco contra illam obiectionem vel impugnationem urgenda sunt:

53. 1) *Doctrina proposita nequaquam tollit propinquissimum exemplum, quod apud nos inveniatur, divinarum processionum.* — Etenim haec obiectio ad summum ideo aliquam veritatis speciem prae se ferre videatur, quia cum verbum creatam intelligentiam formaliter actu intelligentem constituere dicatur, Verbum divinum nequaquam Patrem intelligentem constituit, sed potius supponit, quia intellectionis paternae terminus productus est: At vero haec differentia ex natura rei prodit atque per potentialitatem intellectionis creatae ex una parte, et ex altera per summam actualitatem divinae intellectionis explicatur; scilicet creata intelligentia, quia per se est mera potentialitas, ex indigentia producit verbum, quo actu intelligens constituatur; divina autem intellectio, quia purissimus actus est, non ex indigentia sed ex summa foecunditate verbum producit, quia intelligit, non vero quo demum intelligens constituatur. Hac vero differentia, quae ex ipsa rei natura necessario prodit, ceterae analogiae supra notatae non tolluntur.

54. 2) *Neque sententia illa aliquorum Thomistarum viciniorem analogiam praebet cum Verbo divino.* — Revera sub hoc respectu non in uno tantum illa sententia deficit, sed plura in eadem asseruntur, quae in Verbo divino nec inveniuntur nec inveniri possunt. Duo notare satis est. *Primo* igitur secundum eandem sententiam processio verbi non est universaliter de ratione intellectionis, sed optime dicitur concipi posse intellectio, secundum quam nullum verbum producitur: si enim obiectum per seipsum uniatur intellectui cognoscenti in esse rei intellectae, non opus esse verbo ad intelligendum declaratur; in eiusmodi igitur casu verbum omni ratione careret. Iamvero in intellectione divina profecto obiectum per se ipsum intime unitum est cum intel-

lectu cognoscente; utpote quod cum intellectu divino, imo vero cum intellectione divina simpliciter identicum est. Quare ex hac parte sententia Thomistica nullam analogiam praebet ad Verbum divinum intelligendum vel declarandum; imo vero eiusmodi positioni potius adversatur. — *Praeterea* alia quoque inconvenientia in ea sententia apparet. Nimirum secundum eandem sententiam verbum intellectuale est medium obiectivum, quo cognito demum simul obiectum cognoscatur ita, ut secus cognosci non possit ideoque intellectio solum verbo producto plene constituta esse intelligatur. Atqui Verbum divinum est quidem vi processionis suae repraesentativum omnis veri atque ideo in eo omnia a Deo cognoscuntur; nihilominus autem dici nequit, Deum demum in Verbo producto omnia intelligere tamquam in medio obiectivo necessario; etenim divina intellectio subsistens origine prior est ipso Verbo producto ideoque ut plene constituta productioni Verbi praeintelligitur. Ergo etiam sub hoc respectu in sententia illorum Thomistarum analogia inter verbum creatum et Verbum divinum penitus deficit. Respectus autem notati Verbo divino sane essentiales sunt; atque momentis ex sententia adversa notatis haec ipsa praecise specifice constituitur atque ab alia supra proposita differt. Quare illa quorundam Thomistarum sententia potius propinquissimam et aptissimam analogiam tollit divinarum processionum atque immerito simpliciter vera esse dicitur.

Scholia.

1. Qua ratione Filius Dei conceptus et partus dici queat. — Cum ad generationem creatam spectet, 55.
prolem concipere et parturire, a theologis quaesitum est, num etiam Filius Dei dici queat conceptus necnon partus. Ad quam quaestionem respondet *S. Thomas:* „Considerandum etiam quod id quod generatur, quamdiu in generante manet, dicitur esse conceptum. Verbum autem Dei ita est a Deo genitum quod tamen ab ipso non recedit, sed in eo manet . . . Recte ergo Verbum Dei potest dici a Deo conceptum. Hinc

est, quod Dei sapientia dicit: *Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram* (Proverb. 8. 24.)" (C. g. l. 4. c. 11.).

56. Cum autem in conceptione materiali multiplex imperfectio occurrat, omnis sane eiusmodi imperfectio a conceptione Verbi divini eliminanda est atque imprimis *inter Verbi Dei conceptionem et partum nulla est distinctio*: „Est autem, ita pergit *S. Thomas* l. c., differentia inter conceptionem Verbi Dei et materialem conceptionem, quae apud nos in animalibus invenitur. Nam proles, quamdiu concepta est et in utero clauditur, nondum habet ultimam perfectionem, ut per se subsistat, a generante secundum locum diversa; unde oportet, quod in corporali generatione animalium aliud sit genitae prolis conceptio atque aliud partus ipsius, secundum quem etiam loco separatur proles genita a generante, ab utero generantis egrediens. Verbum autem Dei in ipso Deo dicente existens est perfectum in se subsistens distinctum a Deo dicente; non enim exspectatur ibi localis distinctio, si sola relatione distinguuntur, ut dictum est. Idem est ergo in generatione Verbi Dei et conceptio et partus: et ideo postquam ex ore Sapientiae dictum est: *Ego iam concepta eram*, post pauca subditur: *Ante colles ego parturiebar* (Prov. 8. 25.)."

57. *Praeterea successio quoque omnis exclusa est*; quod pariter notat *S. Thomas* ibidem: „Sed quia conceptio et partus in rebus corporalibus cum motu sunt, et ideo oportet in eis quandam successionem esse, cum conceptionis terminus sit esse concepti in concipiente, terminus autem partus sit esse eius qui parturitur distinctum a parturiente, necesse est igitur in corporalibus quod id quod concipitur nondum sit, et id quod parturitur in parturiendo non sit a parturiente distinctum. Conceptio autem et partus intelligibilis verbi non est cum motu nec cum successione; unde simul dum concipitur est, et simul dum parturitur distinctum est: sicut quod illuminatur, simul dum illuminatur, illuminatum est, eo quod in illuminatione nulla successio est. Et cum hoc inveniatur in intelligibili verbo nostro, multo magis competit Verbo Dei, non solum quia intelligibilis conceptio et partus est, sed quia

in aeternitate existit utrumque, in qua prius et posterius esse non possunt. Hinc est, quod postquam ex ore Sapientiae dictum est: *Ante colles ego parturiebar*, ne intelligeretur, quod dum parturiretur, non esset, subditur: *Quando praeparabat coelos aderam* (Prov. 8. 27.); ut sic, cum in generatione carnali animalium prius aliquid concipiatur, deinde parturiatur, et deinde conveniat sibi adesse parturienti quasi sibi consociatum nec ab eo distinctum, haec omnia in divina generatione simul esse intelligantur: nam Verbum Dei simul concipitur, parturitur et adest. Et quia, quod parturitur, ex utero procedit, sicut generatio Verbi Dei, ad insinuandam perfectam distinctionem eius a generante, dicitur partus, simili ratione dicitur generatio ex utero, secundum illud: *Ex utero ante luciferum genui te* (Ps. 109, 3.). Quia tamen non est talis distinctio verbi a dicente quae impediat verbum esse in dicente . . . sicut ad insinuandam distinctionem verbi dicitur parturiri vel ex utero genitum esse, ita ad ostendendum quod talis distinctio non excludit verbum esse in dicente, dicitur, quod *est in sinu Patris* (Ioan. 1. 18.)" (Ibid.).

Tandem adhuc *aliam differentiam* ibidem S. Thomas **58.** notat: „Attendendum autem quod generatio carnalis animalium perficitur per virtutem activam et passivam: et ab activa quidem virtute dicitur pater, a passiva vero dicitur mater: unde eorum quae ad generationem prolis requiruntur quaedam conveniunt patri et quaedam conveniunt matri; dare enim naturam et speciem proli, competit patri: concipere autem et parturire competit matri, tamquam patienti et recipienti. Cum autem processio Verbi secundum hoc dicta sit esse quod Deus seipsum intelligit (ipsum autem divinum intelligere non est per aliquam virtutem passivam, sed quasi activam, quia intellectus divinus non est in potentia, sed in actu tantum), ideo in generatione Verbi Dei non competit hoc ratione matris, sed solum patris. Unde quae in generatione carnali distinctim patri et matri conveniunt, omnia in generatione Verbi Patri attribuuntur in sacris scripturis; dicitur enim Pater et dare Filio vitam et concipere et parturire" (Ibid.).

59. Quae cum ita sint, nomen matris Verbi Deo Patri non tribuitur neque in scriptura neque in traditione, utpote quod nomen essentialiter imperfectionem includit. Quare SS. Patres, cum haeretici quidem illud nomen aliaque cognata circa ss. Trinitatem usurpare ausi essent, eosdem graviter increparunt atque hunc conatum tamquam blasphemum reiecerunt (cf. Iren. 1, 5.; Gregor. Naz. Orat. theol. ultim.; Epiphan. haer. 62.).

Denique hoc loco breviter ratio assignari potest, ob quam Filius Dei in libris sapientialibus *nominibus generis feminini* appelletur, ut v. g.: „*Ego sum primogenita, ego sum mater pulchrae dilectionis.*" Itaque proxima ratio grammatica est, quia vox hebraica *chokma* (sapientia) generis feminini est; scilicet sapientiam in abstracto significat atque de sapientia creata et increata usurpatur. Ratio vero realis est, quia hoc modo melius materna Dei benignitas atque tenera ergo homines caritas significatur. Ceterum quia nomen filiae secus ac nomen matris nullam processionis imperfectionem significat, ideo nomen filiae hac in re adhiberi potuit atque a scriptura adhibetur.

60. **2. *Num verbum dici possit sermo?*** — Respondendum est affirmative. Et ratio *imprimis* est, quod ipsa ecclesia hunc terminum adhibet, cum in missa et officio dominicae infra octavam nativitatis dicat: „omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit" (cf. Sap. 18, 15.). *Praeterea* etiam Patres plures hoc nomen Filio Dei tribuerunt. Scilicet antiquiores quidam antenicaeni Patres vocabulum λόγος promiscue fere vel verbum vel sermonem verterunt, ut v. g. Tertullianus, Novatianus, Cyprianus, Lactantius, Rusticus (cf. Petavius, l. 6. c. 1. n. 4.). Post Nicaenum vero concilium, cum dogma SS. Trinitatis magis evolveretur, appellatio Verbi ita praevaluit, ut a paucis tantum et raro nomen sermonis adhiberetur. Quem quidem posteriorum Patrum usum Erasmus, Calvinus, Beza aliique haeretici mirati sunt atque ipsis vitio verterunt, verum immerito et perperam; *nam re accuratius inspecta Filius Dei magis proprie et vere Verbum, quam Sermo appellatur.* Apposite

contra illos novatores animadvertit *Petavius*: „In quo imperitiam non minus suam produnt, quam vanitatem ac temeritatem. Ut enim demus, apud profanos auctores λόγον sermonem magis esse, quam verbum; tamen, ut in reliquis doctrinis et actibus, sic in theologia multa sunt vocabula, quae medio ex usu petita, paulo aliter, ac vulgus solet, usurpantur. Sane Verbi nomen, usu iam inveteratum et communiter receptum fuisse, vel Ausonius ipse poëta fidem facit, qui in Eidyllio 1. ita cecinit: „Tu Verbum Pater alme tuum, natumque Deumque, concedis terris totum, similemque paremque.“ Quamobrem, tametsi Sermonis vocabulum ab nonnullis Patribus tributum sit Filio, hoc tamen tempore nonnisi temere atque etiam ridicule anteponatur alteri, quod et multo usitatius est, et ex aliquot saeculis iam solum (? i. e. fere solum) in ecclesia retinetur, et ad significandam Filii personam longe est aptius. Etenim Verbum cum dicitur, non ad externam loquelam, qui est proprie sermo, comparatur, quae ex pluribus dictionibus constat, sed ad interiorem animi notionem et ἔννοιαν, quae a philosophis verbum mentis, non sermo nominatur; quae res est natura simplex et uniusmodi, non ut oratio diversis texta partibus. Quare multo magis divina notio, quae simplicissima est, Verbi sibi nomen vindicare debet potius, quam sermonis, cum unico verbo, non autem repetitis ac pluribus, Deus Pater omnia dixerit ac fecerit“ (L. c.).

Ceterum, quod vocabulum λόγος attinet, probe animad- **61.**
vertendum est, eodem apud profanos auctores aeque atque apud sacros et ecclesiasticos etiam magis verbum internum significari ac sermonem externum; cum qua animadversione fere consentit haec *Petavii* notatio: „Non est praetereundum, vocabulum λόγου proprie cogitationem animi et mentis, ut vulgo nominant, significare verbum. In quo a λέξει distinguitur. Quod Ammonius in commentario ad librum Aristotelis de Interpretatione ex tertio Platonis de republica probat. Nimirum λόγον esse διάνοιαν, λέξιν vero τὴν ἀπαγγελίαν, i. e. orationem, quae est interpres cogitationis. Plerumque tamen ambo ista eodem τοῦ λόγου nomine continentur, at-

que hoc pacto λόγος duplex solet constitui: **alter externus**, qui et προςφορικός, Latinis ut Hilario aliisque **prolatitius** vocatur: **alter internus**, quae est expressa mentis cognitio et notitia, quam Graeci ἔννοιαν vocant, et hoc Verbum, ut dixi, proprie nuncupatur; quoniam ut Anselmus (Monol. c. 9.) notat, nullum aliud verbum sic dicitur rei simile, cuius est verbum, aut sic exprimit, quomodo illa similitudo, quae acie mentis rem ipsam cogitantis exprimit" (L. c.). *Denique notari potest* vocabulum sermonis, utpote quod internam cogitationem extrinsecus prolatam proprie significat, aptius accommodari Christo, qua est persona quasi composita, utpote in qua invisibile Dei Verbum visibiliter apparuit.

62. *3. Obiectiones solvuntur.* — Quae ex scriptura vel traditione contra Filii generationem derivari possunt, obiectiones iam supra exclusae sunt vel etiam in tractatu de Verbo incarnato, ubi de divinitate Christi enucleate agitur, accommodatius solvuntur; quare hoc loco eae praesertim difficultates solvendae restant, quae ex ratione petuntur, et primo quidem eae, quae contra processionem generatim; deinde eae, quae contra generationem Filii; denique eae, quae contra processionem Filii per intellectionem Patris opponuntur.

63. *1) Omnis origo transitum de potentia in actum involvit atque quod oritur, necessario ens ab alio est; atqui in divinitate nullus potest esse transitus de potentia in actum, atque qui Deus est, metaphysice repugnat, ut sit ens ab alio; ergo Filius Dei aut non procedit aut non est Deus.* — *R. d.* mai. 1. partem: Origo per operationem transeuntem involvit transitum de potentia in actum *c.;* origo per operationem immanentem *sbd.* si quod oritur, accipit aliud esse i. e. essentiam vel naturam diversam a natura principii originis *c;* si eandem numero essentiam accipit *n.* Pariter *d.* alteram maioris partem: Quod oritur ens ab alio est, si actione transeunte oritur *c.* si actione immanente oritur *sbd.* si actione immanente accidentali oritur *c* si actione immanente substantiali procedit, qua a principio suo idem numero esse a se sortitur *n.* Similiter *d.* minorem. In divinitate

nullus est transitus de potentia in actum *c.;* qui Deus est, metaphysice repugnat ut sit ens ab alio per sui ipsius effectionem habens essentiam diversam ab essentia principii *c.* ut sit persona altera, quae a priore persona eandem numero sortiatur essentiam vel naturam divinam, quae ipsum esse absolutum et a se est *n.* Et *n.* vel *cd.* consequens.

Nimirum generatio Verbi divini, et pariter omnino lo- **64.**
quendum est de spiratione Spiritus Sancti, nequaquam involvit transitum de potentia in actum, quia per eandem non novum esse neque substantiale neque accidentale producitur, sed altera solum persona exstat, quae idem omnino esse absolutum et independens habet cum relatione principiati ad principium. Quare persona procedens neque ens ab alio est; natura enim, quam accipit, ipse ille actus purissimus essendi est, qui nec causam nec principium habet; quicunque igitur in hac natura subsistit, sua virtute et ens a se est. Apposite *S. Thomas*: „Filius, quamvis totum esse suum habeat ab alio, nihilominus tamen esse suum non est dependens, quia accipit a Patre idem numero esse, quod ipse Pater habet“ (In 1. sent. d. 5. q. 2. a. 2. ad 2.). — *Praeterea* maxime considerandum est personam divinam procedentem non procedere per liberam sui principii efficientiam, sed naturali et necessaria emanatione ob fecunditatem naturae divinae. Etenim non libera voluntas Patris, sed interna et absoluta necessitas naturae divinae ratio generationis est, utpote quae natura divina hanc operationem tamquam propriam perfectionem postulat. Iamvero natura divina postulans generationem, eo ipso postulat etiam ut Filius sit atque ideo in eadem natura per absolutam exigentiam eiusdem naturae tam necessario subsistit Filius, quam necessario subsistit Pater. Ergo Filius aeque necessario per essentiam suam et ideo ens a se est ac Pater; sicut enim Pater per essentiam suam existit et est ille a quo alius, ita Filius per essentiam suam existit et est ille qui ab alio. — *Denique* ex omnibus intelligitur, omnem, quam in hac re experimur difficultatem inde provenire, quod generationem Dei Filii tamquam effectionem concipiamus; haec vero conceptio a generatione creata desumpta est; at-

qui conceptus generationis creatae, cum ad divinam generationem transfertur, ab omni prius imperfectione purgandus est. Cum igitur effectio vel transitus a potentia in actum imperfectionem dicant, divina generatio non dicit effectionem vel transitum de potentia in actum, ideoque ex creata generatione non retinet nisi tantum relationes oppositas principii et procedentis i. e. relatio eius qui est ut a quo alius et relatio opposita illius qui est ab alio; per quas relationes non sane accidentales et inhaerentes, sed substantiales et subsistentes eadem natura divina in Patre incommunicata, in Filio communicata existit. Simili ratione quando conceptum v. g. intellectionis ex creaturis formatum ad divinam intellectionem transferimus, eundem conceptum ab omni imperfectione prius purgamus negantes divinam intellectionem involvere transitum de potentia in actum sive mutationem accidentalem et ita porro.

65. 2) *Deus Pater Filium genuit aut existentem aut non existentem; atqui non genuit iam existentem, quia Filius terminus est generatione demum productus; neque genuit non existentem, quia qui aliquando non existebat, Deus non est; ergo repugnat, quominus persona divina generetur.* — *R. primo: d.* mai. Deus Pater Filium genuit aut existentem ipsa generatione aut non existentem *c.* aut existentem antecedenter ad generationem aut non existentem *n.* *Cd.* min. Non genuit non existentem *c.* non genuit existentem *sbd.* non genuit existentem independenter a generatione *c.* non genuit existentem necessario semper per ipsam generationem *n.* Et *n.* consequens et consequentiam. — Vel respondeo *secundo* et simplicius *n.* suppositum. Nimirum etiam haec difficultas in falsa conceptione innititur, in generatione Filii inveniri aliquem transitum ex potentia in actum, aliquam effectionem et successionem. Atqui haec omnia falsa phantasiae figmenta sunt. Deus enim Filius eandem necessariam, absolutam, aeternam existentiam habet, qua exstat Deus Pater, sed eam habet cum relatione affectam, qua ab alio est per generationem intellectualem; vel eadem aeterna, absoluta necessaria existentia, quae est in Patre cum relatione principii sine prin-

cipio ex interna necessitate in Filio est cum relatione principiati. Quare generatio nullo pacto est transitus ex potentia in actum, nulla actuatio sub respectu existentiae, nulla effectio, verum incomprehensibilis et ineffabilis communicatio eiusdem absolutae et necessariae et aeternae existentiae est. Quae cum ita sint, etiam omnis successio ab hac divina generatione exclusa esse intelligitur; quare proprio et absoluto sensu aeterna est atque ideo non ut praeterita vel futura imaginanda est, sed tantum ut praesens concipi potest adeo ut dicendum sit: *Pater aeternaliter generat Filium semper perfectum.* Denique intelligitur non obstante generatione Filii in divinitate nihil prius esse aut posterius, ut dicitur in symbolo Athanasiano; nam quamvis in creatis principium principiato prius sit vel tempore vel natura, divinae personae, utpote quae vi eiusdem essentiae absolutae et infinitae existunt, prorsus necessario simul sunt, sicut in creaturis non quidem principium et principiatum, sed relationes principii et principiati simul esse inveniuntur.

3) Procedens et is, a quo procedit, realiter distinguuntur; sed in Deo simplicissimo non potest esse ulla realis distinctio; nam quae realiter distinguuntur non sunt unum simpliciter, sed tantum per compositionem unum esse possunt. Ergo in Deo nulla potest esse processio. — *R. n.* minorem atque etiam rationem additam; nam divinae personae non sunt unus Deus, quia per modum partium in unum coniunguntur, sed quia „quaelibet trium personarum est illa (una summa) res, videlicet substantia, essentia seu natura divina“ (Concilium Lateranense). Aliis verbis: Divinae personae sub eo respectu, sub quo distinctae sunt, scilicet in personalitate, nequaquam coalescunt in unum; sub eo vero respectu sub quo unum sunt, i. e. in natura ab invicem nullo pacto distinguuntur. *Neque dici potest*, etsi non ipsa Trinitas composita sit, saltem singulas personas ex communi essentia est personalitate singularum propria et distinctiva componi. Nam personae divinae non aliquo absoluto constituuntur et ab invicem distinguuntur, sed relationibus originis; eiusmodi autem relationes non ponunt perfectionem re aut 66.

ratione distinctam a perfectione essentiae communis, cum qua identificantur; quare compositionem non inferunt. Ceterum hic praecipua huius dogmatis difficultas tangitur, quae inferius accuratius explicabitur et solvetur.

67. 4) *Quod operatione immanente procedit, operantem perficiat necesse est. Deus autem nulla operatione perfici potest; nam cum sit ipsum esse subsistens, eo ipso, quod existit, omnino perfectus est. Ergo in Deo nulla est processio.* — *R. d.* mai. Quod operatione immanente procedit, operantem perficit, si, quod procedit, accidens est *c.* si persona est ***sbd.*** formaliter perficit operantem *n.* terminative *c.* Pariter *d.* min. Deus nulla operatione perfici potest, qua accidens immanenter procedat *c.* qua persona procedit ***sbd.*** non perficitur formaliter *c.* non perficitur terminative *n.* Scilicet Deus perfectus est operatione immanente ab ipsa eius essentia non distincta ita, ut si eiusmodi operationem non haberet perfectus non esset. Sed ea operatione ex interna necessitate naturae divinae non accidens, sed persona procedit secundum essentiam non distincta ita, ut perfectus non esset, si persona non procederet ut terminus eiusdem operationis. Quare persona procedens ad perfectionem naturae divinae vel etiam personae operantis spectat non quidem formaliter, sed terminative. Deus igitur, sicut per essentiam suam est, per essentiam suam etiam perfectus est et operatur; atque sicut operatio divina secundum rem est ipsa essentia divina, ita etiam essentia divina ex interna necessitate est ipsa Trinitas, Pater, Filius, Spiritus Sanctus et non nisi ratione ab iis distinguitur.

Doctrinae communi, secundum quam Filius a Patre per operationem intelligendi procedit, *se opponit Durandus* contendens divinas processiones esse „ex foecunditate naturae radicaliter, quam foecunditatem habet ex sua infinitate et non ex hoc, quod est intelligens et volens" (In 1. dist. 6. q. 2. ab initio). Hanc autem Durandi opinionem ceteri theologi communiter temerariam dicunt vel acriori quoque censura notant; et sane certo saltem falsa est. Pro ea vero quaedam obiiciuntur, quae partim saltem hoc loco consideranda sunt:

5) Actus intellectus et voluntatis productivi non sunt; ergo per ipsos non habetur productio terminorum ideoque neque personarum processio. — *R. n.* antecedens. Etenim, ut supra explicatum est, actus vitae intentionalis in nobis, cum veram et physicam actionem subaudiant, etiam terminum physicum productum dicunt. Et similiter de vita divina iudicandum esse, ex ipsa revelatione demonstratum est. Termini autem per vitam divinam producti non possunt esse accidentales; ergo substantiales sive personae sunt. **68.**

6) Operatio, per quam Filius procedit, Patri, atque ea, per quam Spiritus Sanctus procedit, Patri et Filio propria est; atqui operationes intelligendi et amandi tribus personis divinis communes sunt; quare per has divinae personae non procedunt. — *R.* Haec obiectio iam satis soluta esse intelligitur per ea, quae supra circa intellectionem divinam et Verbum eius notata sunt. Itaque breviter respondeo: Intelligere divinum, ut absolutum est, tribus personis divinis commune est; ut autem relativum est i. e. incommunicatum et fecundum, Patri proprium est eumque personam dicentem constituit, in Filio vero et Spiritu Sancto non generat, quia in ipsis caret illa proprietate Patris; et quidem necessario caret, quia actum vel terminum suum iam habet; unum enim intelligere unum tantum verbum producere potest. Apposite *S. Thomas:* „Eo modo convenit Filio esse intelligentem, quo convenit ei esse Deum, cum intelligere essentialiter dicatur in divinis. Est autem Filius Deus genitus, non autem generans Deus; unde est quidem intelligens, non ut producens Verbum, sed ut Verbum procedens, prout scilicet in Deo Verbum procedens secundum rem non differt ab intellectu divino, sed relatione sola distinguitur a principio Verbi" (S. th. 1. p. q. 34. a. 2. ad 4.). Similiter vero dicendum est de intellectione Spiritus Sancti. **69.**

7) Homo, quamvis intelligentia praeditus sit, non per intellectionem, sed ut cetera animantia, per ipsam suam naturam generat; ergo etiam Deus. Sane, cum natura divina per seipsam vel per infinitatem suam hoc habeat, ut communicari possit, consequenter etiam dicendum est, per seipsam **70.**

eandem communicari** i. e. **Filium generari. — *R.* Quaelibet perfectio creata in Deo sine ulla imperfectione admixta reperiatur necesse est. Processionis autem perfectio in duobus invenitur: *primo* in eo, quod procedens processionis principio intimum sit; ***secundo***, quod in eadem natura subsistat. Iamvero in operatione creatae mentis solum prima, in generatione animantium altera tantum perfectio invenitur: in divina igitur processione utraque illa perfectio coniuncta sit oportet et reipsa est, cum terminus eiusdem procedat primo non per actionem transeuntem, sed per operationem immanentem intellectus et voluntatis, secundo tamquam persona subsistens in eadem natura. — Quae cum ita sint, facile iam ad argumentum respondetur: Homo quidem cum, ut cetera animantia, per actionem transeuntem generet, non per animae operationes, sed per aliam quandam naturae suae virtutem generationis actum perficit; Deus autem per operationem immanentem tantum generare potest; ergo inter hominem et Deum hac in re nulla paritas nec proportio esse potest. Ad rationem additam: Natura divina sane eo ipso, quia infinita est, etiam communicari posse dicenda est, at non aliter communicari nisi per operationem intellectus et voluntatis. Sic etiam natura humana, quia in multis individuis subsistere potest, multis communicari potest ac reipsa communicatur, non tamen aliter ac per generationem communicatur. Ergo natura divina communicari potest, proxime non quia infinita sed quia intellectio et amor subsistens est: nam communicatio haec operatione immanente fiat oportet, in spiritu autem etiam infinito nulla operatio immanens praeter intellectionem et volitionem invenitur.

71. *8) SS Patres **saepe** docent, Filium a Patre **natura** procedere; atque S. J. **Damascenus** generationem opus naturae vocat* (De fide l. 1. c. 8.). — *R.* SS. Patres, quando ea ratione loquuntur, Filium non libero Dei consilio, sed naturaliter ut splendorem a luce procedere inculcare volunt. Ita v. g. *Athanasius:* „Num, qui Deus est, unquam erit sine Verbo (ἄλογος)? An, qui lux est, sine splendore? . . . Annon Verbum, proprium suae naturae fructum, secum semper

habuit?" (Cont. Arian. Or. 1. n. 24.). Neque alio sensu Damascenus loco obiecto intelligendus est.

Tertio loco considerandae iam sunt obiectiones, quibus ostendi videri possit, processionem per operationem intellectualem non habere rationem propriae generationis.

9) Generatio tantum in inferioribus substantiis i. e. corporeis invenitur, in nobilioribus autem i. e. spiritualibus deest; atqui quanto nobiliores creaturae sunt, tanto magis Deo assimilantur; ergo multo minus in Deo quam in angelis generatio esse potest. — *R.* Argumento quidem ostenditur, Deo maxime repugnare generationem eam, quae substantiarum corporearum viventium propria est, minime autem generatio incomprehensibilis spiritualis excluditur. In substantiis autem spiritualibus creatis non quidem vera et propria generatio, sed analogon aliquod divinae generationis habetur per processionem verbi intellectualis; haec scilicet processio a generatione proprie dicta deficit, quia quod procedit verbum non substantia, sed accidens est: divinum autem Verbum substantia est atque ideo eius processio rationem verae generationis habere potest. Simul autem, quia processio verbi creati aliquod analogon est processionis Verbi divini, omnino servari intelligitur principium in obiectione adductum: scilicet creaturas, quanto nobiliores sunt, tanto magis ad Deum accedere. 72.

10) Generatio aliqua species mutationis est atque non solum in generatione transitus de potentia in actum sed etiam in ipso generante corruptio, i. e. decisio substantiae invenitur; atqui apud Deum nulla est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio; ergo in divinitate nulla est generatio. — *R.* Etiam haec obiectio a generatione corporum ducta est; sed longe alia et ab omni imperfectione libera est generatio divina: scilicet quia intellectus divinus aeternus est actus, Verbum Dei non procedit ut actus de potentia, sed ut actus de actu, ut splendor de luce. Atque ideo, ut supra iam explicatum est, generatio divina et creata non adeo in genere quam potius in differentia constitutiva conveniunt non univoce quidem, sed analogice, quia scilicet differentia consti- 73.

tutiva generationis viventium in divina generatione eminentiore modo invenitur.

74. *11) Qui generatur, in similitudinem naturae procedit vel accipit naturam similem naturae generantis; atqui similitudo non est nisi inter realiter distincta; ergo Filius Dei aut non generatur aut naturam habet realiter distinctam a natura Patris.* — *R. D.* mai. Qui generatur, generanti assimilatur secundum naturam *c.* naturae generantis et generati sibi assimilantur *n. D.* min. Similitudo non est nisi inter realiter distincta sive supposito sive natura *c.* solum inter realiter distincta natura *n.* Et *n.* consequens et consequentiam. Nimirum subiecta similitudinis sane ab invicem realiter distincta sunt et ideo inter Patrem et Filium realis distinctio sit oportet; non autem requiritur, ut ratione naturae realiter distinguantur. Imo vero, quia similitudo est convenientia plurium in una vel natura vel qualitate, ideo quanto maior est convenientia, tanto perfectior similitudo est. Quare Pater et Filius, quia in natura non tantum specie, sed numero eadem conveniunt, inter se maxime similes sunt.

Thesis 6. Verbum divinum procedit intellectione omnium, quae Pater cognoscit, ideoque non solum intellectione essentiae sed personarum quoque divinarum et rerum creatarum saltem possibilium.

Declaratio.

1. ***Status praesentis quaestionis definitur.*** — Infinita Dei Patris intellectio, per quam Verbum divinum progignitur, unus quidem est et simplicissimus et aeternus conspectus totius veri; attamen pro diversitate obiectorum necnon rationis, qua attinguntur, merito virtualiter multiplicem Dei cognitionem distinguimus, ut in tractatu de Deo uno ostensum est. Pariter Verbum divinum una est et simplicissima et aeterna totius veri repraesentatio vel uno simplicissimo Verbo ab aeterno omnia, quaecunque sunt, vera dicuntur; nihilominus haec etiam repraesentatio vel dictio omnis veri pro diversitate obiectorum et rationis, qua per Verbum

repraesentantur vel dicuntur, item virtualiter multiplex esse dicenda est. Quae cum ita sint, quaestio orta est inter theologos, *num secundum nostrum concipiendi modum in natura rei fundatum Verbum divinum per totam scientiam divinam sive omnes eiusdem scientiae species procedat an forte una vel altera scientia divina, ut v. g. scientia visionis creaturarum a generatione Verbi eliminanda sit.* Respectu magis habito ad Verbum, quatenus ipso omnis veritas repraesentatur vel dicitur, haec eadem quaestio aliis terminis proponi potest: num scilicet Verbum divinum vi ipsius processionis per intellectionem paternam immediate repraesentet omne verum, an vero tantum partem eiusdem, ita ut reliquam partem v. g. futura libera vi ipsius processionis non repraesentet sive dicat.

Ad hanc vero quaestionem theologi non uniformiter respondent; omnes quidem conveniunt, Filium a Patre procedere per cognitionem perfectissimam, intuitivam et comprehensivam ipsius essentiae divinae; sed quoad reliquam scientiam divinam in diversas partes abeunt. Et ratio diversitatis est, quod ex una parte Verbum non videtur procedere posse per scientiam, quae eius processione posterior ratione est; ex altera autem parte de ipsa hac prioritate vel posterioritate inter processionem Verbi et unam vel alteram scientiam divinam difficulter decernitur. Iam *Scotus* quidem, quem Scotistae plerique sequuntur, constanter docet, Verbum divinum procedere per se et necessario ex cognitione solius essentiae divinae, ex personarum vero divinarum necnon creaturarum tum possibilium tum existentium cognitione solummodo concomitanter et quasi contingenter; quod aliis solum verbis exprimitur dicendo, Verbum divinum procedere quidem per unum illum absolutum actum, qui omnis veri comprehensivus est, procedere autem per eundem, quatenus complectitur essentiam divinam, non autem quatenus etiam personas divinas, possibilia et creaturas existentes attingit. — *Alii* quidam, ut *Puteanus*, docuisse videntur, Verbum procedere per se et necessario per intellectionem essentiae et personae Patris, cognitionem vero ceterorum obiectorum solum 2.

concomitanter et contingenter se habere. — *Vasquez* et cum ipso pauci alii propugnarunt, Verbum procedere per se et necessario per cognitionem essentiae divinae necnon personarum Patris et Filii, cum reliqua cognitio relate ad processionem eandem concomitanter vel contingenter se habeat. — *Molina, Suarez,* plures Thomistae, ut *Gonetus, Gotti, Billuart,* praeterea *Franzelin, Stentrup, Picirelli* aliique contendunt, Verbum procedere per se et necessario per cognitionem omnis veri necessarii scilicet essentiae et personarum divinarum necnon possibilium; cognitionem vero creaturarum actualiter existentium nihil spectare ad illam processionem, verum concomitanter vel contingenter se habere. — Denique plures alii, ut *Gregorius de Valentia, Arriaga, Maurus, Kleutgen, Billot* statuunt Verbum divinum procedere per se et necessario per intellectionem omnem, quae in Deo Patre est, adeoque per cognitionem veritatis omnis tum necessariae tum contingentis.

3. Iamvero ex his diversis sententiis duae posteriores solum vere probabiles esse videntur; sed praeplacet ultima; quare in demonstratione eadem defenditur eo modo, ut in 1. p. thesis generatim demonstretur, Verbum procedere per se et necessario per omnem intellectionem, quae in Deo Patre est; in altera autem parte de omnibus et singulis scientiae divinae speciebus distinctis assertionibus idem demonstretur.

Demonstratio.

I. p. Verbum divinum procedit per se et necessario per omnem intellectionem, quae in Deo Patre est.

4. ***1. Probatur ex SS. Patrum doctrina.*** — Hanc enim sententiam plura SS. Patrum testimonia referre videntur.

1. *Imprimis huc spectant haec S. Augustini:* — „Verbum ergo Dei Patris unigenitus Dei Filius, per omnia Patri similis et aequalis, Deus de Deo, lumen de lumine, sapientia de sapientia, essentia de essentia, est hoc omnino quod Pater; sed ei nosse de Patre est, sicut esse. Nosse enim et esse illi unum est. Et ideo Patri, sicut esse non est a Filio, ita nec nosse. Proinde tamquam seipsum dicens, Pater genuit Ver-

bum sibi aequale per omnia. Non enim seipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in eius Verbo, quam in ipso" (De Trinit. l. 15. c. 14.). Item ibidem: „Quidquid in ea scientia est, de qua genitum est, et in ipso est. Quod autem in ea non est, nec in ipso est." Denique: „Novit itaque omnia Deus Pater in seipso, novit in Filio. Sed in seipso tamquam seipsum; in Filio tamquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quae sunt in seipso. Omnia similiter novit et Filius in se scilicet, tamquam ea, quae nata sunt de iis, quae Pater novit in seipso. In Patre autem tamquam ea, de quibus nata sunt, quae Filius novit in seipso. Sciunt ergo invicem Pater et Filius, sed ille gignendo iste nascendo. Et omnia, quae sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt, non particulatim aut singillatim velut alternante conspectu hinc illuc, et inde huc, et rursus inde, vel inde in aliud atque aliud, ut aliqua videre non possit, nisi non videns alia, sed ut dixi, simul omnia videt, quorum nullum est, quod non semper videt."

Iam his omnibus satis clare dici videtur, Verbum quae- 5.
cunque dicit vel repraesentat, praecise dicere vel repraesentare vi processionis a Patre; dicere autem vel repraesentare vera vi processionis idem sane est ac procedere per intellectionem paternam eorundem obiectorum; ergo cum Verbum repraesentet quaecunque vera sunt, per intellectionem paternam quorumcunque obiectorum procedit. *Confirmatur*, quia alibi idem *Augustinus* animadvertit: „Quod graece λόγος dicitur, latine et rationem et verbum significat. Sed hoc loco (ev. Ioan. prol.) melius Verbum interpretamur, ut significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam, quae per Verbum facta sunt operativa potentia" (Lib. 83. qq. q. 63.). Itaque Verbum ex natura sua, ergo vi processionis creaturas quoque exprimit ut causa exemplaris; ergo per cognitionem etiam creaturarum procedit, quia secus easdem vi processionis non exprimeret.

2. *Idem significare videntur haec Zenonii Veronensis et* 6.
Fulgentii dicta: — „Nascitur de toto totus, de vero verum, de

perfecto perfectus, totum Patris habens, nihil derogans Patri... Pater in ipsum alium se genuit ex se, innascibili scilicet sua illa substantia, in qua beatus manens in sempiternum, omnibus, quae habet, habentem Filium paria procreavit" (*Zeno*, serm. 1. de aeterna Filii generatione.). Hoc scilicet minime verum esset, nisi se et omnia in Verbo suo dicendo expressisset Pater. Similiter *Fulgentius:* „Nec minus aliquid habet verbum, quod ex mente nascitur, quam est mens, de qua nascitur; quia quanta est mens, quae generat Verbum, tantum est etiam ipsum Verbum. Sicut enim de tota mente nascitur Verbum, sic intra totam permanet natum" (Ad Monim. l. 3. c. 7.).

7. 3. *Denique alii Patres idem docent.* — Eandem sententiam produnt cum S. Augustino iterum alii quoque Patres, quando scilicet scripturae verba, quibus Filius a Patre discere et audire exhibetur, in hunc sensum interpretantur: Filium, cum a Patre tamquam Sapientia a Sapientia atque lumen de lumine nascatur, ipsa nativitate scientiam omnem a Patre accipere. Etenim, qui vi nativitatis vel processionis omnia novit, quae Pater, sane per universam Patris scientiam procedat necesse est (cf. Augustinus in Ioan. tr. 21. et 29.; S. Hilarius, de Trinit. l. 7. n. 19.; S. Cyrillus A. in Ioan. l. 2. c. 6.; l. 5. c. 5.; S. Ambrosius, Hexaem. l. 2. c. 5. n. 19.)

8. **2. Ex auctoritate principum scholae.** — *1) Nimirum eandem sententiam non obscure tradit S. Anselmus.* — Et *primo* quidem eam sententiam asserit: „Consequitur igitur, ut ipsam creaturam non dicat verbo creaturae. Cuius ergo verbo eam dicit, si non dicit eam verbo eius? Nam quod dicit, verbo dicit; et verbum alicuius est verbum i. e. similitudo. Sed si nihil aliud dicit, quam se aut creaturam, nihil dicere potest, nisi aut suo aut eius verbo. Si ergo nihil dicit verbo creaturae: quidquid dicit, verbo suo dicit. Uno igitur eodem Verbo dicit seipsum et quaecunque fecit" (Monol. c. 33.). *Deinde* explicat, qua ratione id fiat: „Sed quomodo tam differentes res, scilicet creans et creata essentia, dici possunt uno Verbo: praesertim cum Verbum ipsum sit dicenti coaeternum, creatura autem non sit illi coaeterna? For-

sitan quia ipse est summa sapientia et summa ratio, in qua sunt omnia, quae facta sunt: quemadmodum opus, quod fit secundum aliquam artem, non solum quando fit, verum et antequam fiat, et postquam dissolvitur, semper est in ipsa arte non aliud, quam quod est ars ipsa. Idcirco cum ipse summus spiritus dicit seipsum, dicit omnia, quae facta sunt... Hoc itaque modo non irrationabiliter asseri potest, quia, cum seipsum dicit summus ille spiritus, dicit etiam quidquid factum est uno eodemque Verbo" (Ib. c. 34.).

2) *S. Thomas quoque tamquam patronus huius doctrinae* 9. *merito adducitur.* — Etenim unum solum Verbum divinum esse, quod repraesentet creaturas quoque inculcans animadvertit: „Verbum in mente conceptum est repraesentativum omnis eius, quod actu (non habitu tantum) intelligitur. Unde in nobis sunt diversa verba secundum diversa, quae intelligimus. Sed quia Deus uno actu et se et omnia intelligit, unicum Verbum eius est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum" (S. th. 1. p. q. 34. a. 3.). Et paulo ante declarans, qua ratione *dicere* soli personae Patris conveniat, claris et perspicuis verbis eandem doctrinam proponit: „Pater enim intelligendo se et Filium et Spiritum Sanctum, et omnia alia, quae eius scientia continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas Verbo dicatur et etiam omnis creatura" (Ib. a. 1. ad 3.). — Eandem doctrinam *S. Bonaventura* profiteri videtur in 1. sent. d. 27. a. 1. q. 2.

2. p. Verbum procedit per intellectionem non tantum essentiae divinae, sed etiam personarum divinarum atque rerum creatarum tum possibilium tum existentium.

Generali demonstratione iam absoluta, etiam distinctim singulas, quae in thesi continentur, assertiones demonstrare praestat; qua demonstratione demum efficitur, ut tota huius thesis quaestio accuratius et profundius intelligatur.

1. Verbum divinum procedit per intellectionem essentiae divinae sive ipsius divinitatis et omnium attributorum absolutorum. — Haec assertio perspicua est neque ab ullo theologo negatur. Etenim 10.

actus intelligendi, per quem Verbum divinum generatur, imprimis subsistens est essentiae divinae comprehensio.

11. **2. *Verbum divinum per intellectionem etiam personarum divinarum procedit.*** — Haec assertio contra Scotum aliosque theologos dirigitur et certis argumentis demonstrari videtur:

1) *Ratio prima.* — Deus Pater Verbum generat per cognitionem intuitivam et comprehensivam suae divinitatis adeoque per cognitionem essentiae divinae tam perfectam, ut perfectior esse nequeat. Hoc ab omnibus conceditur atque evidens est, cum intellectio Patris sit ipsum esse subsistens sive ipsa essentia divina. Atqui cognitioni intuitivae et comprehensivae essentialiter proprium est, terminari ad rem, ut est in se secundum omnem modum, quo est et existit. Ergo, quia essentia divina ex interna sua ratione prorsus necessario in tribus personis subsistit sive cum tribus personis identica est, cognitio essentiae divinae intuitiva et comprehensiva etiam ad personas divinas terminetur absolute necesse est. Quare sine dubio Pater Filium generat per intellectionem etiam personarum divinarum.

21 2) *Altera ratio.* — Verbum, cum scriptura et traditione testibus sit imago Patris, per intuitivam et comprehensivam cognitionem ipsius Patris procedat necesse est. Quare ipse Christus ad Philippum ait; *Philippe qui videt me, videt et Patrem meum.* Iamvero cognitio intuitiva et comprehensiva Patris essentialiter attingit virtutem eius generativam et spirativam; haec autem vis generativa et spirativa comprehendi nequit, quin simul termini propter transscendentalem ad eosdem respectum attingantur. Ergo cognitio intuitiva et comprehensiva Patris etiam ad Filium et Spiritum Sanctum terminatur. *Confirmatur*, quia generans et generatus, spirans et spiratus correlativa sunt; relativa autem simul sunt et simul cognoscuntur. Ergo Filius per cognitionem non solum Patris, sed etiam Filii et Spiritus Sancti procedit.

13. 3) *Ratio tertia.* — Ut SS. Patres docent et revelatione supposita ex natura rei intelligitur, Verbum divinum perfectissimum est atque scientiae Patris prorsus adaequatum; quod

apte atque pulchre expressit *S. Anselmus*: „Hoc bonum (summum sc.) es tu, Deus Pater: hoc est Verbum tuum, id est, Filius tuus. Etenim non potest aliud, quam quod es, aut aliquid maius vel minus te esse in Verbo, quo teipsum dicis; quoniam Vebum tuum sic est verum, quomodo tu es verax. Et idcirco est ipsa veritas, sicut tu, nec alia, quam tu" (Proslog. c. 27.). Iamvero Verbum non esset perfectissimum neque adaequatum scientiae Patris, si non procederet etiam per cognitionem personarum divinarum, quia sic esset aliquid minus in Verbo, quam in Patre vel in eiusdem cognitione; deesset scilicet repraesentatio personarum. Ergo Verbum per cognitionem non tantum essentiae sed personarum quoque procedere dicendum est.

Sed contra opponunt primo: Concipi plane nequit, Verbum procedere per cognitionem ipsius Verbi et multo etiam minus per cognitionem Spiritus Sancti. Nam in eo signo, in quo actus intelligendi producens Verbum esse concipitur, ipsum Verbum nondum est ideoque cognosci tantum abstractive ut futurum non autem intuitive ut existens potest; quod a fortiori de Spiritu Sancto dicendum est, utpote qui Verbo origine posterior est. — *R. n.* antecedens; circa probationem vero plura animadvertenda sunt. Et *primo* quidem, quod de cognitione intuitiva dicitur verum tantum est de cognitione intuitiva creata, utpote quae a cognoscente simul et a re cognita gignitur: de divina vero cognitione idem asserere erroneum est; Deus enim tamquam subsistens intellectio a rebus cognitis non accipit, sed quaecunque existunt quandocunque ex seipso intuetur; quare etiam futura ab aeterno intuetur. Quemadmodum autem propter suam aeternitatem futura intuetur, ita etiam propter suam simplicitatem et infinitatem ea videt, quae a nobis tamquam posteriora ipsa visione concipiuntur. — *Secundo* Verbum plane falso et perverse in aliquo signo concipitur nondum esse vel futurum esse. Etenim generatio activa, ut supra iam dictum est, non est actio proprie dicta, media inter principium et terminum et ex potentia velut egrediens, sed est actus purus intelligendi aeternus et necessarius; neque generatio passiva 14.

est effectio vel productio vel egressio de potentia sive transitus de potentia in actum, sed eiusdem intellectionis subsistentis terminus est internus, necessarius et aeternus, scilicet ipsum Verbum. Itaque Pater generat intelligendo, quia Filius ab eo *est* per intellectionem; et Filius generatur, quia a Patre *est* per intellectionem; vel generare nihil aliud dicit in divinitate, quam actu completo intellectionis habere terminum intrinsecus necessarium, quod denique iterum nihil aliud est, quam aeterna subsistens relatio, quae sine suo correlato termino aeterno nec esse nec concipi potest. Nimirum prioritas et posterioritas in originibus divinis nullo modo pertinent ad prioritatem *in quo*, qua scilicet est unum prius altero vel unum sine altero concipi potest; sed tantum est prioritas *a quo*, qua unum non quidem est prius altero nec concipi potest sine altero, attamen ex altero est. Quare actus intelligendi producens et Verbum productum non tantum realiter, sed etiam ratione simul sunt simultaneitate in quo, atque actus producens prae Verbo coaeterno et connecessario non aliam habet prioritatem nisi prioritatem a quo. Quare denique intellectus paternus purissimus actus ab aeterno se intelligit in actu secundo completo foecundum Verbi; atque hac ipsa quoque intellectione exstat principium Verbi in actu completo procedentis et semper producti. Quae cum ita sint, Pater aeternus Verbum suum nunquam ut demum producendum aut futurum, sed semper ab aeterno ut productum et existens intuetur. — Pari vero ratione prorsus de intellectione Spiritus Sancti dicendum est.

15. *Opponunt secundo:* Verbum, ut ad obiectum suum refertur, quaedam eiusdem imago est. Si igitur Verbum procedit per intellectionem totius Trinitatis, eiusdem Trinitatis imago esset atque ab ea contradistingueretur. Hoc vero falsum imo haereticum est. Ergo Verbum non procedit per intellectionem totius Trinitatis. — *R.* Ad rationem imaginis, ut iam supra dictum est, duo pertinent: *primo,* ut obiectum, cuius imago esse dicitur, per se repraesentet: *secundo* ut ab eodem realiter oriatur atque distinguatur. Quare nostrum quidem verbum non solum intellectualis repraesentatio sed

etiam imago obiecti intellecti est, utpote a quo per speciem impressam movente vel determinante procedit; in divinitate vero Verbum solum a relativo Patre, non vero ab obiecto in quantum est obiectum procedit; etenim in divina intellectione actus intelligendi, obiectum primarium et formale et ipsum Verbum expressum essentialiter unum idemque sunt: quare Verbum divinum ab essentia divina tamquam ab obiecto procedere nequit; atque minus etiam a seipso vel Spiritu Sancto tamquam obiectis procedit, quia Verbum et Spiritus Sanctus etiam minus, quam essentia obiectum motivum vel determinans cognitionis paternae sunt, sed eam tantum terminant. Etenim Pater a Verbo et Spiritu Sancto nec cognitionem nec virtutem aut rationem cognoscendi easdem personas accipit, verum haec omnia vi ipsius divinae essentiae habet, utpote quae subsistens intellectio est. Quaecum ita sint, Verbum non totius Trinitatis, sed solius Patris imago est, quia scilicet intelligibiliter repraesentat Trinitatem, prout in ipsius Patre intellectione est; atque eandem repraesentat ratione essentiae, quam ei Pater communicat, in quantum est totius veri a se comprehensi expressio intentionalis.

3. Verbum divinum procedit etiam per scientiam simplicis intelligentiae sive per cognitionem omnium possibilium. 16. — Etiam haec assertio certa est et communiter iam a theologis tenetur.

1) *Ratio prima.* — Verbum divinum procedit per cognitionem comprehensivam essentiae divinae; atqui cognitio essentiae divinae comprehensiva necessario et essentialiter est cognitio omnium possibilium. Ergo Verbum divinum etiam per cognitionem omnium possibilium procedit. Quare Verbum ex vi suae processionis respectum dicit non tantum ad Patrem, sed etiam ad creaturas saltem possibiles, utpote quae a Deo necessario simul cum essentia divina cognoscuntur. Verbum enim ex formali sua ratione vel per se primo respectum dicit ad res cognitas ut repraesentans illas; hic autem respectus Verbi divini ad creaturas non realis, sed rationis est.

2) *Altera ratio.* — Cum cognitio possibilium essentialiter simul sit cum cognitione essentiae divinae, Verbum di-

cendum est procedere etiam per cognitionem possibilium, nisi quidpiam impediat, quominus ita sit; atqui nihil impedit vel obstat: ergo. *Probatur minor:* Et *primo* quidem non obstat ratio entis finiti, quae possibilibus convenit; quia Verbum non ex ipsis possibilibus, sed per earum cognitionem infinitam procedere dicitur. *Secundo* neque obstat ratio producibilis, quae possibilibus ex formali sua ratione convenit; nam etsi productio possibilium natura posterior sit ipsa Verbi processione, producibilitas tamen eiusque cognitio per Deum Verbi processione natura posterior non est. Neque quidquam aliud fingi potest, quod processionem Verbi per cognitionem possibilium impediat. Ergo.

17. *Opponunt primo:* Deus primo et per se non cognoscit nisi essentiam suam, utpote quae obiectum formale et primarium divinae intellectionis est; cetera autem omnia ex essentia sua adeoque consequenter et per accidens cognoscit, quatenus haec altera cognitio ex prima consequitur et ad perfectionem divinae scientiae non requiritur. Atqui Verbum divinum procedere tantum potest ex prima illa cognitione, utpote quae natura prior altera est et prorsus necessaria; Verbum enim utpote ens necessarium nonnisi per necessariam cognitionem procedere potest. Ergo. — *R.* Divina cognitio possibilium aeque necessaria est ac ipsa processio Verbi neque eadem haec possibilium cognitio proprie natura posterior est cognitione ipsius essentiae divina; nam cognitio essentiae divinae et possibilium est una eademque simplicissima cognitio sine ullo discursu.

18. *Opponitur secundo:* Similitudo Verbi divini in nobis invenitur, quatenus mens semetipsam intelligit; ergo Verbum nonnisi ea cognitione procedit, qua Pater semetipsum intelligit. — *R.* Pater Verbum suum exprimit per intellectionem, quae primario in ipsam essentiam et relationes subsistentes cum ea identicas terminatur, secundario autem alia vera attingit. Quare illud tantum verbum creatum simile cum Verbo divino procedit, quod primario ipsam cognoscentis substantiam exprimit. Hinc vero profecto non consequitur, Patrem Verbum generare solum per cognitionem suae essentiae;

praesertim, quia etiam verbum humanum primario exprimens substantiam animae, secundario alia cum ea essentialiter connexa repraesentare posse videtur.

Tertio opponunt: Si Verbum divinum vi processionis suae respectum ad possibilia dicit, hic respectus Verbo proprius est: atqui Verbo proprius censeri nequit, cum repraesentatio possibilium tum Verbo tum aliis personis divinis ratione essentiae conveniat, utpote quae subsistens veritas atque intellectio est. — *R.* Omnibus quidem personis divinis convenit vi essentiae divinae, possibilia intellectualiter repraesentare; proprium autem Verbo est, habere hanc repraesentationem etiam ex formali ratione suae processionis. 19.

4. Verbum etiam per scientiam visionis seu per cognitionem creaturarum existentium procedere probabilius dicitur. — Haec quidem assertio aliquid difficultatis habet atque a multis etiam magnae auctoritatis theologis negatur; verumtamen melioribus rationibus inniti videtur, quam opposita; quod iam ex prima parte patet, insuper vero novis quibusdam vel specialibus rationibus confirmatur. 20.

1) Probatur ex Patrum auctoritate. — Reipsa haec doctrina menti eorum magis consona esse videtur. Sic v. g. S. **Augustinus** in verba evangelii: *Pater omnia demonstrat* ***Filio, quae ipse facit*** (Ioan. 5, 20.) haec notat: „Verbum Patris est Filius: nihil dixit Deus, quod non dixit in Filio. Dicendo enim in Filio, quod facturus erat per Filium, ipsum Filium genuit, per quem faceret omnia" (In Ioan. tract. 22.). Iamvero haec Augustini verba intelligi nequeunt de scientia simplicis intelligentiae sive de cognitione possibilium, sed manifesto de scientia visionis creaturarum accipienda sunt; de cognitione enim eorum, quae Deus facturus erat, sermo est. Ergo ex mente Augustini creaturas in futuro existentes dicendo Pater Filium genuit atque ideo Verbum divinum etiam per cognitionem creaturarum existentium Verbum divinum procedit. — Simili modo eadem evangelii verba S. *Hilarius* commentatur: „Anne demonstratio operum aliud

hic nobis, praeterquam nativitatis fidem nobis ingerit?“ Et paulo inferius eadem verba a Christo in eum finem dicta esse asseverat: „ut demonstratio ipsa nativitatis substantia doceretur, cui per dilectionem Patris operum paternorum, quae per eum effici vellet, esset connata cognitio“ (De Trinit. l. 7. n. 19.). Iamvero demonstratio operum profecto eatenus tantum potest esse Filii nativitas, quatenus Filius per horum operum intellectionem et dictionem natus est sive procedit. Ergo.

21. 2) *Ex ratione theologica.* — Verbum divinum per ipsam intellectionem subsistentem procedit; atqui ipsa intellectio subsistens, quemadmodum essentialiter et necessario omne verum et totum verum comprehendit, ita etiam essentialiter et necessario Verbum exprimit, quod omne verum et totum verum repraesentet; ergo Verbum divinum, quatenus Verbum Patris est vel vi suae processionis omne prorsus et totum verum repraesentat; consequenter igitur per omnem cognitionem quae in Patre est, scilicet etiam per scientiam visionis creaturarum Verbum divinum procedit. — *Confirmatur,* quia Verbum divinum Patri perfecte simile sit vi originis necesse est; quare vi originis in ratione Verbi repraesentantis habere debet, quidquid Pater habet in ratione intelligentis. Sed Pater in ratione intelligentis est subsistens totius et omnis vero comprehensio ideoque etiam rerum creatarum perfecta intellectio. Ergo Verbum vi originis est omnis et totius veri etiam creaturarum existentium perfecta repraesentatio sive expressio; id autem sane esse nequit, nisi Verbum procedat per cognitionem eorum omnium, quae Patris scientia comprehenduntur, inter quae etiam creaturae existentes profecto inveniuntur. Ergo.

22. *Opponitur primo:* Verbi processio simpliciter et absolute necessaria est. Ergo Verbum per cognitionem, quae non est simpliciter et absolute necessaria, procedere nequit. Atqui cognitio creaturarum existentium contingens est. Ergo Verbum per cognitionem creaturarum existentium non procedit. — *R.* Processio Verbi, utpote quae absolute necessaria est, sane fundari nequit in cognitione, quae ipsa contingens

sit. Sed accurate distinguendum est inter cognitionem, quae ipsa est contingens, et cognitionem, quae in se ipsa quidem necessaria est, ad contingentia autem terminatur. Talis autem cognitio divina est, utpote quae tamquam subsistens intellectio simpliciter et absolute necessaria est atque secundario quidem et ex consequenti, sed prorsus necessario ad ipsa contingentia se extendit. Ex tali autem cognitione Verbum divinum procedere posse videtur; et certe oppositum demonstrari nequit. Nimirum sicut fieri nequit, ut creaturae in aliqua temporis differentia existant, quin ad eas ut existentes ab aeterno divina intellectio terminetur; ita cognitio divina ab aeterno et necessario ad easdem creaturas existentes terminari nequit, quin per eandem cognitionem Verbum divinum procedat. Verum quidem est, Verbum divinum fore eiusdem prorsus perfectionis, etsi creaturae non existerent adeoque divina cognitio ad eas ut existentes non terminaretur neque Verbum per hanc cognitionem non procederet. At vero etiam cognitio divina aeque perfecta esset, etiamsi creaturis non existentibus ad eorum existentiam non terminaretur; nunc tamen ad eorum existentiam necessario terminatur; ergo similiter Verbum nunc per eandem cognitionem necessario procedere dicendum est, quamvis aeque perfectum esset in altera hypothesi. Itaque si adversarii tantum illud inculcare volunt, Verbum aeque perfectum esse sive per creaturarum existentium cognitionem procedit sive non, concedimus hoc sensu Verbum divinum per eam cognitionem solum concomitanter et contingenter procedere; si vero ulterius procedentes contendunt, Verbum vi suae processionis nequaquam repraesentare creaturas existentes ut existentes, id quidem propter argumenta prolata, probabilius omnino negamus.

Secundo opponunt, ut praecise hoc alterum evincant: 23.
Verbum per eam scientiam procedere nequit, quae ratione posterior est ipsa productione Verbi. Atqui scientia visionis creaturarum ea productione ratione posterior est. Ergo. *Minor probatur:* Scientia visionis creaturarum liberum voluntatis divinae decretum sequitur, utpote in quo innititur; eiusmodi autem decretum liberum processionibus divinis posterius

est. Ratio est, quia naturalia sunt priora liberis, atque insuper, quemadmodum actiones divinae ad extra sunt indivisae atque tribus personis divinis communes, ita quoque decreta divina libera indivisa et communia sunt. Quare loquendo formaliter et in se Pater non prius ratione vel origine aliquod decretum liberum habet, quam Filius, nec prius vult creare, quam Filius, nec Filio communicat eiusmodi decretum ut tale, sed voluntatem communicat, quae, postquam in tribus personis necessario est ad obiectum primarium terminata, ex omnium consensu ad obiectum secundarium libere terminatur. — *R.* Ad hoc argumentum sane non spernendum *Kleutgen* respondet: „necessarium tamen esse, ut ab aeterno Trinitas decreverit, num et quaenam extra se operaretur: necessarium igitur etiam esse, ut Pater Trinitatem in sua aeternitate contemplans ab aeterno viderit, quid decreverit. Et quemadmodum, ut supra dixi, Filium non videt ut nascentem, qui nondum est, sed ut eum, qui in ipso et ab ipso est; ita neque videt hoc decretum tamquam quod Trinitate constituta futurum sit, sed tamquam quod in Trinitatis aeternitate eius voluntate est“ (De ipso Deo, n. 987.). — Verum nescio an hoc responsum sufficiat; etenim decretum liberum divinum, etsi propter immutabilitatem aeternum necessario sit, ratione tamen posterius est et manet ipsa processione Filii; quo posito integra difficultas subsistere videtur. Itaque addendum saltem aliquid esse videtur. Nimirum, etsi decretum divinum creationis liberum ideoque cum processionibus divinis comparatum ratione posterius sit, neque tamen ideo cognitio etiam divina eiusdem decreti necnon creaturarum existentium libera et est ratione posterior invenitur; sed haec simpliciter necessaria et cum processionibus divinis coaeterna est. Etenim Deus ante quodvis suae voluntatis decretum liberum, haec decreta atque effectus eorum temporales ab omni aeternitate necessario cognoscit, quia ab omni aeternitate et ratione prius, quam concipiantur, verum est ea concipi et per eadem in tempore etiam creaturas produci. Haec quae scientia media reflexa vocatur, in tractatu de Deo uno (th. 30. n. 40.) explicata et defensa est. Quae si cui

displiceat, nihil restare videtur, nisi ut etiam in hac quaestione oppositam sententiam sequatur.

Quarto opponunt: Quae important respectum ad creaturas, de Deo ex tempore dicuntur: Verbum autem divinum est aeternum: ergo Verbum divinum essentialem respectum ad creaturas non dicit. — *R.* cum *S. Thoma* distinguendo inter duplex genus relationum: unum, quod sequitur actionem Dei in externum effectum transeuntem, alterum quod sequitur actionem Dei in ipso manentem, cuiusmodi est scire et velle. Illud complectitur quidem relationes, quae de Deo ex tempore dicuntur; hoc autem minime. Iamvero relatio, quam Verbum ad creaturas dicit ad hoc genus pertinet. „Nec est verum, inquit *S. Thomas*, quod nomina importantia relationem Dei ad creaturas omnia dicantur ex tempore, sed sola illa nomina, quae important relationem consequentem actionem Dei in exteriorem effectum transeuntem, ex tempore dicuntur" (S. th. 1. p. q. 34. a. 3.). 24.

Quinto opponunt: Plures certe in Deo ideae sunt secundum diversos respectus ad creaturas. Ergo, si Verbum respectum ad creaturas dicit, iam consequi videtur, in Deo non unum tantum Verbum, sed plura esse. — *R. S. Thomas:* „Nomen ideae principaliter est impositum ad significandum respectum ad creaturam, et ideo pluraliter dicitur in Deo. Sed nomen Verbi principaliter impositum est ad significandum relationem ad dicentem et ex consequenti ad creaturas, in quantum Deus intelligendo se intelligit omnem creaturam, et propter hoc in divinis est unicum tantum Verbum et personaliter dictum" (Ibid.). 25.

Articulus secundus.

De Spiritus Sancti processione vel spiratione.

Thesis 7. **Praeter Patrem et Filium tertia credi debet persona divina ab utroque distincta, quae nominibus Spiritus, Spiritus Sancti, *Paracliti* in scripturis christianisque documentis insignitur atque vero proprioque sensu Deus est.**

Declaratio.

1. ***Argumentum atque ratio huius thesis.*** — Priusquam de ipsa processione Spiritus Sancti ex Patre et Filio tractetur, quaedam alia ad eam tractationem praevia doctrinae capita accuratius exponenda esse videntur, utpote quae supra in demonstratione existentiae SS. Trinitatis magis summatim simul de secunda et tertia persona perstricta fuere. Cum enim de Filio eiusque distinctione a Patre necnon divinitate aliisque proprietatibus ex professo et fuse in tractatu de Verbo incarnato agatur, accuratior doctrinae de Spiritu Sancto expositio in hoc tractatu propriam sedem habet. Quare in praesenti thesi tria vel quatuor elementa eiusdem doctrinae atque nominatim divinitas Spiritus Sancti paulo enucleatius exponenda et demonstranda sunt. Et quidem contra Socinianos et Rationalistas, qui Spiritum Sanctum quandam Dei operationem seu virtutem intelligunt, in 1. parte demonstratur Spiritum Sanctum esse veram personam; deinde contra Sabellianos, qui eundem cum Patre et Filio identicum esse statuerunt, in 2. parte probatur, Spiritum Sanctum esse personam realiter a Patre et Filio distinctam: in 3. vero parte nomina: Spiritus, Spiritus Dei, Spiritus Sanctus, Paraclitus tamquam nomina propria eidem asseruntur; denique contra Macedonianos, qui Spiritui Sancto divinam naturam denegarunt, eundem vero et proprio sensu Deum esse in 4. parte accuratius demonstrandum est.

Demonstratio.

I. et 2. et 3. atque 4. pars simul demonstrantur.

2. ***1. Probatur ex formula baptismi.*** — In hac scilicet formula, ut iam supra (Th. 2. n. 12.) ostensum est, Spiritus Sanctus exhibetur primo tamquam persona, secundo tamquam persona a Patre et Filio realiter distincta, tertio tamquam persona, quae nomen Spiritus Sancti ut proprium et distinctivum gerat, quarto tamquam verus Deus.

3. ***2. Ex aliis scripturae testimoniis.*** — Etenim in viginti quinque saltem sacrae scripturae locis Spiritus Sanctus non tantum nominatur, verum cum Patre et Filio

vel cum uno ex ambobus connumeratur et iungitur atque creaturis opponitur. Simul tamen proprio nomine, propriis (i. e. appropriatis) operationibus tamquam tertius a secundo et primo distinctus exhibetur. Ita v. g. Matth. 3, 16.; 28, 19.; Luc. 11. 30.; Ioan. cc. 14. 15. 16.: Rom. 15. 30.: 1. Cor. 12, 3.; 2. Cor. 13. 13.; Tit. 3, 4.; Heb. 9. 14.; 1. Pet. 1, 2.; etc. Iamvero manifestum est eum, cui haec omnia simul conveniunt, primo esse personam; secundo esse personam a Patre et Filio utpote ab invicem distinctis pariter distinctam; tertio eidem propria et distinctiva esse nomina notata; quarto denique eundem vero et proprio sensu Deum esse. Ergo.

3. ***Confirmatur ex SS. Patrum auctoritate.*** — 4. Etenim SS. Patres eodem hoc argumento secundo imprimis utuntur maxime ad Spiritus Sancti divinitatem vindicandam. Apposite v. g. *S. Athanasius:* „Impium enim est, creatum aut factum dicere Spiritum Dei, ubi omnis Scriptura vetus et nova eum Patre et Filio ipsum annumerat et glorificat, quia eiusdem est deitatis eiusdemque potentiae et substantiae“ (De Incarn. n. 9.). Similiter alibi saepius, ut v. g.: „Absurdum sane fuerit, ea, quae natura dissimilia sunt, nominare eademque gloria celebrare. Quae enim communio vel quae similitudo rei creatae cum creatore?“ (Ep. 1. ad Serap. n. 9.). — Etiam *Basilius* saepius hoc argumento utitur, ut v. g.: „Non ergo principalem natura Spiritum fas est nobis conservum dicere, neque cum creaturis numerare eum, qui in divina et beata Trinitate pariter numeratur“ (Cont. Eunom. l. 3. n. 2.). Et alibi: „Si alienus natura esset Spiritus, quomodo simul annumeraretur? Et si temporum processu accessisset Patri et Filio, qua ratione aeternae naturae adiungeretur?“ (Hom. 24. n. 5.). — *Ambrosius* eandem rationem adhibet: „Credant igitur, quia creatura non est Spiritus Sanctus, aut si creaturam putant, cur associant Patri? Si creaturam arbitrantur, cur Filio Dei iungunt? Quodsi a Patre et Filio non existimant separandum, non aestiment creaturam, quia ubi una sanctificatio, una natura est“ (De Spiritu Sancto l. 1. c. 9. n. 75.). — Denique plures insuper alii Patres idem argumentum urgent. Cf. *Hurter.* op. SS. PP. 13. añot. 1. p. 14.

I. p. Spiritus Sanctus, de quo ss. litterae loquuntur, persona subsistens est.

5. ***Probatur ex variis scripturae testimoniis.*** — Et *primo* quidem diversis testimoniis docemur, Spiritum Sanctum cum Apostolis eorumque successionibus manere in aeternum, eos de omnibus instruere eisque omnia suggerere, quae Christus eis dixerit; *praeterea* declaratur eundem Spiritum Sanctum testimonium perhibere de Christo, sanctos Dei homines inspirare, et nobis quidem summopere cavendum esse, ne ipsum contristemur; *denique* expressis verbis tamquam futurus consolator, defensor, adiutor noster cum Christo par vel aequalis promittitur. Huc spectant v. g. haec atque similia testimonia: *Et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit* (Ioan. 14, 16.). *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quaecunque dixero vobis* (ib. 26.). *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me* (Ib. 15, 26.). *Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis* (Eph. 4, 30.). *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* (2. Pet. 1, 21.) — Iamvero qui cum hominibus manet, eos instruit, qui testimonium exhibet, homines inspirat, contristandus non est; qui tandem est consolator, adiutor, defensor: sine ulla dubitatione persona subsistens sit oportet. Ergo Spiritus Sanctus sine dubio ullo tamquam persona subsistens in scripturis exhibetur.

6. Adhuc alia testimoniorum serie idem aeque manifeste efficitur: scilicet: „*Omnia autem haec* (i. e. varia charismata) *operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis, prout vult* (1. Cor. 12, 11.); *Quae sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei* (1. Cor. 2, 11.): *Visum est Spiritui Sancto et nobis* (Act. 15, 28.); *Dixit Spiritus Sanctus* (Act. 13, 2.); *Arguet mundum de peccato* (Ioan. 16, 8.): *Segregate mihi Paulum et Barnabam*

ad opus, ad quod assumpsi eos (Act. 13, 2.). *In quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei* (Act. 20, 28.). Itaque Spiritus Sanctus exhibetur charismata et dona supernaturalia operari et distribuere sicut vult, dicitur cognoscere profunda Dei, loqui, arguere, homines seligere atque ad munera gerenda deputare, in ecclesia constituere rectores: atqui haec omnia evidenter nonnisi de persona subsistenti, intellectu et voluntate praedita enuntiari possunt: ergo Spiritus Sanctus vera persona subsistens est.

Exceperunt haeretici, in scriptura dici Spiritum Sanctum 7.
haec omnia facere, non quia ipse revera faciat, sed quia Deus faciat per illum i. e. per virtutem suam; addunt neque inde quidquam consequi, quod Spiritus Sanctus dicatur dona sua distribuere sicut vult, cum etiam de vento, qui sane persona non est, dicatur: *ubi vult spirat* (Ioan. 3.). — *R.* cum *Gregorio de Valentia:* „Hoc vero commentum interpretationis, in tot locis praesertim et in quibus tam varia et multiplicia Spiritui Sancto tribuuntur operationum genera, quis obsecro prudens ferat. Nam quod de vento nobis obiicit, vento levius est. Cum enim dicit Dominus: *Spiritus, ubi vult, spirat*, motum atque agitationem quandam rei naturalis spirationis vocabulo significavit, quae non voluntate ac iudicio, sed natura a ventis concitatur. Unde fit, ut intelligi necesse sit, voluntatem eo loco tributam esse vento nonnisi improprie, quatenus instar cuiusdam voluntatis est illi inclinatio sua naturalis. At Spiritui Sancto operationes locis citatis tribuuntur, quae cum ratione peraguntur, ut dona dividere, docere, praecipere, arguere etc. Quare personam eum esse subsistentem voluntate vera praeditam, cuius arbitrio illa causa operetur, necesse est" (Disp. 2. q. 1. p. 1.). Apposite addit *Kleutgen:* „Imprimis haec quoque esset tropica locutio, quae ex ratione iam exposita de re eadem in tam multis locis admitti non potest. In quibus autem admitteretur, ii sic exponendi essent, ut pro *Spiritu Sancto* legeretur motio divina, gratia vel simile quid. Atqui hoc in nonnullis quidem fieri potest, in aliis autem nequaquam. Sicut enim dixit Ioannes: *unctio docet vos* (1. Ioan. 2, 27.), ita gratia dici potuerit consolari,

adiuvare infirmitatem nostram; at gratiam non solum Paraclitum, sed *alium Paraclitum* (Ioan. 14, 16) nominari, quis ferat? Plane autem insulsum esset: Dixit gratia (seu instinctus divinus): *Segregate mihi Saulum* etc.“ (n. 758).

2. p. Spiritus Sanctus secundum scripturam item a Patre et Filio realiter distinctus est.

8. ***Probatur ex variis scripturae testimoniis.*** — Nova quidem demonstratio hoc loco struenda non est; sed quae iam in thesi 2. diversis locis proposita sunt, uno conspectu exhibentur. Itaque:

Primo huc spectat formula baptismi, ex qua supra (th. 2. n. 11.) iam argumentum depromptum est: quo saepe usi sunt SS. Patres. Et sane merito, quia ex solis nominibus Patris et Filii iam eorum apparet distinctio, quod recte urget *Tertullianus*: „Habeat necesse est Pater Filium, ut Pater sit, et Filius Patrem, ut Filius sit. Aliud est autem habere, aliud esse. Verbi gratia, ut maritus sim, habeam oportet uxorem, non ipse mihi ero uxor. Sic etiam, ut pater sim, filium habeo; non ipse mihi ero filius: et ut filius sim, patrem habeo, non ipse mihi ero pater“ (Adv. Prax. c. 10.). Si vero Pater est distinctus a Filio, Spiritus Sanctus ab ambobus sit distinctus necesse est, utpote qui eadem dicendi formula tertius ponitur.

9. *Secundo* ad eandem veritatem comprobandam illa alia quoque testimonia merito afferuntur, quibus *Spiritus Sanctus cum Patre et Filio vel uno ex ambobus simul exhibetur atque tamquam alius vel tertius ab iisdem discernitur.* Sic v. g. in baptismate Christi tres simul personae divinae apparent: Filius homo factus baptizatur in flumine Iordano; Deus Pater sensibile de eodem testimonium exhibet: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui;* Spiritus Sanctus corporali specie columbae apparuit tamquam distinctus ab utroque (Matth. 3, 16. 17.). Cf. supra th. 2. n. 7. et n. 29. ss., ubi alia plura testimonia huc spectantia exhibentur.

10. Denique *tertio* et efficacissime distinctio Spiritus Sancti a Patre et Filio illis testimoniis evincitur, *quibus Spiritus*

Sanctus disertis verbis alius a Patre et Filio esse et ab iisdem mitti vel procedere declaratur; quae testimonia paulo superius (n. 11.) allata sunt. Profecto enim nemo a se alius est, nemo a semetipso procedere vel mitti dicitur. Etiam hoc argumento SS. Patres saepenumero utuntur ad catholicam veritatem defendendam et haereticos retundendos; v. g. *Ambrosius:* „Bene dixit alium, ne ipsum Filium ipsum Spiritum intelligeres; unitas enim nominis (Parancliti) est. non Filii Spiritusque Sabelliana confusio" (De Spiritu Sancto l. 1. c. 13.). Cf. th. 2. n. 7.

3. p. Personae huic tertiae a Patre et Filio distinctae velut propria accommodantur nomina: Spiritus, Spiritus Sancti, Paracliti.

Haec pars duas partes continet. quae distinctim probandae sunt. Nimirum: **11.**

1. Reipsa haec nomina tertiae personae tamquam propria tribuuntur. — Quae assertio *primo* facile et evidenter ex scriptura conficitur. Etenim imprimis in textibus scripturae, in quibus ex professo tres personae commemorantur vel connumerantur. tertia persona hoc nomine Spiritus Sancti vel Spiritus vel Paracliti constanter insignitur. Quod perspicue liquet, si testimonia in 2. atque in hac thesi allata considerantur. Iamvero incredibile apparet, in eiusmodi scripturae locis personae illi constanter tribui nomina impropria, nunquam vero proprium. Ergo. *Confirmatur*, quia nullus in novo testamento occurrit locus, in quo nomina Spiritus Sancti, Spiritus Dei, Spiritus Christi, Spiritus veritatis, Paracliti aliaque similia adhibeantur ita, ut ad Patrem vel Filium referri debeant, ad tertiam vero personam referri nequeant.

Secundo ex traditione idem manifesto constat. Etenim **12.**
in universa traditione eadem nomina, imprimis nomen Spiritus Sancti, summa plane constantia ut propria tertiae personae tribuuntur. Si vero quandoque etiam Patri et Filio tribuuntur, tum non hypostatice, sed essentialiter accipiuntur ad significandam essentiam, non vero hypostasin.

13. ***2. Eadem vero nomina non ex nativa sua significatione, sed ex usu vel accommodatione tertiae personae propria evaserunt.*** — Haec assertio bipartita addenda est, ad falsam rei conceptionem vitandam vel eliminandam. Consideratio vero commoditatis causa ad nomen Spiritus Sancti restringi potest, cum de ceteris eadem fere ratione dicendum sit. Itaque:

1) *Nomen Spiritus Sancti spectata nativa significatione tertiae personae proprium non est.* — Nimirum sub hoc respectu non magis convenit tertiae personae, quam secundae et primae. Etenim profecto etiam prima persona tum spiritus est, tum sancta, atque pariter secunda. Insuper, etiamsi vocabula Spiritus et Sanctus tamquam una dictio sive unum nomen sumantur atque etiam articulus praeponatur (τὸ ἅγιον πνεῦμα der hl. Geist), adhuc sub respectu notato de Deo Trino saltem proprio sensu praedicari potest.

14. 2) *Spectato vero usu ecclesiastico in scriptura et traditione fundato idem terminus in vi unius dictionis praesertim sumptus tamquam proprium nomen tertiae personae accommodatum est.* — Quae assertio, cum omnibus pateat, demonstratione non indiget. *Notandum solum est,* hanc accommodationem non videri esse proprio sensu appropriationem; per appropriationem enim significatur quidem aliquid tribus personis commune, uni vero prae aliis tribuitur; illo autem nomine non aliquid commune, sed directe character personalis designatur.

15. 3) *Haec vero accommodatio nominis Spiritus Sancti convenientissime facta est.* — Quod ex duobus imprimis intelligitur. Et *primo* quidem nomen spiritus, quatenus significat immaterialitatem naturae, in divinitate commune nomen est: atque etiam sanctitas est attributum tribus personis commune. Iamvero proprium est tertiae personae, ut communis sit Patri et Filio, quatenus ab utroque procedit; ergo nomine derivato ex eis, quae Patri et Filio communia sunt, tamquam proprio denominatus est. Quae est explicatio *S. Augustini:* „Non solus (Spiritus Sanctus) est in illa Trinitate vel spiritus vel sanctus, quia et Pater spiritus et Filius

spiritus, et Pater sanctus et Filius sanctus, quod non ambigit pietas; et tamen iste non frustra proprie dicitur Spiritus Sanctus. Quia enim est communis ambobus, id vocatur ipse proprie, quod ambo communiter" (De Trinit. l. 15. c. 19. n. 37.). —. *Secundo* autem, cum nomen spiritus significet in rebus materialibus aëris impulsum vel motum in rationali autem substantia impulsum rei viventis ab interiore, *S. Thomas* ex hac nativa significatione aliam huius quaestionis explicationem derivat: „Quia amatum in voluntate existit ut inclinans et quodammodo impellens intrinsecus amantem in ipsam rem amatam, impulsus autem rei viventis ab interiori ad spiritum pertinet, convenit Deo per modum amoris procedenti, ut Spiritus dicatur eius spiratione quasi quadam aspiratione existente. Hinc est, quod Apostolus spiritui et amori impulsum quendam attribuit: dicitur enim: *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei* (Rom. 8, 14.); et: *Caritas Christi urget nos* (2. Cor. 5, 14.). Quia vero omnis intellectualis motus a termino denominatur, amor autem praedictus est quo Deus ipse amatur, convenienter Deus per modum amoris procedens dicitur Spiritus Sanctus; ea enim quae Deo dicata sunt, sancta dici consueverunt" (c. G. l. 4. c. 19.).

Immo vero videri possit, nomen Spiritus tertiae personae nativo quodam sensu proprium esse, non tantum accommodari. — Nimirum si nomen spiritus ethymologice idem sit ac participium spiratus atque spirare amorem idem sit ac actum amoris producere: tum spiritus nativo sensu idem est ac amor spiratus; soli autem tertiae personae convenit esse amorem spiratum, cum Pater et Filius spirent, non autem spirentur; quare pro ea hypothesi nomen Spiritus Sancti, saltem spectato termino Spiritus, nativo quoque sensu sumptum tertiae personae omnino proprium est. **16.**

4. p. Spiritus Sanctus verus Deus est.

1. Probatur ex s. scriptura. — Multis sacrae **17.** scripturae testimoniis de hoc fidei dogmate constat; omnia vero ad quaedam doctrinae capita reduci possunt:

1) *In scriptura Spiritus Sanctus expressis verbis Deus vocatur sive directe divina natura ipsi tribuitur.* — Revera plura testimonia exstant, quibus Spiritus Sanctus simpliciter Deus vocatur; v. g. Act. 5, 3. 4.: *Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Idem igitur est mentiri Spiritui Sancto ac mentiri Deo; ergo Spiritus Sanctus Deus est. Quo testimonio frequenter utuntur SS. Patres ad divinitatem Spiritus Sancti contra haereticos vindicandam, ut v. g. *Didymus*, de Spiritu Sancto n. 18. scribens: „Si enim, qui Domino mentitur, mentitur Spiritui Sancto, et qui Spiritui Sancto mentitur, mentitur Deo, nulli dubium est, consortium Spiritui Sancto esse cum Deo. Et quomodo sanctitas substitit in Deo, eodem modo et deitas intelligitur in Spiritu Sancto." Similiter *Athanasius*, de Incarnatione, et cont. Arium n. 13. — *Contra quidem haeretici exceperunt*, eodem modo illa scripturae verba accipienda esse ac haec: *Qui vos spernit, me spernit etc.* Verum recte respondit iam *S. Athanasius*, hoc sensu supposito S. Petrum potius dicere debuisse: Non es mentitus Spiritui Sancto, sed Deo: vel etiam: Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te nobis? Alii SS. Patres conferri possunt apud Hurter, opp. SS. PP. 22, 190. ss.

18. Huc spectat etiam 1. Cor. 3, 16.: *Nescitis, quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Dominus; templum enim Dei factum est, quod estis vos.* Ibid. 6, 19.: *An nescitis, quoniam membra vestra sunt templum Spiritus Sancti, qui in vobis est.* Et mox subiungitur: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Quibus verbis obvio sensu sumptis iterum Spiritus Sanctus clare tamquam verus Deus exhibetur. — *Ceterum Augustinus idem sic confirmat:* „Nonne si templum alicui sancto angelo excellentissimo de lignis et lapidibus faceremus, anathematizaremur a veritate Christi et ab ecclesia Dei, quoniam creaturae exhiberemus eam servitutem, quae uni tantum Deo debetur? Si ergo sacrilegi essemus faciendo templum cuicunque creaturae, quomodo non est Deus verus, cui non templum facimus, sed nos ipsi templum sumus?"

(C. Maxim. c. 11.). Et *Cyrillus Al.*: „Nulla quippe creatura neque factum aliquid tamquam Deus in templo habitare dicitur: nam id inter alias proprietates soli Deo convenit“ (Thesaur. ass. 34.). Etiam multi alii Patres ex relatis testimoniis argumentantur. Cf. Hurter, op. SS. PP. 16. n. 229. ss. — *Contra factum argumentum excipi tamen potest*: Templa etiam Sanctis eriguntur; ergo. *R. D.* In eorum memoriam et honorem eriguntur *c.* Ipsis per se et primario consecrantur, non vero primo loco cultui divino deputantur *n.* Insuper vero considerandum est, *homines* templum Dei et Spiritus Sancti dici, quod omnimodam et plenam hominum erga Spiritum Sanctum subiectionem et consecrationem dicit; eiusmodi autem subiectio et consecratio soli Deo debita est et fieri potest. — *Denique adhuc aliam confirmationem addit S. Thomas*: „Supra praemiserat: *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* (Ib. 15.). Inconveniens autem esset, cum Christus sit verus Deus, ut ex superioribus patet, quod membra Christi templum Spiritus Sancti essent, nisi Spiritus Sanctus Deus esset“ (C. g. l. 4. c. 17.).

19. Merito etiam hic adducitur 2 Thess. 3., ubi Apostolus dicit: *Dominus autem dirigat corda vestra in dilectione Dei et tolerantia Christi.* Saltem haec verba urgens *S. Athanasius* in Concilio Nicaeno contra Arium sic disputavit: „Quemnam Dominum hic appellari putas? Patrem an Spiritum Sanctum? Nam Christum expresse recensuit. Si enim primo loco Patrem hic constituas, Deus est Spiritus. Sin primo loco Spiritum ibi nominatim confiteris, necesse est, ut eum Dominum quoque concedas. Quodsi Dominus est, nimirum et Deus quoque habendus erit. Scriptum est enim: *Ego sum Dominus Deus tuus.*“

20. Denique huc spectare videtur etiam hoc testimonium Davidis 2. Reg. 23.: *Spiritus Domini locutus est per me et sermo eius per linguam meam, dixit Deus Israël, mihi locutus est fortis Israël, dominator hominum.* His enim verbis Spiritus Domini vocatur Deus Israël, Fortis et Dominator, quae nomina sane verum Deum designant.

21. 2. *Scriptura ipsa tamquam sui interpres quaedam testimonia ad Spiritum Sanctum refert, cum tamen eadem sine ulla dubitatione de vero Deo agant.* — Qua ratione profecto valde clare Spiritus Sanctus tamquam verus Deus exhibetur. Sic v. g. Isaias c. 6. de vero Deo loquitur, cum dicit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum . . . Et dixit: Vade et dic populo huic: Audite audientes et nolite intelligere et videte visionem et nolite cognoscere, excoeca cor populi huius . . .* Iamvero hunc Deum verum ac Dominum esse Spiritum Sanctum interpretatus est S. Paulus: *Bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam prophetam: Vade ad populum istum et dic ad eos: Aure audietis et non intelligetis et videntes videbitis et non perspicietis* (Act. 28. 25.) Item Deus verus est, qui loquitur in ps. 94., ubi inter alia dicit: *Nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto . . ., ubi me tentaverunt Patres vestri . . .* Atqui hunc verum Deum esse Spiritum Sanctum item Apostolus exponit: *Quapropter, sicut dicit Spiritus Sanctus: Nolite obdurare corda vestra* (Heb. 3. 7.).

22. Pariter verus Deus olim locutus est *per os sanctorum qui a saeculo sunt, prophetarum eius,* ut Zacharias (Luc. 1, 70.) testatur et ex multis aliis testimoniis patet. Iamvero Spiritum Sanctum illum esse, qui per prophetas in scriptura sancta locutus est, ipse Christus testatur: *Ipse David in Spiritu Sancto dicit: Dixit Dominus Domino meo* (Mc. 12, 36.). Et secundum S. Petrum *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (2. Pet. 1, 21.).

23. Iterum idem patet, si Lev. c. 16. 2. cum Hebr. c. 9. 8. conferatur. In primo enim loco Deus verus locutus est ad Moysen et praecepit ei dicens: *Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio, quo tegitur arca, ut non moriatur.* In altero autem loco Apostolus eum, qui sic praecipit, Spiritum Sanctum fuisse interpretatur. Nam ubi illud praeceptum commemoravit, confestim subiunxit: *Hoc signi*

ficante Spiritu Sancto nondum propalatam esse Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.

Denique verus Deus est ille Deus Israel qui promisit 24.
Ierem. c. 31, 33.: *Hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël, post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, et in corda eorum scribam eam et ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in populum.* Hanc vero novi Foederis promissionem editam esse a Spiritu Sancto Apostolus clarissime docet: *Contestatur nos et Spiritus Sanctus. Postquam enim dixit: Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos dicit Dominus; dando leges meas in cordibus eorum et in mentibus eorum superscribens eas.*

Ex testimoniis adductis iam patet, sacram scripturam 25.
iteratis vicibus atque expressis verbis divinitatem Spiritus Sancti proponere. Immerito igitur quaeritur, cur non saepius in scripturis Spiritus Sanctus Deus vocetur; ceterum ad hanc quaestionem respondemus cum *S. Hilario*: „In divinis litteris non frequentius dicta, sed tantum dicta sufficiunt" (De Trinit. l. 4.); et cum *Faustino:* „In divinis vocibus non numerus testimoniorum, sed auctoritas quaerenda est, quae idonea est, etiamsi una voce proferatur" (Cont. Arianos); et cum *Gregorio Nysseno* tandem: „Divinorum verborum quodlibet ad veritatis declarationem parem et aequalem vim obtinet, etiamsi minimum sit" (Cont. Eunom. l. 4.). Insuper vero illud quoque considerandum est, idem, quod nomen Dei significat, nomina Spiritus Dei, Spiritus veritatis, qui a Patre procedit, sine dubio significare. Denique adhuc alia argumenta divinitatis Spiritus Sancti sacra scriptura suppeditat, quae iam exponenda sunt.

3) *Spiritus Sancti divinitas ex variis praerogativis* 26.
elucet, quas scriptura ipsi tribuit. — Ex multis testimoniis, quae hic adduci possunt, quaedam seligere et considerare satis erit. Itaque:

a) *Spiritus Sanctus dicitur a Patre procedere tamquam Spiritus veritatis et Spiritus Dei, qui omnia etiam profunda Dei scrutetur.* Huc spectat inprimis Ioan. 16, 26.: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre,*

Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Itaque Spiritus Sanctus a Patre ita procedit, ut proprio sensu spiritus veritatis dicatur; iamvero Spiritus veritatis proprio sensu non est, nisi qui ex natura sua omne verum etiam divinum cognoscat et revelare possit; ceterum hoc ipsum paulo ante ipse Christus Dominus Spiritui Sancto tribuerat: *Paraclitus autem, Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Qui autem ex natura sua omne verum etiam divinum cognoscit et revelare potest, necessario Deus est. Ergo Spiritus Sanctus vero et proprio sensu Deus est.

27. Huc spectat etiam 1. Cor. 2, 9—12., ubi Apostolus, postquam retulit verba prophetae: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis intravit, quae Deus praeparavit iis, qui diligunt illum,* ita pergit: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum; Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum sit, quae sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognoscit, nisi Spiritus Dei; nos autem non Spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est.* Plura hic notanda et consideranda sunt: *Imprimis* ut idem accipitur Spiritus Dei et Spiritus, qui ex Deo est; alter enim terminus pro altero ponitur. Ergo Spiritus Sanctus ita ex Deo est, ut sit Spiritus Dei. — *Praeterea* Spiritus Sanctus ita Dei esse exhibetur, qua ratione Spiritus, qui in homine est, hominis est Spiritus. Quare Spiritus Sanctus Deo non est extraneus, neque ita ex Deo oritur, ut alii spiritus, qui creantur; ergo origine immanente ex Deo procedit atque substantiam divinam habet. Atqui haec omnia nonnisi personae conveniunt, quae verus Deus est. Ergo. Apposite *S. Thomas*: „Secundum praedictam Apostoli comparationem Spiritus Sanctus se habet ad Deum sicut Spiritus hominis ad hominem. Spiritus autem hominis intrinsecus est homini, et non est extranea natura ab ipso, sed est aliquid eius. Igitur et Spiritus Sanctus non est naturae extraneae a Deo" (C. g. l. 4. c. 17.). — *Insuper* idem fere argumentum, quod ex superiori textu depromptum est, ex praesenti quoque derivari potest:

Nimirum scientia profundorum Dei i. e. mysteriorum nemini nisi Deo naturaliter competere potest; atqui Spiritus Sanctus propter suam ex Deo originem omnia mysteria in Deo abscondita cognoscere exhibetur: ergo ut verus Deus ex vero Deo procedit. Simili modo argumentatur *Cyrillus Alexandrinus:* „Si omnia sunt ex Deo sicut Spiritus, et nihil hic antecellit iis, quae facta sunt, cur non quaevis natura creata, si quidem omnes ex Deo esse dicuntur, ea quae Dei sunt, novit profundaque Dei scrutatur? Cur non per omnes, sed solum Spiritum revelat Deus? Cum igitur ceteris, quae facta sunt, per Spiritum fiat revelatio, Spiritus autem ipse profunda Dei scrutetur, utpote ex eo et in eo naturaliter existens, sicut humanum in homine, manifestum profecto est, Spiritum esse Deum, qui proprie et naturaliter e Deo oritur, dum reliqua, quae effecta sunt, improprie ex eo, nempe tamquam a factore et opifice esse dicuntur" (Thesaur. ass. 33.). Et *S. Thomas:* „Comprehendere profunda Dei non est alicuius creaturae; quod patet ex hoc, quod Dominus dicit: *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius* (Matth. 11, 27.); et ex persona Dei dicitur: *Secretum meum mihi* (Isai. 24, 16.). Ergo Spiritus Sanctus non est creatura" (C. g. l. 4. c. 17.). Et iterum ibidem: „Amplius, si quis conferat verba Apostoli praemissa verbis Isaiae prophetae, manifeste percipiet Spiritum Sanctum Deum esse. Dicitur enim: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti exspectantibus te* (Is. 64, 4.); quae quidem verba Apostolus cum introduxisset, subiungit verba praemissa, scilicet quod Spiritus scrutatur profunda Dei. Unde manifestum est quod Spiritus Sanctus illa profunda Dei cognoscit quae praeparavit exspectantibus eum. Si ergo haec nullus vidit praeter Deum, ut Isaias dicit, manifestum est, Spiritum Sanctum Deum esse."

Denique adhuc quaedam scripturae testimonia huc spec- 28.
tant, quae adducit et in argumentationem adhibet *S. Thomas:* „Revelatio mysteriorum proprium opus Dei ostenditur in Scripturis; dicitur enim: *Est Deus in coelo revelans mysteria* (Dan. 2, 28.). Mysteriorum autem revelatio opus Spi-

ritus Sancti ostenditur: dicitur enim: *Nobis revelavit Deus per Spiritum suum* (1. Cor. 2, 10.); et dicitur: *Spiritu loquitur mysteria* (1. Cor. 14, 2.). Spiritus ergo sanctus Deus est. — Praeterea interius docere opus Dei est; dicitur enim de Deo: *Qui docet hominem scientiam* (Ps. 93, 10.); et: *Dat sapientiam sapientibus et scientiam intelligentibus disciplinam* (Dan. 2, 21.). Hoc autem proprium opus Spiritus Sancti esse manifestum est; dicit enim Dominus: *Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia* (Ioan. 14, 26.). Spiritus ergo Sanctus est divinae naturae" (Ibid.).

29. b) Pluribus testimoniis Spiritui Sancto cum Patre et Filio aequalis honor, gloria, adoratio, efficientia, auctoritas, dignitas tribuitur. Huc spectat iterum formula baptismi: deinde 2. Cor. 13, 13.: *Gratia Domini nostri Iesu Christi et caritas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.*" In quae verba *Athanasius* ad Serap.: „Nam cum participes sumus Spiritus, Verbi gratiam habemus et in ipso Patris caritatem" (ep. 3. n. 6.). Scilicet in sanctificatione Spiritus Sanctus Patri et Filio adiungitur. — Huc spectant etiam ea testimonia, quibus attributa divinae naturae Spiritui Sancto adscribuntur, ut v. g.: immensitas: *Quo ibo a Spiritu tuo* (Ps. 138, 7.); *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (Sap. 1. 7.); omnipotentia: *omnem habens virtutem* (Sap. 7, 23.). Ex illis testimoniis ita arguit *S. Thomas:* „Esse ubique proprium Deo est, qui dicit: *Coelum et terram ego impleo* (Ierem. 23, 24.). Et hoc Spiritui Sancto convenit; dicitur enim: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (Sap. 1, 7.) et: *quo ibo a Spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam?* (Ps. 138, 7.) et: *Si ascendero in coelum, tu illic es . . .* (Ibid. 8.); Dominus etiam discipulis dicit: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae* (Act. 1, 8.): ex quo patet quod Spiritus Sanctus ubique est, qui ubique et ubicunque existens inhabitat. Spiritus ergo Sanctus Deus est. — Denique etiam efficientia divina Spiritui Sancto tribuitur, ut creatio: *Spiritus*

Domini ferebatur super aquas (Gen. 1, 2.); hunc textum saltem SS. Patres communiter de Spiritu Sancto atque creatione interpretantur (cf. Hurter, opp. 22. p. 181.); *Emittes Spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terrae* (Ps. 103, 30.); conservatio: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis* (Sap. 1, 7.). Ex creatione Spiritui Sancto in scripturis tributa argumentatur etiam S. Thomas: „Creatio solius Dei opus est. Pertinet autem creatio ad Spiritum Sanctum; dicitur enim: *Emittes Spiritum tuum et creabuntur* (Ps. 103. 30.); et dicitur: *Spiritus Dei fecit me* (Iob 33, 4.); et dicitur de Deo: *Ipse creavit illam*, scilicet sapientiam, *in Spiritu Sancto* (Eccli. 1, 9.) Est ergo Spiritus Sanctus divinae naturae" (L. c.).

c) Spiritus Sanctus ut princeps auctor gratiae, sanctifica- 30.
tionis, remissionis peccatorum exhibetur, ut v. g.: *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei* (Rom. 8, 14. ss.). *Et haec quidem fuistis* (i. e. peccatores, fures etc.): *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi et in Spiritu Dei nostri* (1. Cor. 6, 11.). *Quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* (Rom. 5, 5.). *Et nemo potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto* (1. Cor. 12, 3.). *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* (Ioan. 3, 5.). *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti* (Tit. 3, 5.). *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur iis* (Ioan. 20, 22.). *Lex enim Spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati et mortis* (Rom. 8, 2.). *Non est regnum Dei esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto* (Rom. 14, 17.). Ex his vel similibus testimoniis non uno modo argumentatur *S. Thomas*: „Sanctificare homines proprium Dei opus est; dicitur enim: *Ego Dominus, qui sanctifico eos* (Lev. 22, 9.).

Est autem Spiritus Sanctus, qui sanctificat: dicit enim Apostolus: *Abluti estis, . . . sanctificati estis, . . . iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, et in Spiritu Dei nostri* (1. Cor. 6. 11.); et dicitur: *Quod elegerit vos Deus primitias in salutem, in sanctificatione spiritus et in fide veritatis* (2. Thessal. 2, 12.). Oportet igitur, Spiritum Sanctum Deum esse. — Sicut vita naturae corporis est per animam, ita vita iustitiae ipsius animae est per Deum; unde Dominus dicit: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me* (Ioan. 6, 58.). Huiusmodi autem vita est per Spiritum Sanctum; unde subditur: *Spiritus est, qui vivificat* (ib, 64.); et dicit Apostolus: *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* (Rom. 8, 13.). Spiritus ergo Sanctus divinae naturae est. — Adoptare in filios Dei non potest esse opus alterius nisi Dei; nulla enim creatura spiritualis dicitur filius Dei per naturam, sed per adoptionis gratiam; unde et hoc opus Filio Dei, qui verus Deus est, Apostolus attribuit dicens: *Misit Deus Filium suum . . . ut adoptionem filiorum reciperemus* (Gal. 4, 4. 5.). Spiritus autem Sanctus est adoptionis causa; dicit enim Apostolus: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater)* (Rom. 8, 15.). Ergo Spiritus Sanctus non est creatura, sed Deus. — Si Spiritus Sanctus non est Deus, oportet quod sit aliqua creatura. Planum est autem, quod non est creatura corporalis, nec etiam spiritualis; nulla enim creatura spirituali creaturae infunditur, cum creatura non sit participabilis, sed magis participans; Spiritus autem Sanctus infunditur Sanctorum mentibus, quasi ab eis participatus; legitur enim et Christus (eo) plenus fuisse, et etiam Apostoli. Non est ergo Spiritus Sanctus creatura, sed Deus" (L. c.).

31. d) Collatio et distributio variorum charismatum Spiritui Sancto adscribitur. Imprimis ipsi tribuitur inspiratio prophetarum, ut v. g. act. 1, 16.: *oportet impleri scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Iuda;* 2. Pet. 1. 21.: *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines;* deinde patratio miraculorum, ut Rom. 15, 19.: *In virtute signo-*

rum et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti; ipsa quoque resuscitatio Christi, ut Rom. 8, 11.: *Quod si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis, . . . vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis;* denique ecclesiae gubernatio ex principali potestate, qua etiam Pater et Filius eam gubernant, ut act. 20, 28.: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei;* Act. 13, 2. *Dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Paulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos;* act. 10, 19. 20.: *Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quaerunt te. Surge itaque descende et vade cum eis, nihil dubitans, quia ego misi illos;* rursus act. 15, 28.: *Visum est Spiritui Sancto et nobis;* denique act. 16, 6.: Paulus et Timotheus *vetatti sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia.* — Itaque Spiritui Sancto tamquam principali causae variorum charismatum omnino supernaturalium collatio a scriptura adscribitur; atqui eiusmodi charismata supernaturalia solus Deus tamquam principalis causa conferre potest, ut ex eadem scriptura certum est; ergo. Similiter *S. Thomas* aliquos ex textibus relatis in argumentum convertit: „Dominus in argumentum suae divinitatis contra Iudaeos, qui sustinere non poterant, ut se aequalem Deo faceret, asserit in se esse resuscitandi virtutem, dicens: *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* (Ioan. 5, 21.). Virtus autem resuscitativa ad Spiritum Sanctum pertinet; dicit enim Apostolus: *quod si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis* (Rom. 8, 11.). Spiritus ergo Sanctus est divinae naturae. — Ex sacris scripturis apparet, Deum esse, qui locutus est per prophetas; dicitur enim ex ore Dei: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei vel per somnium,* id est per Spiritum meum, *loquar ad illum* (Num. 12, 6.); et dicitur: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (Ps. 84, 9.). Manifeste autem ostenditur, Spiritum Sanctum locutum esse in Prophetis; dicitur enim: *Oportet impleri*

scripturam quam praedixit Spiritus Sanctus per os David (Act. 1, 16.); et Dominus dicit: Quomodo dicunt Scribae Christum filium David esse? ipse enim dicebat in Spiritu Sancto: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis* (Matth. 22, 43. 44.); et dicitur: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (2. Pet. 1, 21.). Manifesto ergo in Scripturis colligitur Spiritum Sanctum Deum esse" (L. c., ubi alia quoque argumenta conferri possunt.). — Denique exceptioni occurrens ita argumentationem institutam confirmat: „Si quis autem dicat, praedicta opera quae sunt Dei Spiritui Sancto attribui, non per auctoritatem, ut Deo, sed per ministerium, quasi creaturae, expresse hoc esse falsum apparet ex his quae Apostolus dicit, dicens: *Divisiones operationem sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus* (1. Cor. 12, 6.); et postea connumeratis diversis donis Dei subdit: *Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult* (Ib. 11.); ubi manifesto expressit Spiritum Sanctum Deum esse, tum ex eo, quod Spiritum Sanctum operari dicit quae supra dixerat Deum operari, tum ex hoc quod eum pro suae voluntatis arbitrio operari confitetur. Manifestum est igitur Spiritum Sanctum Deum esse" (Ibid.).

32. e) Denique Spiritus Sanctus in s. scriptura nunquam cum creaturis connumeratur, quod sane non intelligeretur, si creatura esset. Quando verbi causa in psalmis omnes creaturae ad Deum laudandum provocantur: coeli, terra, aqua, montes, glacies et alia, Spiritus Sanctus tamen nunqum commemoratur; praeterea ipse Spiritus Sanctus nunquam se exhibet inferiorem Patre, cum tamen Filius id saepe faciat propter humanam suam naturam; deinde Spiritus Sanctus superior exhibetur Christo, in quantum hic homo est: etenim Christus virtute Spiritus Sancti concipitur et sanctificatur (Luc. 4, 18.), a Spiritu Sancto gratia ungitur: *Spiritus Domini super me eo quod unxerit Dominus me* (Is. 61, 1.); ab eodem Spiritu in desertum ducitur (Luc. 4, 1.), in virtute Spiritus daemonia eiicit (Matth. 12, 28.) atque ad mortem se offert (Heb. 9, 14.). Denique huc pertinet illud quoque, quod blasphemia in Spiritum Sanc-

tum ut detestabilior exhibetur, quam peccatum in Filium hominis (Matth. 12. 32.).

2. *Ex traditione.* — Cum jam plura, quae huc 33.
spectant, supra adducta sint, nihilominus hoc loco generalem aliquam antiquae de Spiritu Sancto fidei conspectum exhibere iuvat:

1) Probatur ex fide ecclesiae antenicaenae. — Authenticis testimoniis de hac fide constat. Sic *Clemens R.* in priore ad Corinthios epistola tria de Spiritu Sancto docet: primo in vetere lege Christum per Spiritum Sanctum locutum esse; secundo scripturas esse vera oracula Spiritus Sancti; tertio omnes contentiones amandandas esse a coetu fidelium, cum unus sit Deus, unus Christus atque unus Spiritus gratiae. His autem fides in divinitatem Spiritus Sancti implicita esse intelligitur. — Idem valet de iis, quae in epistolis ad Magnes. et Philadelph. enuntiat *Ignatius*: Nimirum primo fidelibus adprecatur, ut prospere ipsis omnia succedant in Patre et Filio et Spiritu Sancto; deinde eosdem hortatur, ut episcopo subiecti esse velint, quemadmodum Apostoli Christo et Patri et Spiritui Sancto subiecti fuerunt; denique docet, Spiritum Sanctum non decipi ideoque eiusdem annuntiationibus fidendum esse. — *Athenagorae* testimonium supra iam adductum est: nimirum Legat. n. 10. Christianos non esse atheos inde probat, quod Deum Patrem et Filium Deum et Spiritum profiteantur eorumque in unione potentiam et in ordine distinctionem; insuper vero n. 24. refert, Deum nos dicere et Filium Verbum eius et Spiritum Sanctum unitos secundum virtutem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, quia Mens, Verbum et Sapientia Filius Patris, effluvium autem, ut lumen ab igne, Spiritus. In actis vero martyrii Polycarpi haec ter refertur doxologia: „Laudo te et benedico tibi cum sempiterno et coelesti Iesu Christo, dilecto Filio tuo, cum quo tibi et Spiritui Sancto gloria et nunc et in futura saecula.“

Succedit *Irenaeus,* qui adv. haer. l. 5. c. 12. Spiritum 34.
Sanctum distinguit ab afflatu, quo Adam animatus est eo, quod temporalis hic, ille autem sempiternus sit. Alia eiusdem Patris testimonia iam supra (l. c.) adducta sunt. — De

Tertulliani quoque fide ex testimoniis supra adductis iam constat; addi vero potest, quod cont. Prax. c. 13. testatur, duos Deos ac duos Dominos nunquam ex ore nostro proferri, nec tres dici, quasi non et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus et Deus unusquisque. — Ex *Hippolyto* quoque hoc insuper testimonium adduci potest, quo dicit, omnia Patrem subiecisse Filio incarnato praeter se et Spiritum Sanctum, et hos esse vere tres (Cont. Noët. n. 6.). — Deinde *Cyprianus* haec ad Iubaianum scribit: „Templum Dei factus est? Quaero cuius Dei? Si creatoris, non potuit, qui in eum non credidit. Si Christi, non huius templum fieri potest, qui negat Christum Dei. Si Spiritus Sancti, cum tres unum sint, quomodo Spiritus Sanctus placatus ei esse potest, qui aut Patris aut Filii inimicus est?" — Denique praeclara est confessio *Clementis Alexandrini:* „Laudemus Patrem et Filium, Filium, inquam, paedagogum et magistrum una cum Sancto Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia, cui gloria nunc et in saecula saeculorum" (Paedag. in fine.). Huc spectant etiam plura testimonia iam in 1. thesi n. 20. ss. adducta.

35 2) *Ex fide sancita per concilia post Nicaenum I. celebrata.* — Ipsa synodus Nicaena nihil speciatim de Spiritu Sancto sanxit, quia, ut Patres loquuntur, concilia non debent nec solent definitionem de dogmate edere, de quo nulla adhuc quaestio mota est. Verumtamen non multo post medium saeculum quartum ex haeresi Ariana progerminata est haeresis, quae divinitatem Spiritus Sancti infitiabatur, atque vix non progerminari debuit. Etenim si Filius non eiusdem cum Patre dicatur esse substantiae, logice consequitur, neque Spiritum Sanctum cum Patre consubstantialem esse, cum scilicet Spiritus Sanctus ex scriptura et traditione Filii Spiritus sit atque ab eodem mittatur; nemo autem superior inferioris est nec ab inferiore mitti potest. Iamvero hoc consectarium ex principiis Arianis imprimis Macedonius, Episcopus Constantinopolitanus inferre non dubitavit; quare huius haeretici erroris sectatores una cum nomine pneumatomachorum nomen Macedonianorum nacti sunt.

Porro *synodus Alexandrina* sub Athanasio celebrata 36.
prima de dogmate divinitatis Spiritus Sancti egit atque omnes condemnavit, qui Spiritum Sanctum creaturam esse effutirent, necnon dogma catholicum clare definivit pronuntians, sanctissimam Trinitatem unius esse Deitatis et Spiritum Sanctum non esse alienum a Patris Filiique substantia. — Quam professionem pariter emisit *synodus in Illyrico celebrata* statuens, consubstantialem esse sanctissimam Trinitatem, nec Spiritum Sanctum a Patre Filioque divellendum.

Deinde anno tercentesimo octogesimo primo secutum est 37.
concilium oecumenicum II. Constantinopolitanum I., quod proscripsit haereticos divinitatem Spiritus Sancti negantes atque eandem amplificato symbolo Nicaeno his verbis sollemniter professum est: „Et in Spiritum Sanctum, Dominum vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur.“ Insuper Patres in eodem concilio praesentes in epistola synodica ad Damasum papam eandem fidem exprimunt, Spiritum Sanctum Patri Filioque consubstantialem, coaeternum et increatum pronuntiantes.

Denique commemoratione digna est *epistola quoque sy-* 38.
nodica Damasi Papae, quae anno insequente ad Paulinum Antiochenum data est (apud Theodoretum, hist. eccl. l. 5. c. 11.). Ea inter alia haec continet: „Et quia post concilium Nicaenum hic error inolevit, ut quidam ore sacrilego auderent dicere, Spiritum Sanctum factum esse per Filium, anathematizamus eos, qui non tota libertate proclamant, eum cum Patre et Filio unius potestatis esse atque substantiae. Anathematizamus Arium et Eunomium, qui pari impietate, licet sermone dissimili, Filium et Spiritum Sanctum asserunt esse creaturas. Anathematizamus Macedonianos, qui de Arii stirpe venientes, non perfidiam mutavere, sed nomen . . . Si quis non dixerit, semper Patrem, semper Filium, semper Spiritum Sanctum fuisse et esse, anathema sit. Si quis non dixerit, Spiritum Sanctum de Patre esse vere ac proprie, sicut Filius de divina substantia et Deum verum, anathema sit. Si quis non dixerit, omnia posse Spiritum Sanctum, omnia nosse et ubique esse, sicut Filium et Patrem, ana-

thema sit. Si quis dixerit, Spiritum Sanctum facturam esse, aut per Filium factum, anathema sit. Si quis non dixerit, omnia per Filium, qui incarnatus est, et Spiritum Sanctum Patrem fecisse, anathema sit. Si quis non dixerit, Patris et Filii et Spiritus Sancti unam divinitatem, potestatem, maiestatem, potentiam, unam gloriam, dominationem, unum regnum, atque unam voluntatem atque veritatem, anathema sit."

39. 3) *Ex professione Patrum post concilium Nicaenum florentium.* — Ex declarationibus relatis conciliorum iam perspicitur, cuiusmodi hac in re Patrum eiusdem aetatis doctrina necessario fuerit. Nihilominus, ut integer traditionis conspectus exhibeatur, documenta quaedam universalis eiusdem fidei speciatim adducenda sunt.

a) Et primo quidem *testimonia quaedam expressa* proferuntur, quibus SS. Patres Spiritum Sanctum verum Deum esse affirmant. Itaque *Hilarius* comment. in Matth. 28, 19. sub formula verborum ibidem relatorum Apostolos baptizare ideo iuberi declarat, „ut quorum una est divinitas, sit una largitio nomenque Trinitatis unus est Deus". — *Gregorius Naz.*: „Hoc enim Patri et Filio et Spiritui Sancto commune est, quod minime creati sunt atque ipsa divinitas" (orat. 32.). *Epiphanius:* „Item Spiritus Sanctus a Patre et Filio et eiusdem divinitatis, a Patre procedens et a Filio accipiens" (Haer. 62.). *Cyrillus Alex.*: „Quaenam ergo est gratia ista? omnino est diffusio illa Spiritus Sancti in cordibus nostris. Hic vero Spiritus Deus est, ne per creaturam nobis sanctificatio tribuatur" (Thes. l. 34.). *Augustinus:* „In Trinitate ergo, quae Deus est, et Pater Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus Sanctus Deus, et simul hi tres unus Deus; nec huius Trinitatis tertia pars est unus, nec maior pars duo, quam unus est ibi; nec maius aliquid sunt omnes, quam singuli, quia spiritualis haec non corporalis est multitudo" (Cont. Maxim. l. 1. c. 4.). Denique *Leo M.:* „Non alia sunt Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti, sed omnia, quaecunque habet Pater, habet Filius, habet et Spiritus Sanctus, nec unquam in illa Trinitate defuit ista communio" (De Pentec. serm. 1.).

b) Verum SS. Patres divinitatem Spiritus Sancti non 40.
tantum asseruerunt, sed etiam *variis argumentis demonstrarunt,* quae praetermittenda non sunt, cum tum ad confirmanda argumenta scripturae superius producta tum ad intelligentiam mysterii iuvandam valeant:

Itaque *primo* divinitatem Spiritus Sancti ex eo probant, quod *a Patre eundem procedere* divinae litterae doceant. Etenim quomodo a Patre non quidem creari, verum ita procedere posset, ut sit eiusdem Spiritus, nisi a Patre quidem distinctus, eiusdem tamen cum ipso naturae esset? Quo argumento utuntur Ambrosius (De Spiritu S. l. 1. c. 7.); Cyrillus A. (De Spiritu Sancto); Didymus Alex. (De Spiritu Sancto l. 2.); Theodoretus (Haeret. fab. l. 5. cap. de Sp. S.). Pro omnibus audiatur *Paschasius*: „Quia ergo Spiritus Sanctus a Patre procedit, tria in eo privilegia deitatis ostendit, id est, ut in persona sua subsistere, et sine ullo temporis spatio permanere et omnino ex substantia Patris probetur existere" (De Spiritu Sancto l. 1. c. 12.).

Deinde SS. Patres argumentum ducunt *ex formula bap-* 41.
tismi, utpote in qua Spiritus Sanctus ita cum Patre et Filio connumeratur, ut sine eius mentione et efficientia baptismus non valeat. Quare consortium Spiritus Sancti cum Patre et Filio ad efficiendam gratiam et regenerationem exhibetur; et cum insuper baptismus sit sacramentum fidei, eiusque formula fundamentum et initium christianae professionis, item consortium dignitatis significamus, cum fidem profitemur in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Eiusmodi autem consortium in efficientia et dignitate non convenit nisi personae, quae sicut Pater et Filius verus Deus est. Apposite *Theodoretus:* „Si creatam naturam haberet Filius aut sanctissimus Spiritus, non utique cum creatore Deo numeraretur. Accusant enim illos divinae litterae, qui servierunt creaturae praeter creatorem. Propterea et unigenitus Dei Filius homo factus est, ut ab hoc errore liberaret homines, ac Dei et creaturae discrimen doceret. Porro cum adorationem creaturae sustulerit, non utique creatam naturam rursus adorare iussisset. Absurdissimum est enim, homines ab iis, qui vere dii non

sunt, avocare, eosdemque rursus ad eorum, quae facta sunt, servitutem compellere" (l. c.). Et *Basilius:* „Si a divinitate alienus est Spiritus Sanctus, quomodo Spiritus annumeraretur? et si post aliquanta tempora ad Patrem et Filium accessit, quomodo cum aeterna natura copulatur?" (Hom. 27.). — Et *confirmant argumentum* inde, quod in uno nomine Spiritus Sanctus annumeretur Patri et Filio. Ita v. g. *Ambrosius:* „In nomine dixit, non in nominibus. Non ergo aliud nomen Patris, aliud nomen Filii, aliud nomen Spiritus Sancti, quia unus Deus: non plura nomina, quia non duo dii, non tres dii" (De Spiritu Sancto l. 1. c. 14.). Atque *Faustinus*: „Et bene, quod unum nomen posuit dicens: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut una principalis auctoritas crederetur indivisibilis et perfectae Trinitatis." — Denique *confirmant argumentum atque imprimis urgent* per contemplationem operis, ad quod efficiendum necessarium exhibetur consortium Spiritus Sancti cum Patre et Filio; ut v. g. *Athanasius:* „Qui de Trinitate aliquid eximit, et in solo Patris nomine baptizatur aut in solo nomine Filii aut sine Spiritu in Patre ac Filio, nihil accipit, sed inanis ac sine initiatione manet tam ipse, quam qui tribuere videtur. Nam in Trinitate initiatio perfecta consistit. Ita, qui Filium a Patre dividit aut Spiritum ad creaturarum conditionem detrahit, neque Filium habet neque Patrem, sed atheus est et infideli deterior et quidvis potius, quam christianus" (Ep. ad Serap.). Praeclare etiam *Basilius*: „Salutis nostrae caput et perfecta de Deitate traditio ad baptizatorum sanctificationem in eo consistit, ut baptizetur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quod autem iisdem in divinis operibus sancta Trinitas glorificatur, unius divinitatis est testimonium, quoniam nec sine Filio agit Pater nec sine Spiritu Filius" (C. Eunom. l. 5. c. 10.). Denique *Gregorius Naz.:* „Si non esset Deus Spiritus Sanctus, sicut blasphemat haereticus, nunquam in baptismo, ubi salus generis humani agitur, Patri et Filio copularetur" (Carm. 3.). — Tandem *tertium quoque momentum* supra dictum SS. Patres in forma baptismi urgent, scilicet quod fides, quam ea profitemur in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, eorundem

in pari dignitate consortium arguit. Audiatur v. g. *Athanasius:* „Ut unicus est baptismus, qui in Patre et Filio et Spiritu Sancto confertur, et una fides est in ipsum, ut ait Apostolus, sic sancta Trinitas in seipsa consistens et in se unita nihil habet in se factarum rerum. Haec est Trinitatis individuae unitas et in eam fides una“ (l. c.). Similiter iterum *Basilius:* „Neque Trinitas manet Trinitas detracto Spiritu, et si unum aliquid e creaturis adiungatur, universa creatura simul introducetur, et Patri Filioque annumerabitur. Nam quid dici prohibet, credimus in Patrem et Filium et in omnem creaturam? Si enim in creaturae particulam credere religiosum est, multo religiosius est, creaturam universam in fidei professionem includere“ (Hom. 27.).

Opponebant quidem contra eiusmodi argumenta Pneu- **42.**
matomachi, interdum in scriptura Deo creaturas adiungi, ut 1. Tim. 5, 21.; Exod. 14, 31. Sed merito responderunt Patres, in eiusmodi locis perspicuum esse creaturae a creatore discrimen, imo vero ultimo loco apposito servi id aperte declarari. Quod vero 1. Cor. 10, 2. in Moysen baptizati Israelitae dicuntur, id Basilius recte enarrat: in legem et professionem Moyses; qua ratione etiam Act. 15, 21. necessario intelligitur. Quibus addi potest relate ad 1. Tim. 5, 21., aliud esse divinis personis creaturam adiungi in testificatione, aliud in dignitate et sanctificatione. Etenim servus quidem de servo testari, non vero servus servum libertate donare potest; neque servus cum Domino paris dignitatis est. Spiritus Sanctus autem cum Patre et Filio in ea operatione sociatur, qua a peccati servitute solvimur atque a morte ad vitam reducimur; atque insuper in pari dignitate cum Patre et Filio sociatur. Similiter etiam creaturae quidem et creaturam credimus, sed *in* solum Deum credimus; quia credere *in* Deum significat in Deum credendo tendere tamquam in eum, cui ut primo principio et fini ultimo penitus subiecti sumus (cf. S. th. p1. 2. q. 2. a. 2.).

Tertium argumentum inde ducunt SS. Patres, quod Spi- **43.**
ritus Sanctus *profunda Dei scrutetur.* Ita v. g. *Fulgentius:* „Istam quippe plenitudinem cognitionis, sola possidet unitas

naturalis, per quam sic est in Deo Spiritus eius, ut unus sit cum illo naturaliter Deus" (Resp. ad inquisit. Ferrandi). Et *Paschasius:* „Si enim hominis occulta cognoscere divinitatis est proprium, quanto magis scutari profunda Dei summi in persona Spiritus Sancti, maiestatis insigne est" (De Spiritu Sancto l. 2. c. 1.). Et *Cyrillus A.*: „Si omnia sunt ex Deo, sicut Spiritus, et nihil hic antecellit illis, quae facta sunt: cur non quaevis natura creata, siquidem omnes ex Deo esse dicuntur, ea quae Dei sunt, novit profundaque Dei scrutatur? Cur non per omnes sed per solum Spiritum revelat Deus? Cum igitur ceteris, quae facta sunt, per Spiritum fiat revelatio, Spiritus autem ipse profunda Dei scrutetur, utpote ex eo et in eo naturaliter existens, sicut humanum in homine; manifestum profecto est, Spiritum esse Deum, qui proprie et naturaliter a Deo oritur, dum reliqua, quae effecta sunt, improprie ex eo, nempe tamquam a factore et opifice esse dicuntur" (Thes. l. 33.).

44. *Quarto* Spiritus Sancti divinitatem ex eo quoque colligunt, quod *sanctitas eidem ut essentiale attributum adscribitur* atque ipse non ut sanctificatus, sed *ut omnis sanctificationis auctor exhibetur.* Certe idem *Cyrillus A.* ex eo, quod omnia per Spiritum sanctificantur, non semel demonstrat, eundem „per se et substantia sua sanctum esse, non adventitia qualitate perfusum" (cf. thes. ass. 34.). Et alibi significanter ita disserit: „Sanctus est ergo Spiritus ipsius non participatione neque externa ad Filium habitudine, sed natura et veritate. Nam ut stupidum et insulsum est, hominem appellari revera quidem hominem, tamen aliud quiddam ab eo intelligi, ita stultum admodum est, Spiritum quidem sanctum nominare Spiritum, et tamen ipsum excludere ab eo, ut natura sit sanctus, et absurde aliam in naturam extrudere. Non enim gloriae aut excellentiae modum aliquem nomen istud illi significabit, quemadmodum haec, principatus et thronus ac dominatio, quae iis tribuuntur, quae ab illo sunt condita. Sed substantialem potius qualitatem exprimet, veluti nomen illud Pater Patri, et Filius Filio. Ac si extremae stultitiae certum illud est argumentum, nomi-

nare quidem Patrem Deum, sed ipsum Patrem esse non intelligere, aut Filium quidem Filium, istud autem non esse dicere, quomodo ignorantiae culpa liberabimus eos, qui naturali sanctitate spoliare audent natura et vere Sanctum Spiritum?" (Dial. 7. de Trinitate). Et iterum alibi: „Quomodo factus est Spiritus, si per illum Dei participes efficimur? Non enim per creaturam erit in nobis participatio Dei. Sed dicant, si factus unus sanctorum angelorum esset in nobis, num participes essemus divinae naturae? Sed hoc non est verum. Unde Deus in nobis per Deum Spiritum" (In epitome dial. de Spiritu Sancto). Quibus gemina sunt haec *S. Athanasii:* „Si ex praesentia Spiritus, qui nobiscum est, efficimur consortes divinae naturae, insanierit profecto, si quis hoc dicat fieri per spiritum creatum et non per Spiritum Dei. Ob enim eam causam in hominibus est, et ii, in quibus est, dii efficiuntur. Quod si ille deos faciat, ambiguum esse non potest, quin huius natura sit Dei natura" (Ad Serap.).

Quinto denique, aliis sepositis, Spiritum Sanctum esse 45.
Deum inde probant, *quod nos templum eius simus*. Pro omnibus audiatur *Augustinus:* „Si religionem, qua colitur Deus, sicut dignum est, cogitares, multo plus esse cerneres, quod habet Spiritus Sanctus templum, quam si eum legeres adoratum. Et homines enim, sicut supra docui, a sanctis novimus adoratos. Templum vero non est factum ab hominibus, nisi aut vero Deo, sicut Salomon fecit, aut iis, qui pro diis habentur, sicut gentes, quae ignorant Deum. Spiritus autem Sanctus, quod cum magno honore de Deo dictum est, non in manufactis templis habitat, sed corpus nostrum templum est Spiritus Sancti. Et ne corpora nostra contemnas, membra sunt Christi. Qualis ergo est Deus, cui templum aedificatur, et a Deo, et de membris Dei" (Cont. Maxim. l. 3. c. 3.). Et prius in eodem opere haec iam scripserat: „Nonne si templum alicui sancto angelo excellentissimo de lignis et lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Christi et ab ecclesia Dei, quoniam creaturae exhiberemus eam servitutem, quae uni tantum debetur Deo? Si ergo sacrilegi esse

nolumus faciendo templum cuicunque creaturae, quomodo non est Deus verus, cui non templum facimus, sed nos ipsi templum sumus?" (Ib. l. 1. c. 11.). Ad haec Augustini verba Erasmus inepte quidem hanc notam adiecit, nunc quibuslibet divis templa fieri. Sed neque nunc sanctis per se et praecipue templa consecrantur neque unquam consecrata sunt, sed semper uni Deo dedicantur, quamvis iisdem etiam sanctorum memoria recolatur et gloria celebretur.

Scholion.

46. ***Obiectiones quaedam repelluntur.*** — Adversarii divinitatis Spiritus Sancti multas contra eam obiectiones imprimis ex scriptura congesserunt; verum omnes levioris subsellii sunt; quare aliquas tantum speciminis causa referre satis erit.

1) Apostolus de Spiritu Sancto scribit: Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (Rom. 8, 26.); *iamvero Deum orare non convenit nisi creatae naturae; ergo Spiritus Sanctus Deus non est.* — *R.* cum *S. Augustino:* „Dictum est: interpellat, quia interpellare nos facit nobisque interpellandi et gemendi inspirat affectum, sicut illud in evangelio: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* . . . De hoc quoque Spiritus apertius alibi dicit: . . . *Accipietis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba* (*Pater*). Ecce hic non dixit, quod ipse Spiritus clamet orando, sed quo clamamus . . . Alio tamen loco ait: *Quoniam Filii Dei estis, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem Abba* (*Pater*)." (Ep. 194. n. 16.)

47. *2) In sacra scriptura Spiritus Sanctus hominibus donari, in eos infundi, ab eis participari dicitur; atqui haec de persona divina dici posse non videntur; ergo.* — *R.* Nihil repugnat, quominus Spiritus Sanctus hominibus proprie donari dicatur; qua vero ratione haec donatio fiat, inferius explicatur; sed Dei maiestati hoc non repugnare iam nunc intelligitur, utpote qui Abrahae et omni iusto dixit: *Ego.. sum... merces tua* (Gen. 15, 1.). — *Deinde* effundi Spiritus Sanctus

dicitur per metaphoram, quatenus dona eius nobis infunduntur; hac ipsa vero metaphora Spiritus Sancti divinitas significatur, quatenus id, quod similitudine exprimitur soli Deo convenit: scilicet liquor effusus in ipsam rerum substantiam penetrare solet. Apposite *Paschasius Diaconus*: „Solus autem Deus in facturam vel angelicam vel humanam virtute incorporeae divinitatis illabitur . . . Anima animae aut angelus angelo coniungi (affectu et effectu) potest, infundi non potest“ (De Spiritu Sancto l. 2. c. 2.). Atque *Didymus*: „Ipsum effusionis nomen increatam Spiritus Sancti substantiam probat. Neque enim Deus, cum Angelum mittit aut etiam creaturam: Effundam dicit de angelo meo“ (De Spiritu Sancto, l. 2. cf. *S. Ambrosius*, de Spiritu Sancto l. 1. c. 7.). — *Denique* simili ratione Spiritus Sanctus participari dicitur; scilicet vel participatio ad effectus Spiritus Sancti refertur, vel etiam de ipsa persona dici potest. cum in scriptura fideles etiam dicantur *participes Christi effecti*, quin tamen inde inferri queat, Christum personam divinam non esse.

3) *Apostolus 1. Tim. 5, 21. haec habet: Testor coram Deo* **48.**
et Christo Iesu et electis angelis, ut haec custodias. Ex his verbis consequi videtur, Spiritum Sanctum unum esse ex angelorum numero, siquidem Apostolus eundem post Christum non commemorat nominatim, sed ad angelos statim transit. — *R.* Iam *Athanasius* ad Serap. hanc obiectionem multis scripturae locis refutat, ex quibus constat, quandoque etiam Deum Patrem et Spiritum Sanctum nominari praeterito Filio, ut Is. 45. et Agg. 2., quandoque autem Deum et hominem aliquem praeterito Filio et Spiritu Sancto ut Exod. 14. et Luc. 18.; neque tamen inde consequitur, aut Filium non esse etiam Deum aut omnino nihil esse praeter Deum et hominem. Neque igitur Apostolus Spiritum Sanctum ad angelorum ordinem pertinere illico significat, si alicubi praeter angelos mentionem eius non facit, et ineptum est, ut Athanasius notat, necessitatem velle Apostolo imponere, quare non sic et cur non potius ita vel ita scripserit. *Praeterea* forte dici potest, vocabulo *Deus* tres personas significari, nomine vero *Christus Iesus* Redemptorem secundum humanam naturam spectatum.

49. 4) *Zach. 4, 5. dicitur: Et respondit angelus, qui loquebatur in me et dixit ad me etc.; sed Spiritus Sanctus erat ille, qui in Propheta loquebatur; Spiritus Sanctus igitur angelus est.* — *R.* iam *Athanasius* in ep. ad Serap., hunc angelum, qui in Zacharia secundum visionem quandam loquebatur, creatum angelum et ministrum quendam Spiritus Sancti fuisse, non ipsum Spiritum Sanctum. Quod manifeste patet ex ipso sermone, quem habet ibi ad Zachariam Prophetam hic idem angelus; inter alia enim dicit: *Hoc est verbum Domini ad Zorobabel: non in exercitu, nec in robore, sed in Spiritu meo dicit Dominus exercituum.* Ex quibus verbis patet, hunc angelum de Deo et de Spiritu Sancto eius tamquam utriusque ministrum ad Zachariam esse locutum.

50. 5) *Scriptura de variis effectibus agens sive naturalibus sive supernaturalibus diversimode eosdem procedere significat ex Patre et Filio et Spiritu Sancto; scilicet de Patre utitur praepositione ex, de Filio per, de Spiritu Sancto in: iamvero eiusmodi diversitas operationis diversitatem naturae significat; ergo cum Pater sit Deus, Filius et Spiritus Sanctus Deus non sunt.* — *R.* Multis et obviis exemplis constat, a scriptura has particulas promiscue de tribus personis adhiberi; quod iam SS. Patres inculcarunt. Apposite *S. Ambrosius:* „Nos ostendimus, ita ex Deo Patre esse omnia, ut non amiserit Deus Pater, quod vel per ipsum et in ipso omnia sint . . .; ita quoque per Dominum Filium esse omnia, ut non privatus sit eo, quod ex Filio sint omnia et in ipso sint omnia; et ita omnia esse in Spiritu, ut doceamur, omnia esse per Spiritum et omnia esse de (ex) Spiritu“ (De Spiritu Sancto l. 2. c. 9.). Verba autem Apostoli: *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia,* si quidem non de solo Filio, sed de Deo trino intelligenda sint, quod alii ponunt alii negant, ita merito exponit *S. Thomas*: „Omnia sunt *ex ipso,* scilicet Deo, sicut ex prima operatrice potentia; omnia sunt *per ipsum,* in quantum omnia facit per suam sapientiam, omnia sunt *in ipso,* sicut in bonitate conservante. Haec autem tria, sc. potentia, sapientia et bonitas, communia sunt tribus personis: unde hoc, quod dicitur: *ex ipso et per ipsum*

et in ipso potest attribui cuilibet trium personarum; sed tamen potentia, quae habet rationem principii, appropriatur Patri, qui est principium totius divinitatis, sapientia Filio. qui procedit ut Verbum, quod nihil aliud est, quam sapientia genita; bonitas appropriatur Spiritui Sancto, qui procedit ut amor, cuius obiectum est bonitas. Et ideo appropriando dicere possumus: ex ipso scilicet ex Patre. per ipsum scilicet per Filium, in ipso scilicet in Spiritu Sancto omnia sunt" (Ep. ad Rom. c. 11. lect. 5.).

6) *De Spiritu Sancto in scriptura dicitur: Non loquetur* 51
a semetipso, sed quaecunque audiet, loquetur; et iterum: De meo accipiet et annuntiabit vobis (Ioan. 16. 13. 14.). *Insuper diversis locis mitti dicitur. Iamvero Deus ex propria scientia loquitur et propria auctoritate docet neque mitti dici potest. Ergo Spiritus Sanctus Deus non est.* — *R. primo* cum *S. Thoma:* „Spiritus Sanctus est Deus de Deo procedens; unde oportet, quod essentiam suam ab alio habeat, sicut et de Filio Dei dictum est supra; et sic cum in Deo et scientia et virtus et operatio Dei sit eius essentia, omnis Filii et Spiritus Sancti scientia et virtus et operatio est ab alio, sed Filii a Patre tantum, Spiritus autem Sancti a Patre et Filio. Quia igitur una de operationibus Spiritus Sancti est, quod loquatur in sanctis viris; propter hoc dicitur, quod non loquitur a semetipso, quia a se non operatur. Ipsius autem audire est accipere scientiam sicut et essentiam a Patre et Filio" (C. g. l. 4. c. 23.). — *Deinde* vero persona divina mitti dicitur, quando vel novo modo in mundo externo apparet, quemadmodum Spiritus Sanctus in specie corporali columbae in Christum descendit necnon sub specie linguarum ignitarum super Apostolos, vel novo modo in homine esse sive secundum novum effectum supernaturalem in eo habitare incipit, quemadmodum in omnibus qui iustificationem accipiunt vel in ea crescunt, fide docente contigit. Cum autem operatio illa, qua novo modo Spiritus Sanctus se manifestat vel in homine inhabitat, sicut ipsa essentia divina ei a Patre et Filio est, ideo ab iisdem mitti dicitur. — Quae cum ita sint adductis scripturae effatis et similibus demonstratur qui-

dem Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere, nequaquam autem eundem Patri et Filio minorem esse evincitur.

52. 7) *Contra demonstrationem superius inde institutam, quod Spiritus Sanctus in scriptura Deus vocatur, hunc in modum opponitur: Etiam Moyses, iudices aliique homines in scriptura nomine Dei insigniuntur, cum tamen creaturae sint; ergo ex illa denominatione Spiritus Sancti in scriptura occurrente eiusdem divinitas non probatur.* — *R.* Haec obiectio soluta esse intelligitur per ea, quae circa eandem animadversa sunt in tractatu de Verbo incarnato 1. p. th. 2. n. 25. ss., ubi de divinitate Christi agitur.

Thesis 8. Spiritum Sanctum non a Patre solum, sed a Filio quoque procedere, manifesta scripturarum doctrina est.

Declaratio.

1. ***1. Argumentum huius ac sequentis thesis.*** — In sequentibus thesibus iam ipsa Spiritus Sancti processio demonstranda atque explicanda est. Porro Spiritum Sanctum a Deo Patre procedere communis christianorum professio est, utpote quae fidei veritas nimis clare et diserte in Scriptura proponitur (Ioan. 15, 26.); verum eundem a Filio quoque procedere, graeci schismatici inde a Photii praesertim aetate pertinaciter infitiati sunt atque hodiedum infitiantur. Quare haec quaestio speciali cura tractanda est, praesertim, quia inde a Leone XIII. eoque auctore magis iterum invaluerunt conatus ad inveteratum schisma orientale magnam partem illa dissensione circa Spiritus Sancti processionem ortum et nutritum tandem aliquando abolendum. Quae cum ita sint, in praesenti thesi ex scriptura demonstratur, Spiritum Sanctum non a Patre solum, sed a Filio quoque procedere; in sequenti vero idem dogma ex Traditione tum occidentali tum orientali vindicatur.

2. ***2. Notitia historica de controversia inter Latinos atque Graecos circa processionem Spiritus Sancti ex multis saeculis agitata.*** — Ad statum

quaestionis in luce ponendum demonstrationi praemittere iuvat quaedam ad historiam dogmatis spectantia, sive de celebri illa inter Latinos et Graecos agitata controversia, utrum Spiritus Sanctus a solo Patre an etiam a Filio originem habeat: Iam quisnam primus hanc controversiam excitaverit vel erroris Graecorum auctor exstiterit, certo non constat. Plures quidem Nestorianos accusant atque nominatim Theodoretum erroris graeci auctorem exhibent, utpote qui nonum Cyrilli Alexandrini anathematismum impugnans declaret, Spiritum Sanctum quidem esse proprium Filii Spiritum, si non aliud eiusmodi dicto significetur, quam quod sit eiusdem naturae ac Filius et pariter a Patre procedat; si vero ita intelligatur quasi „ex Filio aut per Filium τὴν ὕπαρξιν habeat, id esse blasphemum et impium.“ Verum alii ex verbis Theodoreti ipsius et insuper inde, quod Cyrillus in sua responsione istam sententiam dissimulat, potius concludunt, Theodoretum a Cyrillo insimulatum fuisse erroris Macedonianorum Spiritum Sanctum a Filio creatum esse contendentium, atque hunc tantum errorem illis verbis a se tamquam impium et blasphemum repulsum esse interpretantur. Quae explicatio solida probabilitate carere non videtur.

Primi igitur errorem Graecorum clare proposuisse videntur, 3.
Monotheletae, qui de S. Martino P. (649—654) ob suam ab eo damnatam haeresin conquerentes simul Romanae ecclesiae tamquam errorem exprobrarunt, quod Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere doceret. Deinde saeculo octavo idem iterum error prorupit Iconoclastarum grassante haeresi. Referente enim Adone in Chronico ad annum 767. ventilata est inter Graecos et Romanos quaestio, utrum Spiritus Sanctus, sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio quoque; atque initio saeculi 9. etiam *Ioannes quidam monachus Hierosolymitanus* processionem Spiritus Sancti a Filio negavit. Quare ea aetate plures synodi in Gallia, Germania, Italia habitae hanc fidei quaestionem tractaverunt, ex quibus v. g. Ado ad annum 809. synodum Aquisgranensem recenset.

Quibus conatibus ad controversiam sopiendam atque er- 4.
rorem Graecorum exstirpandum susceptis felix forte successus

contigisset, nisi saeculo 9. eundem errorem *Photius* suscitasset totam orientis ecclesiam secum in haeresin et schisma abripiens. Nimirum cum eo tempore iniustis molitionibus Ignatius e sede Constantinopolitana deiectus eique Photius suffectus esset, Nicolaus Pontifex anno 861. iniustum hunc usurpatorem primo damnavit. Quamobrem idem Photius odio exinde in Romanam ecclesiam furens varias contra eam calumnias excogitavit et sparsit, eique multa haeresum capita obiecit, nominatim vero illud exprobravit, quod Latini Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere docerent. Itaque Photius primus apertum bellum contra dogma catholicum paravit atque gessit. Deinceps vero Graeci in hanc ipsius haeresin conspirarunt atque eandem ad tesserae instar habuerunt, qua a Latinis dissiderent. Quare exinde ab hac Photii defectione certaminum partim obscurorum partim illustrium nullus fuit exitus. Ex quibus publice quaedam acta breviter referenda sunt.

5 Inter alia eminet *synodus Barensis* sub Urbano II. Pontifice saeculo 11. ad finem vergente habita, cui interfuit magnus ecclesiae doctor Anselmus Cantuariensis. Qui doctrina atque ingenio excellens Graecorum impetum et audaciam retudit ac fregit, et postea disputationis summam in librum „de processione Spiritus Sancti contra Graecos" redegit. Deinde vero sub *Innocentio III.* Graeci haeresi abiecta ad unionem et pacem cum ecclesia Romana reversi sunt; verum annis vix triginta elapsis ad schisma et haeresin redierunt et antiquam contentionem instaurarunt. Novum unionis et pacis restaurandae tentamen factum est saeculo 13., quando pacis studio motus *Michaël Palaeologus* legatos Romam misit. Tum scilicet Gregorius X. *concilium Lugdunense* indixit, atque legati illuc accedentes tum Michaelis imperatoris tum graecorum episcoporum nomine Pontifici fidem et obsequium praestiterunt necnon processionem Spiritus Sancti a Patre Filioque, quam imperator etiam in sua epistola accurate complexus erat, aperte professi sunt. Neque vero haec pax, cum metu potius expressa, quam sponte quaesita esset, sive solida sive saltem diuturna fuit, cum Orientales imperatore e vivis vix

sublato ad dissensionem relaberentur. Denique saeculo 15. Eugenio IV. Romano Pontifice in concilio Florentino Graeci iterum unionem cum ecclesia Romana inierunt. In hoc scilicet concilio post multas altercationes, in quibus Marcus Ephesinus Graecorum antesignanum egit, tandem pax inita et fidei professio in processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio edita est. Sed neque haec pax firma perstitit; etenim eodem Marco Ephesino aliisque seditiosis contra eam obnitentibus et machinantibus Graeci ad pristinum errorem redierunt, in quo etiamnum persistunt; at urbs eorum mox post tertiam illam defectionem ab immani Turcarum exercitu capta atque imperium subversum neque unquam solide restauratum est.

Demonstratio.

1. Probatur scripturae effatis, quibus Spiritus Sanctus de Filio audire atque accipere exhibetur. — Huc spectant haec ipsius Christi verba: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me* (Ioan. 15, 26.); et quae paulo post adduntur: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quaecunque audiet, loquetur, et quae ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt: propterea dixi: quia de meo accipiet et annuntiabit vobis* (Ioan. 16, 13—15.). Iam ex his Christi verbis triplex argumentum exstat vel triplici gressu demonstratio instituitur: 6.

1) Verbis adductis obvie consideratis Spiritus Sanctus 7.
exhibetur tamquam Spiritus veritatis, qui omnem veritatem docet, cum scilicet ea loquatur atque annuntiet, quae audit et accipit. Atqui persona divina altera ab altera nec audire sive discere nec accipere quidquam potest nisi ab ea procedendo; scientia enim, quam communicatam accipit, nequaquam esse potest qualitas mentis vel accidens, sed necessario

ipsa intellectio subsistens adeoque ipsa substantia divina est. Iamvero a quo Spiritus Sanctus accipit et audit? Sine dubio a Deo Patre, cum sit *Spiritus Patris, qui a Patre procedit* (L. c.). Verum manifesto etiam a Filio audit et accipit: etenim Christus declarat: *De meo accipiet et annuntiabit vobis.* Ergo Spiritus Sanctus a Patre et Filio communicatam accipit scientiam divinam ideoque naturam divinam, quam Filius pariter a Patre accepit et propterea etiam communicare potest: *Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.* Ergo Spiritus Sanctus non solum a Patre. sed a Filio quoque procedit.

8. *Ad rem illustrandam et confirmandam spectant,* quae *Augustinus* disputat in verba Christi Ioan. 8. 28.: *A me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, haec loquor*: „Quando docuit Pater Filium, verba fecit, quomodo tu, quando doces filium tuum, verba facis? Quomodo facit verba Verbo? Quae verba multa fierent unico Verbo? Verbum enim Patris aures habuit ad os Patris? Carnalia sunt ista, pereant de cordibus vestris . . . Sic ergo fratres, sic cogitate, quantum potestis, ut dixi, si licet parva magnis modo aliquo comparare, sic cogitate. Incorporaliter Pater locutus est Filio, quia incorporaliter Pater genuit Filium. Non eum sic docuit, quasi indoctum genuerit; sed hoc est eum docuisse, quod est scientem genuisse; et hoc est: *docuit me Pater,* quod est scientem me genuit Pater. Si enim, quod pauci intelligunt, simplex est natura veritatis, hoc est Filio esse, quod nosse. Ab illo ergo habet, ut noverit, a quo habet, ut sit, non ut prius ab illo esset, et ab illo postea nosset, sed quemadmodum illi gignendo dedit, ut esset, sic gignendo dedit, ut nosset, quia simplici, ut dictum est, naturae veritatis esse et nosse non est aliud atque aliud, sed hoc ipsum“ (In Ioan. tract. 40.).

9. Et alio loco in eodem opere de ipsa Spiritus Sancti processione agens *principium argumentationis institutae* sic declarat: „Sicut habet Pater vitam in semetipso nec aliud est ipse, quam vita. quae in ipso est, et dedit Filio habere vitam in semetipso, hoc est genuit Filium, qui et ipse vita esset;

sic itaque debemus accipere, quod de Spiritu Sancto dictum est: *Non enim loquetur a semetipso, sed quaecunque audiet loquetur,* ut intelligamus, eum non esse a semetipso, Pater quippe solus de alio non est. Nam et Filius de Patre natus est, et Spiritus Sanctus de Patre procedit; Pater autem non natus est de alio, nec procedit. Nec ideo sane aliqua disparitas in summa illa Trinitate cogitationi occurrat humanae. Nam et Filius ei, de quo natus est, et Spiritus Sanctus ei, de quo procedit, aequalis est . . . *Non ergo loquetur a semetipso,* quia non est a semetipso, sed *quaecunque audiet loquetur;* ab illo audiet, a quo procedit. Audire illi scire est, scire vero esse, sicut superius disputatum est. Quia ergo non est a semetipso, sed ab illo, a quo procedit, a quo illi est essentia, ab illo scientia: ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud quam scientia" (Ib. tract. 99.).

Exceptionem vero sibimet ipsi facit Augustinus, quod **10.**
scriptum sit, non: quaecunque audivit, aut: quaecunque audit, sed: *quaecunque audiet, loquetur.* Sed eam S. Doctor facile solvit hoc modo: „Illa audientia sempiterna est, quia sempiterna scientia. In eo autem, quod sempiternum est, sine initio et sine fine, cuiuslibet temporis verbum ponatur sive praeteriti, sive praesentis sive futuri, non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa immutabilis et ineffabilis non recipiat *fuit* et *erit,* sed tantum *est;* ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest, et ideo illi tantum convenerat docere: *Ego sum, qui sum;* et: *dices Filiis Israël: qui est, misit me ad vos;* tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas et nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus: et fuit et erit et est. Fuit in praeteritis saeculis, est in praesentibus, erit in futuris. Fuit, quia nunquam defuit, erit, quia nunquam deerit, est, quia semper est. Neque enim velut, qui iam non sit, cum praeteritis occidit, aut cum praesentibus, velut qui non maneat, labitur, aut cum futuris, velut qui non fuerat, orietur. Proinde, cum secundum volumina temporum locutio humana variatur, qui per nulla deesse potuit aut potest aut poterit tempora, vera de illo dicuntur cuiuslibet temporis verba. Semper itaque audit

Spiritus Sanctus, quia semper scit; ergo et scivit et scit et sciet ac per hoc et audivit et audit et audiet, quia sicut iam diximus, hoc est illi audire quod scire, et scire illi hoc, quod esse. Ab illo igitur audivit, audit et audiet, a quo est; ab illo est, a quo procedit" (Ib.). Quae aliis verbis breviter dici possunt: Forma temporis futuri non est interna denominatio τοῦ audire, sed externam denominationem ingerit ab effectu ad extra in tempore futuro desumptam; atque ideo nihil proprie aliud dicit quam simultaneitatem futuram futurae locutionis cum aeterna processione.

11. 2) *Praecedens argumentum confirmatur*, si magis *in specie considerentur* verba Christi: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.* Haec enim verba in perfecto parallelismo sunt cum praecedentibus eorumque uberiorem explicationem continent; scilicet verbis: *Non loquetur a semetipso* respondent verba: *Ille me clarificabit*; verbis: *quaecunque audiet* altera verba: *de meo accipiet;* denique verbo: *loquetur* respondet verbum: *annuntiabit vobis.* Nimirum cum Spiritus antea generatim dictus sit habere suam scientiam ideoque naturam divinam non a semetipso sed ab alio, verbis, de quibus nunc agitur, iam determinatur, a quo eam habeat, scilicet a Filio. Id constat *primo* iam ex ipso scopo orationis; istis enim verbis Christus rationem assignat, cur et quomodo doctrina sua et Spiritus Sancti doctrina necessario una sit, quod praeclare iam notavit *Cyrillus A.:* „Ne quis suspicaretur, doctrinam Spiritus Sancti aliquando non fore secundum eius mentem, ostendit manifesto, quod cum ipsius (Filii) sit Spiritus, etiam verba ex ipso (Filio) administrabit . . . ac si mel de qualitate naturali quae sibi inest, dicat: nihil ex se ipsa gustantium sensui immittet, sed ex meo accipiet" (Thesaur. p. 1.). — *Praeterea* vero, ipse Christus etiam verbis disertis id declarat: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* — Apposite *Athanasius:* „Non Spiritus conjungit Verbum cum Patre; sed potius Spiritus a Verbo accipit... Ipse Filius dat Spiritui, uti dictum est et quaecunque habet Spiritus a Verbo habet" (orat. 3. c. Arian. n. 24.). Et *Apollinarius:* „A me Spiritus procedit; cum autem dico

a me, etiam a Patre significo, mea enim sunt ea quae Patris; ad hunc ergo modum intellige illud: de meo accipiet" (in h. l.). Necnon iterum *Cyrillus A.*: „Clarificat itaque Paraclitus Filium; hoc est proprius eius Spiritus, qui omnia potest et omnia novit. Quomodo autem clarificat? Quae enim novit et potest ipsius Spiritus, quomodo non ipse noverit aut non possit? Et si, ut ipse dicit, ex ipso Spiritus accipit, qui novit ac perficit omnia, quomodo non ad omnia potens ipse erit? Nulla autem ratione suspicandum est, insitae et nativae potentiae indigentem esse Paraclitum, id est Spiritum, quasi nisi prius acceperit non possit ipse sibi sufficere ad divina facinora efficienda et perficienda. Extremae quippe impietatis accusandus merito fuerit, qui eiusmodi de illo aliquid vel levissime sibi persuadeat. Verum, quia consubstantialis est Filio, et, ut Deo congruens est, ex ipso procedit, universam illius in omnibus eamque perfectissimam habens efficientiam, propterea *de meo*, inquit, *accipiet"* (In Ioan. 1, 4.). Atque alibi idem denuo: „Adiiciens, *quia de meo accipiet*, substantialem et naturalem proprietatem ostendit evidenter, secundum quam unus est cum ipso Spiritus eius. Non enim participative sapientem fore ab ipso Spiritum dicit, neque ministrorum modo Filii sermones allaturum, sed quasi si quis fragrantissimus flos suum diffunderet odorem, et circumstantium sensibus se infundens dicat: Ex meo accipiet, naturalem proprietatem significaret, et non aliquid quasi participans discretim. Sic intelligas de Filio et de Spiritu Sancto. Spiritus enim sapientiae et virtutis existens, omnino sapientia et virtus est, totam ex toto efficientiam emittentis in seipso conservans, et quasi in propria natura bene ostendens eam, cuius est scilicet" (Dial. 5. de Trinit.).

3) Denique *tertium argumentum vel luculenta confir-* 12.
matio prioris argumentationis depromitur ex verbis: *Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Haec scilicet Christi verba, quae aperte formam enthymematis prae se ferunt, sic in syllogismum resolvi possunt: Quaecunque habet Pater mea sunt excepto sane eo, quo in se constituitur atque a me distin-

guitur; atqui Pater habet spirationem activam, per quam procedit Spiritus Sanctus; ergo, cum per eandem vim spirativam mihi non opponatur neque ideo a me distinguatur sive in ratione Patris versus me constituatur, et ego spirationem activam habeo ideoque Spiritus Sanctus sicut ex Patre ita et ex me procedit. Apposite *Fulgentius*: „De Filio ergo accepit, et omnia quae habet Pater, Filii sunt, quae Spiritus Sanctus accepit, quia non de solo Patre, nec de solo Filio, sed simul de utroque procedit" (cont. Fabian. fragm. 27.).

13. Contra demonstrationem institutam *quaedam exceperunt Graeci schismatici*, et *primo* quidem dixerunt, illud Christi ἐκ τοῦ ἐμοῦ supplendum esse per genitivum πατρός, ita ut sensus sit: Non loquetur a semetipso, sed quaecunque audiet a Patre loquetur, quia de Patre accipiet. — At vero haec explicatio cum ipso textu pugnat. Etenim *primo* indoli graecae linguae repugnat, ut pronomen possessivum referatur ad nomen in praecedentibus non expressum; de Patre autem in praecedentibus sermo nullus est. *Praeterea* vis termini ἐκ τοῦ ἐμοῦ clare colligitur ex subsequenti versu: *omnia quaecunque habet Pater, mea sunt* (ἐμά ἐστι); propterea dixi: ἐκ τοῦ ἐμοῦ λαμβάνει. Scilicet idem significatur sane per τὸ ἐμόν et τὰ ἐμά et neuter horum terminorum ad Patrem refertur ideoque uterque id exprimit, quod Filio inest communicatum a Patre. *Denique* idem constat communi Patrum suffragio, utpote quorum nullus invenitur, qui innuerit ἐκ τοῦ ἐμοῦ per genitivum πατρός supplendum esse; verum omnes de natura et vi spirativa Filio a Patre communicata intelligunt. Ita v. g. *Athanasius*: „Spiritus ex Filio accipit; namque *de meo*, inquit, *accipiet*" (Ad Serap. ep. 1. n. 20.). Et *Cyrillus A.*: „Quoniam (Spiritus) consubstantialis est Filio et modo Deo congruente per ipsum procedit, omnem eius perfectissimam in omnibus operandi vim atque efficaciam habens, idcirco ait: *quia de meo accipiet* . . . extra reprehensionem ergo et calumniam omnino est, si ab Unigenito quidquam accipere dicitur Spiritus eius; nam cum per ipsum naturaliter procedat, utpote qui eius est proprius Spiritus, cum omnibus (divinis

attributis) quae perfecte habet, accipere dicitur, quae sunt eius“ (In h. l.).

Excipiunt secundo, Spiritum Sanctam verbis: *de meo* 14.
accipiet significari accipere de iis quidem, quae sunt Filii, non autem quatenus Filii sunt. — *R.* Etiam haec interpretatio *primo* prorsus arbitraria est, cum ex verbis scripturae non eliciatur, sed in ea inferatur; scilicet de internis personae Christi agitur ideoque, nisi vis inferatur verbis terminus *de meo accipere* significare non potest nisi: accipere de eo, quatenus meum est, ideoque a me accipere. *Praeterea* illa schismaticorum interpretatio cum contextu verborum aperte pugnat. Etenim verbis illis: *quia de meo accipiet et annuntiabit vobis* Christus rationem reddit et quidem immediatam, ob quam Spiritus Sanctus ipsum i. e. Filium clarificaturus sit; eiusmodi autem ratio immediata necessario sensum postulat: a me accipiet. *Deinde* iterum Christus rationem assignat, ob quam Spiritus Sanctus ab ipso accipiat, cum paulo ante dixisset, eum a Patre procedere. Ratio vero ea non est alia, quam: *quia omnia quaecunque habet Pater mea sunt;* ad haec vero, quae habet Pater, etiam pertinet, quod principium Spiritus Sancti est; ergo id quoque Filio cum Patre commune est, cum sub hoc respectu nulla oppositio inter Patrem et Filium inveniatur. Quare assignata a Christo ratio verborum: *quia de meo accipiet* aperte demonstrat, Spiritum Sanctum de iis accipere non solum, quae sunt Filii, sed etiam quatenus Filii sunt. *Denique* ita etiam SS. Patres eadem verba acceperunt, ut v. g. Fulgentius supra citatus, atque *Athanasius*: „Spiritus Sanctus, qui a Patre procedit, et accipit a Filio (vel ab iis, quae sunt Filii, vel ea quae sunt Filii) (Ad Serap. ep. 1. n. 20.). Similiter Cyrillus H. catech. 16. n. 24.; Didymus Al., de Spiritu Sancto n. 37.; Hilarius, de Trinit. l. 8. n. 20.; Ambrosius, in Luc. l. 8. n. 66.; et alii.

2. *Ex eo, quod Spiritus Sanctus Spiritus* 15.
Filii vocatur. — In ss. litteris passim Spiritus Sanctus, qua ratione appellatur Patris Spiritus, eadem etiam Spiritus Filii vocatur; quod cum multis scripturae effatis constet, non-

nulla solum adducere sufficit: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* (Matth. 10, 20.). *Vos autem in carne non estis, sed in Spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius* (Rom. 8, 9.). *Quoniam estis Filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba (Pater)* (Gal. 4, 6.). *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetae . . . scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi* (1. Pet. 1, 10. 11.). *Scio enim, quia hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem et subministrationem Spiritus Iesu Christi* (Phil. 1, 19.). Ex his aliisque testimoniis (cf. Matth. 3. 16.; Rom. 8, 11. 14.; 1. Cor. 2, 10 ss.: Luc. 4, 18; Act. 5, 9.; 8. 39.; 2. Cor. 3. 17. 18.) luculenter sane constat, Spiritum Sanctum non aliter et aliter, sed eadem ratione dici Spiritum Filii, qua Patris Spiritus dicitur. Atqui Spiritus Sanctus non est sicuti Patris ita et Filii Spiritus, nisi etiam a Filio procedat. Ergo Spiritus Sanctus a Filio quoque procedit. *Probatur minor:*

16. 1) Spiritus Sanctus a Patre procedit quod certe *confert saltem, ut Spiritus Patris dicatur;* ergo ut sicut Patris ita etiam Filii Spiritus sit, a Filio quoque procedere debet.

2) In illis testimoniis ex scriptura adductis nomen Spiritus *personaliter sumitur ideoque relative dicitur ad aliam personam:* alicuius Spiritus; nam in significatione absoluta idem nomen non uni personae proprium, sed commune tribus est. Atqui altera persona divina ad alteram non refertur nisi per relationem originis. Ergo manifeste consequitur, ut Spiritus Dei, Spiritus Patris, Spiritus Filii nihil tandem sit ac persona divina a Deo, a Patre, a Filio spirata. Quare Spiritus sicut a Patre, ita etiam a Filio procedit.

3) Nisi Spiritus Sanctus diceretur Spiritus Filii, quia ab eo procedat, Spiritus Filii diceretur aut *quia eandem ac Filius habet naturam divinam, aut quia sicut Filius, ita et ipse a Patre procedit aut propter amoris unionem;* atqui ex neutra ratione Spiritus Filii dici potest, quia secus ex iisdem rationibus Filius Verbum Spiritus dici posset; hoc autem in-

auditum atque insolitum est tum in scriptura tum apud SS. Patres; ergo.

4) Declarante ipsa scriptura *Spiritus Dei idem dicit, ac Spiritus, qui ex Deo est,* cum promiscue hi termini adhibeantur: *Quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est . . .* (1. Cor. 2. 11. 12.). Ergo etiam Spiritus Filii dicitur, quia ex Filio est.

Confirmatur ex eo, quod etiam secunda persona *Filius Dei dicitur, quia ex Deo Patre procedit;* ergo etiam tertia ideo Spiritus Dei et Spiritus Filii dicitur, quia ex Deo Patre et Filio procedit.

5) Denique *SS. Patres tum occidentales tum orientales* terminum *Spiritus Filii* eadem ratione acceperunt et ex eodem Spiritum Sanctum ex Filio quoque procedere intulerunt. Ita v. g. *ex occidentalibus Augustinus:* „Cur ergo non credimus, quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus“ (In Ioan. tract. 99.). Et alibi: „Nec possumus dicere, quod Spiritus Sanctus et a Filio non procedat: non enim frustra idem Spiritus et Patris et Filii dicitur Spiritus“ (De Trinit. l. 4. c. 29.). Atque iterum alibi rem magis declarans: „His enim appellationibus (i. e. Patris, Filii, Spiritus Sancti) hoc significatur, quo ad se invicem referuntur, non ipsa substantia, qua unum sunt. Nam et Pater cum dicitur, nonnisi alicuius Filii dicitur, et Filius nonnisi alicuius Patris intelligitur, et Spiritus secundum id quod ad aliquid refertur, spirantis alicuius est, et spirans utique Spiritum spirans est . . . Proprio autem modo quodam (hypostatice) dicitur Spiritus Sanctus, secundum quod refertur ad Patrem et Filium, quod eorum Spiritus Sanctus sit“ (Ep. 238. al. 164. n. 14. 15. ad Pascent.). — Similiter *Fulgentius:* „Firmissime tene et nullatenus dubites, eundem Spiritum Sanctum qui Patris et Filii unus Spiritus est, de Patre et Filio procedere. Dicit enim Filius: cum venerit Spiritus veritatis, qui a Patre procedit, ubi suum Spiritum esse docuit; quia ipse est veritas“ (De Fide ad Petrum c. 11.). — Pariter *Leo Magnus:* „Cum et Spiritus Sanctus Patris

Filiique sit Spiritus, non sicut quaecunque creatura quae et Patris et Filii est, sed sicut cum utroque vivens et potens, et sempiterne ex eo, quod est Pater Filiusque subsistens" (In Pentecost. serm. 1. c. 3.). — Denique *Patres concilii Wormatiensis* in professione fidei ab ipsis edita: „Spiritum Sanctum credimus . . . a Patre Filioque procedentem amborum esse Spiritum . . . Nec Patris tantum, nec Filii tantum, sed simul Patris et Filii Spiritus dicitur. In relativis personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad utrosque refertur."

18. Sed *Patres orientales* quoque eadem ratione illum terminum acceperunt atque ex eodem argumentati sunt, ut v. g. *Athanasius:* „Patris est Spiritus, qui dictus est Filii, si quidem ipse Filius ait: Spiritus veritatis, qui a Patre procedit" (Ep. 3. ad Serap. n. 1.). — Deinde *Basilius:* „Spiritum Sanctum per Filium effulgere Apostolus manifestum fecit, Spiritum Filii ipsum nominans sicut et Dei; et mentem Christi appellavit, sicut et Spiritum Dei" (Cont. Eunom. l. 5.). — Et *Cyrillus A.:* „Nam cum Spiritum veritatis i. e. suum, ipse enim veritas est, paraclitum appellaverit, ex Patre ipsum procedere ait. Nam sicut Filii Spiritus est naturaliter in ipso manens, et per ipsum procedens, sic certe Patris quoque Spiritus est . . . Credere namque debemus, quoniam Spiritus sic proprius Filii est, sicut sane ipsius quoque Dei Patris" (In Ioan. l. 10.). — Denique *S. Maximus:* „Spiritus Sanctus sicut natura secundum essentiam est Dei et Patris, ita etiam secundum essentiam est Filii, utpote essentialiter ex Patre per Filium genitum procedens" (In script. quaest. 63.).

Tandem argumentum propositum urgetur etiam a scriptore graeco, *Manuele Caleca*, qui floruit tempore concilii Lugdunensis. Is enim in libro de processione Spiritus Sancti (c. 10.) primo statuit, dici non posse Spiritum Sanctum esse Spiritum Filii, nisi ex Filio Spiritus Sanctus sit; nam relative dici, Spiritum esse Filii Spiritum, nullam autem in divinis esse relationem praeter relationem originis; deinde „cum unum alterius dici in divinis reiecta materia, et iis, quae materiam consequ ntur, neque tamquam membrum, ne-

que ut possessio, neque ratione alicuius excellentiae, neque alterius cuiuspiam affinitatis queat, sed ratione sola principii et eius, quod est a principio (κατὰ δὲ μόνον αἴτιον καὶ αἰτιατόν), in quo uno alterum ab altero discerni comprehendimus, perspicuum est, cum dicimus, Spiritum Sanctum proprium esse Filii, id sola illi principii ratione dictum intelligi posse." Neque enim putandum est, ideo ita nos loqui, quod consubstantiales sint Filius et Spiritus Sanctus; quia tunc non minus dici posset, Filium esse proprium Spiritus Sancti, quam hunc illius esse proprium.

Denique *confirmationem argumenti addere iuvat ex* **19.** *S. Anselmo*, qui ita rationem eiusdem declarat atque urget: „Cum autem dicitur, quia Filius et Spiritus Sanctus sic possunt esse de solo Patre, ut nec Filius sit de Spiritu Sancto nec Spiritus Sanctus de Filio, sicut splendor et calor simul procedunt de uno sole, ut alter non sit de altero, non recte hoc nobis opponitur. Cum enim dicimus Filium de Patre esse, et Spiritum Sanctum de Patre esse, Filium fatemur Deum, et Spiritum Sanctum Deum esse de Patre Deo, et has tres personas unum solum Deum esse, et idipsum esse de eodem ipso. In sole vero non dicimus, solem esse de sole, cum splendor aut calor est de sole; nec idipsum esse solem et quod est de sole; nec illa tria unum esse solem. Nam si sol et splendor unus essent sol, aut si sol et calor similiter unus sol essent, necesse esset, aut splendorem esse de calore, cum esset de toto sole, qui idipsum esset, quod calor; aut calorem de splendore esse, cum de sole haberet esse, qui non a splendoris differret essentia. Ponamus tamen Filium et Spiritum Sanctum ita pariter esse de solo Patre, sicut calor et splendor sunt de uno sole. Sed si ita est, unde habent, qui hoc dicunt, quod Spiritum Sanctum confitentur esse Filii, et Filium negant esse Spiritus Sancti? Nam sicut nulla ratio admittit, ut calor sit splendoris, aut splendor caloris, ita non patitur veritas, ut Spiritus Sanctus magis sit Filii, quam Filius Spiritus Sancti. Quapropter si negare non audent, Spiritum Sanctum esse Filii, negent Filium et Spiritum Sanctum ita esse pariter de solo Patre, sicut sunt

splendor et calor de uno sole" (De process. Spiritus Sancti c. 14.).

20. ***3. Ex ordine in connumeratione divinarum personarum a scriptura servato.*** — Ubicunque in s. scriptura tres personae divinae secundum earum internas relationes connumerantur, ordo earum omnino fixus et ratus traditur ita, ut primus sit Pater, Patrem excipiat Filius, atque Spiritus Sanctus tertius sequatur, vel ut ordine inverso a persona Spiritus Sancti incipiatur, eandem iterum excipiat Filius, et denique Pater sequatur. Sic legimus v. g.: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (Matth. 28, 19.); et: *Pater, Verbum et Spiritus Sanctus* (1. Ioan. 5, 7.); necnon: *Idem Spiritus, idem Dominus, idem Deus* (1 Cor. 12, 4—6). Hac inversione enumerationis non alium et alium ordinem ontologicum, sed eundem sub diversis respectibus tradi per se manifestum est et recte notatur a *Basilio;* scilicet animadvertit, sic exhiberi „nostram habitudinem; nam cum dona accipimus, primum nobis occurrit distribuens, tum cogitamus emittentem (Filium), dein cogitationem perducimus ad fontem et causam bonorum" (i. e. Patrem). (De Spiritu Sancto c. 16. n. 37.). Et inferius: „Proinde via ad Dei cognitionem est ab uno Spiritu per unum Filium ad unum Patrem. Et vice versa essentialis bonitas et secundum naturam sanctitas et regalis dignitas ex Patre per Unigenitum ad Spiritum permanat" (Ibid. c. 18. n. 47.). Porro hunc ordinem internum et necessarium divinarum personarum a scriptura propositum studiose servavit semper et sanxit christiana professio in symbolis, in formulis liturgicis, in universa praedicatione ecclesiastica. Audiatur iterum tamquam testis *Basilius:* „Qui Patrem intellexit, tam ipsum in se intellexit, quam Filium simul intelligentia complexus est; qui autem Filium apprehendit, a Filio Spiritum non seiunxit; sed fidem identitate essentiae unitam in seipso expressit trium secundum ordinem quidem consequenter, secundum naturam vero unite se habentium. Et qui Spiritum Sanctum dixit, hac professione simul complexus est eum cuius est Spiritus; atque quia Spiritus est Christi et ex Deo iuxta Pauli effatum (Rom. 8, 9.), quemadmodum ex catena

unum extremum apprehendens etiam alterum simul attraxit, ita qui Spiritum attraxit, ut loquitur propheta (Ps. 118, 131.), et Filium et Patrem per ipsum simul attraxit. Item si quis secundum veritatem Filium apprehenderit, habebit eum simul adducentem utrumque hinc quidem Patrem suum illinc vero proprium Spiritum; neque enim a Patre dividi poterit semper in Patre existens, neque disiungi a Spiritu suo proprio omnia operans in ipso (Filius in suo Spiritu). Similiter etiam, qui Patrem apprehenderit, virtute simul complexus est Filium et Spiritum Sanctum" (Ep. 38. al. 43. n. 4. cf. de Spiritu Sancto cc. 17. 18. nn. 43. 45.). Similiter et alii Patres.

Itaque *ordinem aliquem internum et ontologicum conse-* 21. *quentiae inter divinas personas exstare* sine dubio veritas revelata est; atqui supposita unitate naturae numerica cum eiusmodi ordine connexum est vel in eo includitur, personam tertiam Spiritum Sanctum sicuti a prima scilicet a Patre ita etiam a secunda nimirum a Filio procedere; ergo. *Probatur minor.* Etenim eiusmodi ordo consequentiae sane duo dicit vel includit: et *primo* quidem realem inter personas distinctionem secundum origines, quia scilicet ordo realis est plurium realiter distinctorum connexio secundum aliquod unitatis principium, in Deo autem realis distinctio nulla nisi secundum relationes originis est; *secundo* igitur idem ordo dicit aliquam prioritatem et posterioritatem spectata ipsa origine. Atqui ex doctrina revelata prima persona Pater est, altera Filius, tertia Spiritus Sanctus; non autem aut Spiritus secunda et Filius tertia persona est aut Filius et Spiritus Sanctus duae secundae personae sunt. Ergo sicut Pater prae Filio et Spiritu Sancto, ita Filius prae Spiritu Sancto prioritatem originis habet. Iamvero nulla est nec esse potest prioritas originis in Deo nisi prioritas a quo i. e. nisi relatio principii et principiati sive procedentis a principio. Ergo cum ex doctrina revelata Spiritus Sanctus sit tertia persona divina, origine posterior est non solum prae prima persona Patre, sed etiam prae altera Filio, ideoque non solum ad Patrem, sed etiam ad Filium tamquam suum principium refertur sive ab utroque procedit.

22. *Confirmatur ex ratione propria processionis Filii et Spiritus Sancti.* Nimirum cum processio Filii generatio intellectualis sit, eadem ratione prior est, quam processio Spiritus Sancti quae per amorem est; atqui Filius generatione communicatas habet a Patre omnes eiusdem perfectiones et rationes formales excepta sola Paternitate ideoque perfecte unum est cum Patre excepta relatione Patris et Filii, qua sola inter se opponuntur et distinguuntur; ergo Filius a Patre communicatam habet naturam etiam sub formali ratione spirationis activae sive dilectionis spirantis amorem ut terminum immanentem; quare sicut cum Patre unus Deus est, ita etiam cum eodem est unum principium Spiritus Sancti.

23. *Confirmatur secundo,* quia SS. Patres hac eadem ratione fixum illum ordinem personarum divinarum explicarunt. Huc spectat v. g. haec *S. Basilii* expositio: „Sicut Filius ad Patrem, ita Spiritus se habet ad Filium. Propterea Dei (Patris) quidem Verbum Filius est, Verbum autem Filii est Spiritus . . . et cum Verbum sit Filii, proinde Dei est . . . Cur et Spiritus non dicitur Filius Dei? Non quod ex Deo non sit per Filium, sed ne Trinitas putetur multitudo infinita, quasi Filios ex Filiis, ut fit in hominibus, habere videretur . . . Dicimus ergo, quod si quis dixisset Filium ex Filio, Trinitatem Deitatis adduxisset in multitudinis suspicionem apud homines, qui hoc audivissent. Pronum namque erat suspicari, si Filius ex Filio genitus esset, etiam ex hoc alium rursus genitum fuisse et rursus alium . . . Propterea Spiritum ex Deo esse Apostolus aperte quidem praedicavit dicens, quoniam Spiritum, qui ex Deo est, accepimus (1. Cor. 2, 12.); et quod per Filium effulsit, manifestum reddidit, Spiritum Filii ipsum nominando sicut Spiritum Dei, et appellando mentem Christi sicut Spiritum Dei, quemadmodum est etiam Spiritus hominis (1. Cor. 2, 11.): Filium autem Filii dicere cavit“ (Cont. Eunom. l. 5.). In qua declaratione aperte quidem processio Spiritus Sancti per Filium ex fixo illo ordine interno statuitur, etsi minus recte Spiritus Sanctus Verbum Filii vocetur et minus accurate explicetur, cur Spiritus Sanctus Filius Verbi non sit. — Item *S. Gregorius Nyssenus* ex eodem ordine

declarat, Filium sola ratione principii priorem esse Spiritu Sancto ab ipso procedente, sicuti Pater Filio ab ipso generato sola hac ratione originis prior est. „Eadem est nostra doctrina de Spiritu Sancto, in solo ordine differentiam (inter personas) agnoscens. Sicut enim coniungitur Patri Filius et ex illo esse habens non tamen existentia posterior est; sic pariter ab unigenito pendet Spiritus Sanctus, ita ut sola cogitatione secundum rationem principii Filius praeintelligatur hypostasi Spiritus. Temporales enim dimensiones in aeterna vita non habent locum, ita ut excepta ratione principii SS. Trinitas nulla re in se ipsa discernatur" (Cont. Eunom. l. 1.). Et idem alibi iterum: „Differentiam secundum principium et principiatum non negamus, in quo solo unum ab altero distingui admittimus, eo quod aliud quidem credimus esse principium, aliud vero ex principio. Et eius, quod ex principio est, rursus aliam differentiam consideramus; unum enim est proxime (et sine medio) ex primo, alterum vero per illud, quod est proxime ex primo, ut et in Filio sine ambiguitate maneat proprietas unigeniti, et Spiritum ex Patre esse non sit dubium, dum Filii interpositio (inter Patrem et Spiritum) et ipsi servat proprietatem unigeniti et Spiritum a naturali habitudine ad Patrem non removet" (Ad Ablav. quod non tres Dii). Quod testimonium praetermissa illa declaratione nominis unigeniti velut ab uno geniti egregie sane argumentum propositum confirmat. Similiter et alii ordinem illum fixum et internum personarum divinarum declarant vel intelligunt.

4. Ex testimoniis, quibus Spiritus Sanctus a Filio mitti dicitur. — Hoc imprimis argumentum non parvum momentum habet ad doctrinam catholicam de processione Spiritus Sancti vindicandam atque explanandam ideoque etiam frequenter obiectum disputationis inter Latinos Graecosque exstitit. Quare accurate exponendum est. Itaque 24.

1) Per notitiam historicam obvia argumenti idea exhibetur. — In concilio Florentino Latini ad defendendam catholicam de processione Spiritus Sancti doctrinam hoc argumento usi sunt: Missio alterius personae ab altera certum

argumentum est illam ab hac procedere; atqui testante Scriptura Spiritus Sanctus non tantum a Patre, sed etiam a Filio mittitur; ergo Spiritus Sanctus non tantum a Patre sed etiam a Filio procedit. — Graeci maiorem quidem sive principium argumenti unanimes concesserunt, plures vero asseruerunt, testimonia scripturae, quibus Spiritus Sanctus a Filio missus perhibetur, non de persona Spiritus Sancti, sed de donis sive charismatibus eiusdem accipienda esse. Quos hunc in modum refutavit *Bessarion* in oratione dogmatica, quam in eodem concilio habuit: „Et quid dico Patres? Ipse Salvator dicta illorum omnium approbans, illum eundem pollicetur se missurum, qui a Patre procedit, quem ipse mittet. *Cum venerit,* inquit apud Ioan. 15, 26., *paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Hoc enim ipsi quoque Grammatici ita construerent: Cum venerit Spiritus, qui a Patre procedit, quem ego mittam vobis; ut manifestum sit, ipsum, id est Filium missurum, quod et a Patre procedit. Si igitur persona Spiritus Sancti a Patre procedit, eadem etiam a Filio mittitur. Quod si gratiam non subsistentem Filius mittit, a Patre etiam non persona, sed gratia procedit. Sed hoc cum stultum tum impium est dicere." — Aliter vero contra argumentum exceperunt Photiani; nimirum Spiritum Sanctum etiam a Filio mitti concedentes principium argumenti negaverunt, i. e. missionem alterius personae ab altera nequaquam includere processionem personae missae a persona mittente praefracte contenderunt. Quare iam de hoc principio agendum est.

25. 2) *Principium argumenti vindicatur vel notio missionis declaratur.* — Photiani ita excipientes certo errarunt, quod facile patet, si notio missionis accuratius consideretur atque in elementa sua resolvatur: Missio generatim ex communi concipiendi et loquendi modo significat unius ab altero tamquam a principio processionem ad aliquem terminum. Apposite omnino *S. Thomas:* „In ratione missionis duo importantur: quorum unum est habitudo missi ad eum a quo mittitur. Per hoc autem, quod aliquis mittitur, ostenditur processio quaedam missi a mittente: vel secundum imperium,

sicut dominus mittit servum; vel secundum consilium, ut si consiliarius mittere dicatur regem ad bellandum; vel secundum originem, ut si dicatur, quod flos emittitur ab arbore. Ostenditur etiam habitudo ad terminum ad quem mittitur, ut aliquo modo ibi esse incipiat: vel quia prius ibi omnino non erat quo mittitur, vel quia incipit ibi aliquo modo esse quo prius non erat" (S. th. 1. p. q. 43. a. 1.). Itaque missio generatim spectata quatuor vel supponit vel includit vel importat: *primo* distinctionem missi a mittente; nemo enim semetipsum mittere dicitur; *secundo* aliquam sive propriam sive impropriam dependentiam missi a mittente secundum auctoritatem sive imperium vel consilium vel physicum influxum sive originem; *tertio* habitudinem ad terminum, scilicet missus alicubi incipit esse novo modo, quo prius non erat; *quarto* quod missus de novo alicubi est, debet esse ex vi processionis vel missionis; etenim filius humanus v. g. non, ubicunque non per imperium patris sui sed ex libero suo consilio est, a patre suo missus est, atque e contra homo, qui hucusque alicubi sponte degens iam legatus nominatur, a suo principe missus esse dicitur. — Quae cum ita sint, facile iam conceptus missionis divinae personae efformatur; nimirum generalis conceptus missionis solum a suis imperfectionibus purificatus ad divinas personas transferri potest. Quod si fiat, missio divinae personae nihil aliud significare potest nisi: *eiusdem personae per originem processio cum habitudine ad terminum temporalem.* — Quae definitio secundum elementa, quae includit vel supponit accuratius explicanda et demonstranda est. Itaque:

a) Missio eadem involvit vel supponit *realem distinctionem inter personam missam et personam mittentem.* Quod evidens est, cum nemo sensu proprio semetipsum mittere dici queat. Quare SS. Patres ex missione Filii et Spiritus Sancti contra Sabellianos collegerunt, eos esse personas a Patre et ab invicem realiter distinctas. **26.**

b) Missio divina includit *processionem personae missae a persona mittente.* Quod *primo* ex ipsa natura rei manifestum est. Etenim missio personae in mittente ἀξίωμα, ut **27.**

loquuntur SS. Patres, supponit i. e. dignitatem sive auctoritatem atque influxum aliquem sive per imperium sive per consilium sive per preces adeoque transmissionem voluntatis in personam missam dicit. Atqui in divinitate nulla persona prae alia dignitatem aliquam vel auctoritatem habet nisi ratione originis, utpote qua alterius principium exstat; cum in omnibus aliis perfecte aequales sint; neque altera in alteram influxum exercere vel voluntatem transmittere potest nisi iterum ratione originis; etenim cum trium personarum divinarum una sit voluntas sicut natura una omnes necessario idem volunt adeoque altera alteram nec physice nec moraliter movere potest, ut aliquid velit, quod secus nollet; praeterea cum velle divinum non sit actus accidentalis, sed ipsa substantia divina, cum voluntate divina necessario ipsa substantia divina communicatur. — Idem confirmatur *ex s. scriptura*, quia in eadem Filius quidem et Spiritus Sanctus missi dicuntur, nunquam autem Pater; ergo externa efficientia vel apparitio alicuius personae divinae non efficit, ut missa dicatur. Etenim, quae est Augustini (De Trinitate l. 2.) aliorumque Patrum sententia, non minus Pater, quam Filius ante incarnationem et Spiritus Sanctus specie extrinsecus assumpta apparuit. Cur igitur non aeque, quam hi, et ille missus dicitur? Sane quia ad missionem proprie dictam aliquid aliud requiritur, quam efficientia vel apparitio externa, quae uni personae prae aliis convenit vel tribuitur. Nihil autem aliud hoc esse potest, quam, ut Augustinus saepe repetit, quod Pater neminem habet, a quo procedat: „Pater, inquit, cum ex tempore a quoquam cognoscitur, non dicitur missus. Non enim habet, de quo sit, aut ex quo procedat“ (De Trinitate l. 4. c. 20.). — Confirmatur adhuc *auctoritate SS. Patrum et Doctorum*. Sic v. g. loquitur *Fulgentius*: „Filius est igitur a Patre missus non Pater a Filio quia Filius est a Patre natus, non Pater a Filio. Similiter etiam Spiritus Sanctus a Patre et Filio legitur missus, quia a Patre Filioque procedit. Sed quia non uno modo in scripturis sanctis dicitur missio, propterea in sacramento incarnationis non solum a Patre, verum etiam a Spiritu Sancto missus est Filius, quia me-

diator Dei et hominum, homo Christus Iesus totius est Trinitatis operatione plasmatus (atque insuper in humanam Christi voluntatem Spiritus Sanctus influxum exercere potuit et etiam exercuit). Alio autem modo mittitur a Patre et Filio Spiritus Sanctus, cum ab ipsa Trinitate uno Deo gratiae spiritalis donatur effectus" (Fragment. c. Fabian. l. 8.). Et iterum *Augustinus:* Verbum „non secundum imparem potestatem vel substantiam vel aliquid, quod Deo Patri non sit aequale, missus est, sed secundum id, quod Filius a Patre est, non Pater a Filio. Verbum enim Patris est Filius, quod et Sapientia eius dicitur. Quid ergo mirum, si mittitur, non quia inaequalis est Patri, sed quia manatio quaedam claritatis omnipotentis Dei sincera" (De Trinit. l. 5. c. 20.).

c) Missio divinae personae non autem sistit in proces- **28.**
sione interna nude considerata, sed *eam processionem dicit ut includit habitudinem ad terminum externum.* Scilicet missio divinae personae velut fundamentum dicit processionem personae missae a persona mittente, velut formalem rationem vero terminum externum temporalem, per quem persona novo aliquo modo in mundo esse incipit. Etenim cum persona divina natura sua in omni re et loco sit, non potest incipere esse, ubi nullo modo erat. Apposite *S. Thomas:* „Missio igitur divinae personae convenire potest secundum quod importat ex una parte processionem originis a mittente et secundum quod importat ex alia parte novum modum existendi in alio; sicut Filius dicitur esse missus a Patre in mundum, secundum quod incepit in mundo esse per carnem assumptam; et tamen ante in mundo erat, ut dicitur Ioan. 1, 10." (S. th. 1. p. q. 43. a. 1.).

Ex quibus consequitur *missionem, si eius fundamentum* **29.**
spectetur, aeternam esse, si vero ratio eius formalis consideretur, quae a termino temporali pendet, existimandam esse temporalem. Apposite iterum *S. Thomas:* „In his, quae important originem divinarum personarum, est quaedam differentia attendenda. Quaedam enim in sua significatione important solam habitudinem ad principium, ut processio et exitus. Quaedam vero cum habitudine ad principium deter-

minant processionis terminum. Quorum quaedam determinant terminum aeternum, sicut generatio et spiratio; nam generatio est processio divinae personae in naturam divinam, et spiratio passive accepta importat processionem amoris subsistentis. Quaedam vero cum habitudine ad principium important terminum temporalem, sicut missio et datio. Mittitur enim aliquid ad hoc, ut sit in aliquo, et datur ad hoc, quod habeatur. Personam autem divinam haberi ab aliqua creatura, vel esse novo modo existendi in ea, est quoddam temporale. Unde missio et datio in divinis dicuntur temporaliter tantum; generatio autem et spiratio solum ab aeterno; processio autem et exitus dicuntur in divinis et aeternaliter et temporaliter; nam Filius ab aeterno processit, ut sit Deus; temporaliter autem, ut etiam sit homo secundum missionem visibilem, vel etiam ut sit in homine secundum invisibilem missionem" (Ib. a. 2.). Atque iterum: „Missio non solum importat processionem a principio, sed determinat processionis terminum temporalem. Unde missio solum est temporalis, vel missio includit processionem aeternam et aliquid addit, scilicet temporalem effectum. Habitudo enim divinae personae ad suum principium non est nisi ab aeterno. Unde gemina dicitur processio, aeterna scilicet et temporalis; non propter hoc, quod habitudo ad principium geminetur, sed geminatio est ex parte termini temporalis et aeterni" (Ib. ad 3.).

30. d) Etiam quartum elementum notionis missionis generatim consideratae, quod supra notatum est, in missione divinae personae invenitur: scilicet *persona divina missa alicubi novo modo esse incipit quadam ratione ex vi ipsius processionis.* Hoc ipsum autem aliquam difficultatem menti consideranti praebet; etenim quod persona missa a persona mittente omnem potestatem volendi et agendi accipit, per se non sufficit, sed requiri simul videtur, ut a persona mittente etiam actualem voluntatem liberam communicatam accipiat, utpote qua tandem aliquando omnis missio ad extra a persona missa completur; actualem autem voluntatem liberam, quippe quae ut libera et contingens necessariam processionem consequitur, persona procedens non formaliter a persona, a qua procedit,

accipit, sed eam simul et aeque primo ac illa habet. Optime hanc difficultatem solvisse videtur *Suarez* hac declaratione: „Respondeo primo, divinas personas ita inter se comparari in ordine ad decreta libera, ut non possit una aliquid velle, quin id velit quaelibet alia, et nihilominus quaelibet earum est liberrima in volendo, quia non determinatur ab alia, sed omnes simul se determinant per unicam, quam communem habent voluntatem. Unde in his decretis liberis formaliter et in se spectatis verum sine dubio est, non servari ordinem originis, sed omnes personas simul quasi uno impetu, ut me explicem, sese libere determinare ad hoc vel illud obiectum ad extra sine ulla sui mutatione. Nihilominus tamen propter ordinem originis, quem inter se habent, intelligitur persona producens primario velle, quidquid omnes volunt, non solum quia persona procedens habet a producente illummet actum quoad totam suam realitatem, quo libere vult, sed etiam quia ex vi originis intelligitur persona procedens accipere illum actum cum tali concordia ad personam producentem, ut necessario volitura sit quidquid altera voluerit. Unde etiam in exhibenda ipsa libera determinatione (nostro loquendi et intelligendi more) intelligitur persona prior origine habere quasi primarias partes respectu alterius origine posterioris; nam illa quae non est ab alia semper intelligitur esse quasi fons illius determinationis atque hoc satis est, ut etiam quoad voluntatem eundi dicatur mittere . . . Addo et fortasse proprius et clarius, quoties Filius et Spiritus Sanctus ad nos veniunt, venire ex naturali propensione bonitatis suae, et ex prudentissimo consilio sapientiae suae, quod totum habent a Patre, et Spiritus Sanctus habet etiam a Filio, atque hoc satis est, ut dicatur persona procedens habere a producente voluntatem liberam veniendi, etiamsi non habeat ab illo decretum liberum quoad ipsam formalem determinationem, quia satis est, quod habeat propensionem ad illud per acceptam bonitatem et sapientiam. Nam inter homines, cum unus alium mittit, non imprimit illi immediate voluntatem eundi, aut physicam determinationem voluntatis suae ad illum actum, sed satis est,

quod tribuit moralem impulsum per imperium vel consilium" (L. 12. c. 3. n. 7. et 8.).

31. Quibus addi potest, ad intelligendam hanc rem maxime *considerandam esse duplicem essentialem differentiam,* quae intercedit inter patrem et filium humanum ex una parte et personam divinam mittentem et personam divinam missam ex altera parte. Scilicet *primo* cum generatio filii humani iam absoluta et praeterita sit et exinde filius independenter a patre existat et velit et agat; ex opposito productio divinae personae aeterna est ita ut etiam nunc continuo Filius generetur et Spiritus Sanctus spiretur et uterque a suo principio communicatam accipiat naturam divinam iam affectam determinatione libera relate ad effectus externos. *Secundo* cum filius humanus realiter aliam naturam et voluntatem a patre suo accipiat, personae divinae procedentes a suo principio eandem numero naturam et voluntatem accipiunt, quae est principium quo elicitivum formalis determinationis liberae atque cum ea necessario realiter identica; unde absurdum esset cogitare, aliam et aliam posse esse in alia et alia persona divina determinationem liberam. Quae cum ita sint, satis intelligitur, personam missam a persona mittente communicatam habere ipsam actualem volitionem liberam.

32. Atque his notio missionis divinarum personarum satis adaequate declarata est, si quaedam adhuc notationes subiiciantur, quae in superioribus iam implicite continentur vel *per modum corollariorum consequuntur: Primo* itaque novus modus essendi personae divinae in mundo, quem missio eiusdem involvit, non ipsius personae divinae missae, sed creaturae mutationem dicit; per quam haec aut speciali modo cum persona divina missa unitur, ut factum est in Incarnatione Verbi divini, aut vero in signum vel speciem repraesentativam personae missae prae aliis efformatur, sicut quando in specie columbae super aquas Iordanis Spiritus Sanctus apparuit. — *Secundo* operatio illa, qua creatura mutatur, efficienter spectata sicut ipsa natura divina cum qua identica est, divinis personis quidem communis est, sed terminative spectata sive quatenus dicit mutationem creaturae atque novam habitudinem

eiusdem ad personam divinam ideoque novum eiusdem personae essendi in mundo modum, propria est personae missae prae mittente vel saltem appropriata. — *Tertio* missio personae divinae est aut visibilis sive externa aut invisibilis sive interna, prout persona divina missa incipit esse novo modo in mundo aut visibiliter et externe aut invisibiliter et interne in animis hominum. Missio visibilis autem fit aut per assumptionem humanae carnis in unitatem hypostasis divinae, per quam Filius missus in carne apparuit, aut per apparitionem in aliqua specie sensibili, sicut Spiritus Sanctus in forma columbae vel linguarum ignis missus est. Ex altera vero parte missio interna et invisibilis intus fit in anima, quando per infusionem gratiae absque signis externis factam persona divina in eadem anima inhabitare incipit vel novo modo inhabitat. Porro visibilis missio ad missionem invisibilem ordinatur tamquam medium ad eam efficiendam vel tamquam signum ad eam repraesentandam. Etenim Deus tum naturalia sua opera tum maxime supernaturalia omnia ad rationalis creaturae sanctificationem et beatitudinem dirigit. Apposite *S. Thomas* de externa Spiritus Sancti missione agens: „Et sicut seipsum Deus et processiones aeternas personarum per creaturas visibiles secundum aliqua indicia hominibus quodammodo demonstravit; ita conveniens fuit, ut etiam invisibiles missiones divinarum personarum secundum aliquas visibiles creaturas manifestarentur" (L. c.). — *Quarto* quaeri potest, num sacramenta rationem habeant missionis divinarum personarum, siquidem in his signa sensibilia a Deo instituta gratiam significant, qua personae divinae novo modo in hominibus esse et operari incipiunt. Respondendum autem est negative: Et *S. Thomas* quidem rationem reddit, quia sacramenta non sunt novus effectus a Deo specialiter productus ad personam divinam significandam, sed res iam existentes vel actiones sensibiles a ministris humanis naturalibus suis viribus positae ad significandam gratiae infusionem elevatae sunt (q. 6. a. 3.). *Deinde* addi potest, sacramenta non esse infallibile signum divinae praesentiae, quippe quorum efficacia a ministri intentione et a dispo-

sitione subiecti pendeat (cf. Suarez l. 12. c. 6. n. 12.). — *Alia quaedam* minoris momenti conferri possunt apud Pesch n. 649. ss.

33. 3) *Argumentum ex missione Spiritus Sancti derivatum in forma proponitur.* — Scriptura teste Spiritus Sanctus non solum a Patre, sed etiam a Filio sive nomine eiusdem proprio sensu mittitur; atqui missio personae divinae ab altera sive nomine eiusdem facta processionem includit personae missae a mittente; ergo Spiritus Sanctus non solum a Patre, sed a Filio quoque procedit. *Minor* huius argumenti manifesta est ex praecedenti expositione.

Maior probatur: Imprimis luculenta sunt hac de re scripturae testimonia: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis* (Ioan. 14, 26.). *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me* (Ioan. 15. 26.). *Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos* (Ioan. 16, 7.). Haec vero testimonia proprio sensu atque non solum de donis, sed de ipsa persona Spiritus Sancti accipienda esse ex ipso textu atque contextu manifesto constat. Quid autem sit, Patrem missurum esse Spiritum in nomine Filii, Filium vero missurum esse a Patre, praeclare declarat *Augustinus:* „Quod ait Dominus: quem ego mittam vobis a Patre, ostendit Spiritum Patris et Filii; quia etiam cum dixisset: Quem mittet Pater, addidit: In nomine meo. Non tamen dixit: Quem mittet Pater a me, quemadmodum dixit: Quem ego mittam vobis a Patre: videlicet ostendens, quod totius divinitatis vel, si melius dicitur, deitatis principium Pater est“ (De Trinitate l. 4. c. 20. n. 29.). Scilicet significatur unam eandemque esse in Patre et Filio activo missionem hoc solo discrimine, quod in Patre sine origine est, in Filio vero per originem a Patre; atque passive eandem missionem esse in uno eodemque Spiritu Sancto, qui pariter Patris et Filii Spiritus est.

Confirmatur ultimum argumentum vel tota argumentatio 34. *ex s. scriptura derivata* ex Ioan. 20, 22., ubi Christus legitur insufflasse et dixisse Apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum.* Etenim insufflationem illam corporalem SS. Patres tamquam signum aeternae spirationis accipiunt; quemadmodum videlicet flatus corporalis, qui innuebat Spiritum Sanctum, procedebat a Christi humanitate, sic etiam Spiritus Sanctus ipse a Verbi divinitate procedit. In rem v. g. *Augustinus:* „Cur ergo non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus. cum Filii quoque ipse sit Spiritus? Si enim non ab eo procederet, non post resurrectionem se repraesentans discipulis suis insufflasset dicens: *Accipite Spiritum Sanctum* (Ib. 20, 22.). Quid enim aliud significavit illa insufflatio, nisi quod procedat Spiritus Sanctus et de ipso?" (In Ioan. tract. 99. n. 7.). Et *Paschasius Diaconus:* „Ergo Spiritus Sanctus ex utroque procedit, ideo dicit: *Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius* (Rom. 8, 9.); et alio loco: *Insufflavit et dixit: Accipite Spiritum Sanctum*" (De Spiritu Sancto l. 1. c. 8.). Deinde *Cyrillus A.:* „Idcirco Christus insufflavit corporaliter ostendens, quod sicut ex ore humano spiritus prodit corporaliter, sic et ex divina substantia deitati convenienter Spiritus, qui ex eo est, profunditur. Cum ergo Spiritus ipse Dei Patris sit ac Filii, quomodo non unam omnino habebunt substantiam et distincte simul atque coniunctim" (l. 9. in Ioan. 14, 16.). Item *Anastasius Sinaita:* „Atvero Dominus ostendens ex semetipso Spiritum existere, insufflans discipulis dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*" (De rectis dogm. l. 1.). Pariter *Athanasius:* „Propterea insufflavit (Christus) ipsum (Spiritum Sanctum) in faciem Apostolorum dicens: *Accipite Spiritum Sanctum,* ut discamus, Spiritum qui discipulis datur, ex plenitudine deitatis esse. *In Christo enim,* inquit (Col. 2, 9.), *inhabitat,* hoc est: in carne eius, *omnis plenitudo divinitatis corporaliter*" (Thes. ass. 34. de incarn. et cont. arian. n. 9.). Denique *S. Anselmus* fuse de hac insufflatione agens ita actionem illam Christi explicat: „Ac si diceret: Sicut videtis hunc flatum, per quem vobis Spiritum Sanctum, sicut sensibilibus insensibilia significari queunt, significo, de intimo cor-

poris mei et de persona mea procedere: ita scitote Spiritum Sanctum, quem vobis per hunc flatum significo, de secreto deitatis meae et de mea persona procedere" (De processione Spiritus Sancti c. 10.).

Scholion.

35. ***Obiectiones quaedam solvuntur.*** — Varias quidem Photiani ex scripturis contra doctrinam catholicam obiectiones petierunt; sed nullam efficaciam habere facile intelliguntur; principales igitur, in quibus maxime confisi sunt, referre sufficit:

1) *Expressis verbis Christus affirmat, Spiritum Sanctum procedere a Patre; atqui in praesenti quaestione eiusmodi doctrina affirmativa aequivalet exclusivae; ergo secundum Scripturam Spiritus Sanctus a solo Patre procedit.* — *R.* Minor argumenti propositi aperto falsa est. Etenim *primo* apposite *Paschasius Diac.*: „Cum unum sine alio dicitur, tacetur alterum, non negatur, secundum illam regulam, quam antistes Augustinus insinuat: Non omnia, quae tacentur, negantur" (De Spiritu S. l. 2. c. 4.). — Verum *secundo* etsi Christus particulam exclusivam addidisset et dixisset: qui a *solo* Patre procedit, neque tunc iam eius verba necessario sensu exclusivo, quem volunt Photiani accipienda essent; quod ex aliis scripturae locis manifestum est. Sic v. g. Christus Luc. 10, 22. dicit: *Nemo scit, quis sit Filius, nisi Pater; et quis sit Pater, nisi Filius?* Neque tamen ideo Pater et Filius semetipsos ignorant; neque etiam Spiritus Sanctus a cognitione Patris et Filii excluditur. Et quando Apostolus (1. Cor. 2, 11.) dicit: *Quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei,* profecto Pater et Filius a scrutatione profundorum Dei non excluduntur. Apposite *Chrysostomus:* „Illud *nemo* semper ad creaturarum tantum secretionem ponitur; nec si de Patre dicatur, Filium removet, nec si de Filio, Spiritum Sanctum excludit" (Homil. 5. de Incomprehens. n. 1.). Scilicet considerandum semper est, quid excludatur. Ad quod discernendum egregia est regula a *S. Thoma* tradita: „Regulariter etiam in scriptura tenendum est, quod id, quod de

Patre dicitur, oportet de Filio intelligi, etiamsi dictio exclusiva addatur, nisi solum in illis, in quibus Pater et Filius secundum oppositas relationes distinguuntur. Cum enim Dominus dicit: *Nemo novit Filium nisi Pater*, non excluditur, quin Filius cognoscat se ipsum. Sic igitur, cum dicitur, quod Spiritus Sanctus a Patre procedit, etiamsi adderetur, quod a solo Patre procedit, non excluderetur inde Filius, quia quantum ad hoc, quod est esse principium Spiritus Sancti, non opponuntur Pater et Filius, sed solum quantum ad hoc, quod hic est Pater, et ille Filius." (S. th. 1. p. q. 36. a. 2. ad 1.) Quae cum ita sint, clara est intelligentia testimonii obiecti, utpote quo non Pater Filio, sed Spiritui Sancto tamquam eius principium opponitur; ergo minime processio Spiritus Sancti a Filio excluditur. — Imo vero *tertio* includitur. Nimirum Christus verbis illis declarat quidem, Patrem esse principium Spiritus Sancti; sed minime iisdem solum materialiter et per se consideratis determinat, utrum eiusdem principium sit, quatenus est unum cum Filio, an quatenus a Filio distinctus est. Sed si eadem verba in luce universae de Trinitate doctrinae spectantur, ipsis definitur: Patrem, non quatenus a Filio distinctus est, sed quatenus unum est cum Filio, principium Spiritus Sancti esse. Etenim quidquid inest uni personae SS. Trinitatis, id omnibus commune est, excepta sola relatione, secundum quam una persona est principium alterius; iamvero Patri inest virtus spiratrix, secundum quam non est principium Filii, sed Spiritus Sancti, et secundum quam consequenter a Spiritu Sancto quidem, non vero a Filio distinguitur. Ergo virtus spiratrix communis est Patri et Filio, seu Pater est principium Spiritus Sancti quatenus unum cum Filio, non vero quatenus ab eo distinctus est. Itaque ad minorem argumenti obiecti: Doctrina affirmativa aequivalet exclusivae, in forma respondetur: *d.* doctrina affirmativa aequivalet exclusivae, quatenus excluduntur omnia, quae unum non sunt cum illa persona *c.* vel *tr.*; excluditur alia persona *sbd.* persona sub respectu praedicati tributi opposita *c.*; excluditur persona sub eo respectu non opposita *n.* prorsus, quia potius implicite includitur.

36. Atque ita quidem Photianis sufficienter responsum est; manet autem vel oritur quaestio, quam ponit etiam *Augustinus:* „Si et de Patre et de Filio procedit Spiritus Sanctus, cur Filius dixit: *De Patre procedit?*" (Tract. 99. in Ioan.) Respondet S. Doctor: „Cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre et quod ipsius est, de quo et ipse est? Unde illud est, quod ait: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui me misit.* Si igitur intelligitur hic eius doctrina, quam tamen non dixit suam, sed Patris; quanto magis illic intelligendus est de ipso procedere Spiritus Sanctus, ubi sic ait: de Patre procedit, ut non diceret: de me non procedit. A quo autem habet Filius, ut sit Deus (est enim de Deo Deus), ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus Sanctus; ac per hoc Spiritus Sanctus, ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre." Quod clarius deinceps explicat tum aliis in locis, tum de Trinit. l. 15. c. 17. scribens: „Non frustra in hoc Trinitate non dicitur Verbum Dei, nisi Filius, nec donum Dei, nisi Spiritus Sanctus, nec de quo genitum est Verbum, et de quo procedit principaliter Spiritus Sanctus, nisi Pater. Ideo autem addidi *principaliter*, quia et de Filio Spiritus Sanctus procedere reperitur, sed hoc quoque illi Pater dedit, non iam existenti et non habenti; sed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo donum commune procederet, et Spiritus Sanctus Spiritus esset amborum." (De Trinit. l. 15. c. 17.)

Contra declarationem missionis quoque personarum divinarum supra traditam quaedam obiiciuntur, quae brevem considerationem merentur:

37. 2) *Qui mittitur, mittenti subditus sit oportet; verus autem Deus nulli subditus esse potest; ergo missio divinarum personarum, de qua sermo est in scriptura, propria esse nequit.* — *R.* Qui imperio alterius mittitur, sane alteri subiectus sit oportet; divinae autem personae alia quamvis propria missione mittuntur. Apposite *S. Fulgentius:* „Spiritus Sanctus utique non mittitur, sicut angelus, cuius est officium debitae servitutis implere, sed sicut Deus, cuius est munera

sanctificationis et sanctae operationis voluntaria bonitate conferre.“ (Fragm. 28. ex libr. c. Fabian.) Haec missio autem propria manet, quia tum voluntariam hanc bonitatem tum potentiam operandi a Patre Filioque accepit.

3) Verus Deus mutari unquam nequit; qui autem mittitur aliter se habere incipit sive ad locum sive ad personas, ad quas mittitur; insuper a mittente disiungitur: ergo aut Filius et Spiritus Sanctus non mittuntur aut personae divinae et Patri consubstantiales non sunt. — *R.* Ut iam supra dictum est, notio missionis a creaturis ad divinas personas non transfertur nisi ab omni imperfectione purgata. Quare non mutantur divinae personae, quando mittuntur, sed creatura mutatur, quae terminus missionis est; similiter sol non mutatur, quando oculus coeci sanatus lumine solis frui incipit. Pari ratione, quemadmodum divina persona in loco aliquo novo modo esse incipiens locum non relinquit, in quo est, utpote quae immensa est; sic nullo pacto a mittente seiungitur. Apposite *Cyrillus A.*: „Non est haec missio (Filii Dei) servilis putanda, etsi, quia servi formam induit, eiusmodi quoque de se recte diceret. Missus autem est, sicut verbum ex mente et splendor ex sole. Haec enim ea, in quibus sunt, manifestant, cum foras procedere videntur; attamen in iis, a quibus sunt, naturaliter manent nec divelli possunt.“ (In Ioan. l. 4.)

4) S. Augustinus (De Trinit. l. 2. c. 5. n. 8.) *ex mani-* **39.**
festis scripturae testimoniis ostendit, Filium non a solo Patre, sed a Spiritu Sancto quoque missum esse; atque eandem sententiam etiam Synodus Toletana XI. professa est. — *R.* Filius a Spiritu Sancto missus esse duobus modis dicitur: *primo* proprie spectata natura humana; atque hac ratione Patres Concilii Toletani adducti intelligendi esse videntur, utpote qui proxime de Verbo Incarnato eo loco loquuntur atque illud prophetae afferunt: *Et nunc Dominus Deus misit me et Spiritus eius* (Is. 48, 16.). Hoc scilicet dictum *Hieronymus* sic interpretatur: „Ego, qui semper eram cum Patre et in Patre et sine Patre nunquam eram, etiam nunc loquor, et iuxta fragilitatem carnis assumptae dico, quod Dominus

18*

Deus miserit me et Spiritus eius.“ (In l. c.) *Secundo* Filius etiam ut Deus a Spiritu Sancto missus aliquando dicitur, sed improprie; quatenus scilicet missio non adaequate sumitur, sed solum opus Deo externum ab ea inclusum consideratur. Qua ratione *Augustinus* loco obiecto loquitur: „Cum itaque ait: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*, satis ostendit eo ipso missum Filium, quod factus est ex muliere. Quod ergo de Deo natus est, in hoc mundo erat; quod autem de Maria natus est, in hunc mundum missus advenit. Proinde mitti a Patre sine Spiritu Sancto non potuit; non solum, quia intelligitur Pater, cum eum misit, id est, fecit ex femina, non utique sine Spiritu suo fecisse; verum etiam, quod manifestissime atque apertissime in evangelio dicitur virgini Mariae quaerenti ab angelo: *Quomodo fiet istud? Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (Luc. 1, 34.), et Matthaeus dicit: *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto* (Matth. 1, 18.). Quamquam et apud Isaiam prophetam (48, 16.) ipse Christus intelligitur de adventu suo futuro dicere: *Et nunc Dominus misit me et Spiritus eius*“ (De Trinit. l. 2. c. 5. n. 8.).

40. Ceterum hoc eodem sensu Filius etiam a semetipso missus esse dici potest et reipsa ab eodem concilio et Augustino dicitur; quod manifestum est ex ipsis verbis *Augustini:* „Fortasse aliquis cogat, ut dicamus etiam a se ipso missum esse Filium; quia ille Mariae conceptus et partus operatio Trinitatis est, qua creante omnia creantur. Et quomodo iam, inquit, Pater eum misit, si ipse se misit? Cui primum respondeo, quaerens ut dicat, si potest, quomodo Pater eum sanctificavit, si se ipse sanctificavit? Utrumque enim idem Dominus ait: *Quem Pater,* inquit, *sanctificavit et misit in hunc mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quoniam dixi, Filius Dei sum.* (Ioan. 10, 36.) Alio autem loco ait: *Et pro eis sanctifico me ipsum* (Id. 17, 19.). Item quaero, quomodo eum Pater tradidit, si se ipse tradidit? Utrumque enim dicit apostolus Paulus: *Qui Filio,* inquit, *proprio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum* (Rom. 8. 32.); alibi autem de ipso Salvatore ait: *Qui me dilexit, et tra-*

didit seipsum pro me. (Gal. 2, 20.) Credo respondebit, si haec probe sapit, quia una voluntas est Patris et Filii et inseparabilis operatio. Sic ergo intelligat illam incarnationem et ex virgine nativitatem, in qua Filius intelligitur missus, una eademque operatione Patris et Filii inseparabiliter esse factam, non utique inde separato Spiritu Sancto" (Ib. n. 9.).

Verumtamen Augustinum hisce locis de impropria missione loqui manifestum est; propriam enim Filii missionem etiam ipse soli Patri tribuit: „Ab illo mittitur Dei Verbum, cuius est Verbum. Ab illo mittitur, de quo natum est. Mittit, qui genuit; mittitur, quod genitum est." (Ibid. l. 4. c. 20.)

2. De convenientia visibilis missionis Spiritus* 41.** ***Sancti. — Eam succincte explicat *S. Thomas:* „Deus providet omnibus secundum uniuscuiusque modum. Est autem modus connaturalis hominis, ut per visibilia ad invisibilia manuducatur . . . Et ideo invisibilia Dei oportuit homini per visibilia manifestari. Sicut igitur seipsum Deus et processiones aeternas personarum per creaturas visibiles secundum aliqua indicia hominibus quodam modo demonstravit; ita conveniens fuit, ut etiam invisibiles missiones divinarum personarum secundum aliquas visibiles creaturas manifestarentur. Aliter tamen Filius et Spiritus Sanctus. Nam Spiritui Sancto, in quantum procedit ut amor, competit esse sanctificationis donum: Filio autem, in quantum est Spiritus Sancti principium, competit esse sanctificationis huius auctorem. Et ideo Filius visibiliter missus est tamquam sanctificationis auctor, sed Spiritus Sanctus tamquam sanctificationis indicium." (S. th. 1. p. q. 43. a. 7.)

Ad eandem convenientiam vel rationem visibilis mis- **42.** *sionis Spiritus Sancti declarandam* pertinent etiam plura, quae *S. Thomas* ibidem animadvertit ad obiecta respondens: „Spiritus Sanctus visibiliter dicitur esse missus, in quantum fuit monstratus in quibusdam creaturis sicut in signis ad hoc specialiter factis." (ad 2.) — „Licet illas creaturas visibiles tota Trinitas operata sit, tamen factae sunt ad demonstrandum specialiter hanc vel illam personam. Sicut enim diversis nominibus significatur Pater et Filius et Spiritus Sanctus, ita

etiam diversis rebus significari potuerunt; quamvis inter eos nulla sit separatio aut diversitas." (ad 3.) — „Personam Filii declarari oportuit ut sanctificationis auctorem, ut dictum est in corpore articuli. Et ideo oportuit, quod missio visibilis Filii fieret secundum naturam rationalem, cuius est agere, et cui competere potest sanctificari. Indicium autem sanctificationis esse potuit quaecunque alia creatura. Neque oportuit, quod creatura visibilis ad hoc formata esset assumpta a Spiritu Sancto in unitatem personae, cum non assumeretur ad aliquid agendum, sed ad indicandum tantum: et propter hoc etiam non oportuit quod duraret, nisi quamdiu perageret officium suum." (ad 4.)

43. *Denique ad convenientiam et rationem singularum missionum visibilium Spiritus Sancti explicandam* haec spectant, quae S. Thomas eodem loco disserit: „Non est de necessitate invisibilis missionis, ut semper manifestetur per aliquod signum visibile exterius: sed sicut dicitur 1. Cor. 12, 7: *Manifestatio Spiritus datur alicui ad utilitatem,* scilicet ecclesiae. Quae quidem utilitas est, ut per huiusmodi visibilia signa fides confirmetur et propagetur. Quod quidem principaliter factum est per Christum et per Apostolos secundum illud Hebr. 2, 3.: *Quae cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est.* Et ideo specialiter debuit fieri missio visibilis Spiritus Sancti ad Christum, ad Apostolos, et ad aliquos primitivos sanctos, in quibus quodam modo ecclesia fundabatur; ita tamen quod visibilis missio facta ad Christum demonstraret missionem invisibilem, non tunc, sed principio suae conceptionis ad eum factam. Facta autem est missio visibilis ad Christum in baptismo quidem sub specie columbae, quod est animal fecundum, ad ostendendum in Christo auctoritatem donandi gratiam per spiritualem regenerationem; unde vox Patris intonuit, Matth. 3, 17.: *Hic est Filius meus dilectus,* ut ad similitudinem Unigeniti alii regenerentur. In transfiguratione vero sub specie nubis lucidae ad ostendendam exuberantiam doctrinae, unde dictum est ibid. 17, 5.: *Ipsum audite.* Ad Apostolos autem sub specie flatus ad ostendendam potestatem

ministerii in dispensatione sacramentorum; unde dictum est eis, Ioan. 20, 23.: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Sed sub linguis igneis ad ostendendum officium doctrinae; unde dicitur, Act. 2, 4., quod *coeperunt loqui variis linguis.*“ (ad 6.)

Atque his ***simul absoluta est quaestio tota de missione divinarum personarum;*** quae enim sub hoc titulo insuper comprehendi solet tractatio de inhabitatione Spiritus Sancti vel divinarum personarum potius ad tractatum de gratia pertinet.

Thesis 9. **Eadem fidei veritas traditione comprobatur quae tum Patrum occidentalium necnon orientalium testimonio tum ex liturgiis atque conciliis variis manifesta est.**

Declaratio.

Ratio atque divisio demonstrationis. — Ex hi- 1.
storia ecclesiastica compertum est, ad saeculum quartum usque haereticos impugnationem dogmatis SS. Trinitatis restrinxisse fere ad personas Patris et Filii. Quare mirum non est, quod diligentior consideratio, clarior intelligentia, instantior praedicatio in ecclesia catholica ea aetate potissimum easdem personas spectabat; de persona autem Spiritus Sancti subtiliores disquisitiones non instituebantur, sed quod fontes revelationis de ea complectebantur, simplici fide tenebatur. Sane quidem Verbi divinitas nec impugnari nec propugnari potuit, quin consequenter doctrina de Spiritu Sancto, ut ex illa pendet, implicite ab haereticis impugnaretur atque a catholicis vindicaretur. Verumtamen saeculo quarto demum, quando ex Ariana haeresi doctrina de Spiritu Sancto enascebatur fidei catholicae penitus adversa, haec ipsa doctrina catholica expressam atque luculentiorem expositionem nacta est secundum celebre illud *Augustini* dictum: „Multa quippe ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius praedicantur: et ab adversario mota quaestio discendi existit occasio.“ (De

civit. Dei l. 16. c. 2.: cf. etiam Basilius. ep. 125.; Gregorius Naz., ep. 2. ad Cledon.: Athanasius, ep. ad Iovinian. imperat.) Quae cum ita sint, facile intelligitur, quamobrem in monumentis trium priorum saeculorum pauciora exstent testimonia de fide in processionem Spiritus Sancti ex Patre et Filio, atque eadem haec testimonia claritate atque perspicuitate a testimoniis subsequentium saeculorum satis superentur.

Iam demonstratio thesis quatuor gressibus absolvitur: i. e. *primo* doctrina Patrum occidentalium proponitur; *secundo* paulo fusius examinatur fides Patrum orientalium; *tertio* liturgiae antiquae in testimonium vocantur; *quarto* professiones antiquorum conciliorum exhibentur. — *Denique* in scholiis adiectis quaestiones quaedam connexae expediuntur.

Demonstratio.

2. ***1. Probatur ex fide Patrum occidentalium.*** — Apud Patres occidentales luculenta, universalis, instans dogmatis praedicatio invenitur inde praesertim a saeculo quarto et quinto, ex quo tempore ampliora monumenta supersunt: Itaque primus testis occurrit *Tertullianus*. Contendit quidem Petavius, perperam argumentum peti ex verbis: „Tertius est Spiritus a Deo et Filio“ (Adv. Praxeam c. 8.); atvero ipse Petavius deceptus est. Etenim integer textus ita habet: „omne quod prodit, non ideo tamen est separatum. Secundus autem ubi est, duo sunt. Et tertius ubi est, tres sunt. Tertius enim est Spiritus a Deo et Filio, ut tertius a radice fructus a frutice, et tertius a fonte rivus ex flumine... Nihil tamen a matrice sua alienatur, a qua proprietates suas ducit. Ita Trinitas per consertos et connexus gradus a Patre decurrens et monarchiae nihil obstrepit et oeconomiae statum protegit.“ Nimirum licet Tertullianus verbis illis immediato non processionem sed ordinem significet; ordinem tamen eum urget, quem in origine unius personae ab alia situm esse dicit. Ipse vero Petavius hoc alterum eiusdem Tertulliani testimonium probat: „Spiritum non aliunde puto, quam a Patre per Filium.“ (L. c. c. 4.)

Sequitur *Marius Victorinus,* de quo *S. Hieronymus* haec notat in libro de viris illustribus: „Scripsit adversus Arium libros more dialectico valde obscuros." Iam haec ille habet: „Duo ergo et isti, alius ex alio, ex Filio Spiritus Sanctus, sicut ex Deo Filius, conrationaliter et Spiritus Sanctus ex Patre. Quod omnia tria unum, Pater non silens silentium, sed vox in silentio; Filius iam vox, Paracletus vox vocis in omni veritate; non autem verum dicit a semet, Christus enim veritas; sed *quaecunque audiet, loquetur* . . . *Quoniam ex meo accipiet* . . . Dicit ergo: *ex meo accipiet,* quod una motio hoc est actio agens Christus est et Spiritus Sanctus; et primum est vivere, et ab ipso quod est vivere, intelligere, vivere quidem Christus, intelligere Spiritus; ergo Spiritus a Christo accipit, ipse Christus a Patre, et idcirco Spiritus a Patre." (Cont. Arian. l. 1.) Cum Spiritum Sanctum vocem vocis sive verbum verbi vel intelligere dicit, processionem quidem Spiritus Sancti a Filio asserit, non autem processionis modum explicare propositum habet. Etenim nomina ista denominationes sunt a termino desumptae, qui processionem in formali ratione missionis constituit: scilicet Spiritus Sanctus a Filio procedit communicatam accipiens divinam naturam atque in tempore omnem veritatem docturus vel docens.

Cum Mario Victorino aequalis fuit *S. Hilarius;* ipse 3.
quamvis in libris de Trinitate principaliter de consubstantialitate Filii cum Patre, de Spiritu Sancto vero nonnisi incidenter agat, luculentus tamen testis catholici dogmatis exstat. Et *primo* quidem docet, Spiritum Sanctum „Patre et Filio auctoribus esse confitendum" (De Trinit. l. 2. n. 29.); *deinde* Spiritum Sanctum „ex Patre per Unigenitum ipsius esse" (Ib. l. 12. n. 57.); *denique* data opera demonstrat, Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere, ut inde Patrem et Filium consubstantiales esse demonstret. Scilicet postquam illa duo incisa comparavit: *qui a Patre procedit* et: *quem ego mittam a Patre,* sic prosequitur: „Neque in hoc nunc calumnior libertati intelligentiae, utrum ex Patre an ex Filio Spiritum Paracletum putent esse, non enim in incerto Do-

minus reliquit. Nam sub iisdem dictis haec ita locutus est: *cum venerit ille Spiritus veritatis . . . non enim loquetur a semetipso . . . quoniam de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt; propterea dixi: de meo accipiet et annuntiabit vobis* (Ioan. 16, 13—15.). A Filio igitur accipit, qui et ab eo mittitur et a Patre procedit. Et interrogo, utrum id ipsum sit a Filio accipere, quod a Patre procedere. Quod si differre credetur inter accipere a Filio et a Patre procedere; certe id ipsum atque unum esse existimabitur accipere a Filio, quod sit accipere a Patre. Ipse enim Dominus ait: *quoniam de meo accipiet et annuntiabit vobis; omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt; propterea dixi: de meo accipiet.* Hoc, quod accipiet, sive potestas est sive virtus sive doctrina est, Filius a se accipiendum esse dixit, et rursum hoc ipsum significat accipiendum esse de Patre. Cum enim ait: omnia quaecunque habet Pater, sua esse et idcirco dixisse se, de suo accipiendum esse; docet etiam a Patre accipienda a se tamen accipi, quia omnia, quae Patris sunt, sua sunt. Non habet haec veritas diversitatem, nec differt, a quo acceptum sit, quod datum a Patre datum referatur a Filio . . . Quod unum ambo sunt (Pater et Filius), eiusdem in utroque per generationem nativitatemque divinitatis significatio est, cum id, quod accipiet a Patre Spiritus veritatis, id Filius dandum a se esse fateatur. Non permittenda itaque ad impiae intelligentiae libertatem haeretica perversitas est“ (L. c. l. 8. nn. 19. 20.)

4. *Luculentus testis dogmatis catholici exstat S. Ambrosius,* quippe qui iteratis vicibus clare et diserte veritatem catholicam confitetur: „Ipse solus est aeternus, quia initio et fine caret, id est Deus Pater, qui coaeternum sibi et coomnipotens genuit Verbum, cum quo Spiritum Sanctum produxit.“ (De symb. c. 1.) Et inferius: „Spiritus autem Sanctus vere Spiritus est, procedens quidem a Patre et Filio, sed non est ipse Filius, quia non generatur, neque Pater, quia procedit ab utroque, non genitus, non ingenitus, non factus“ (Ib. c. 3.). „Spiritus vero Sanctus, qui ab utroquo (i. e. Patre et Filio) procedit, nec ipse coepit“ (Ibid. c. 4.). „Spiritus quoque

Sanctus, cum procedit a Patre et Filio, non separatur a Patre, non separatur a Filio." (De Spiritu Sancto l. 1. c. 10.)

Imprimis luculenta est doctrina Augustini, utpote qui 5.
veritatem catholicam non solum proponit et ex scriptura probat, sed etiam illustrat internis rationibus adductis. Cum iam supra quaedam testimonia adducta sint, hoc loco pauca addere satis est. Itaque quaestionem declarans, ob quam Spiritus Sanctus non est Filius, hanc rationem reddit, quod Spiritus non a solo Patre, sed etiam a Filio procedit atque ideo non generatur: „De Patre est Filius, de Patre est Spiritus Sanctus, sed ille genitus, iste procedens; ideo ille est Filius Patris de quo est genitus, iste autem Spiritus utriusque, quoniam de utroque procedit. Sed ideo, cum de illo Filius loqueretur, ait: *de Patre procedit,* quoniam Pater processionis eius est auctor, qui talem Filium genuit, et gignendo ei dedit, ut etiam de ipso procederet Spiritus Sanctus. Nam nisi procederet et de ipso, non diceret discipulis: *Accipite Spiritum Sanctum,* eumque insufflando daret, ut a se quoque procedere significans aperte ostenderet flando, quod spirando dabat occulte. Quia ergo si nasceretur, non tantum de Patre nec tantum de Filio, sed de ambobus utique nasceretur, sine dubio Filius diceretur amborum; ac per hoc, quia Filius amborum nullo modo est, non oportuit nasci eum de ambobus. Quid autem inter nasci et procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest? . . . Satis sit ergo nobis, quia non est a seipso Filius, sed ab illo, de quo natus est; non est a seipso Spiritus Sanctus, sed ab illo, de quo procedit; et quia ab utroque procedit, sicut iam ostendimus, unde et Spiritus Patris dictus est (Rom. 8, 11.) et Spiritus Filii (Rom. 8, 9.); non enim duo sunt Spiritus Sancti, tamquam singuli singulorum, sed unus potius Patris et Filii." (Cont. Maximin. l. 2. c. 14. n. 2.) — Et alibi ex professo agens de Spiritu Sancto atque dogma catholicum plenissime describens haec disserit: „Qui potest intelligere sine tempore generationem Filii de Patre, intelligat sine tempore processionem Spiritus Sancti de utroque. Et qui potest intelligere in eo, quod ait Filius: *sicut habet Pater vitam in semetipso,*

sic dedit Filio vitam habere in semetipso (Ioan. 5, 26.) . . . ita eum sine tempore genuisse, ut vita quam Pater Filio gignendo dedit, coaeterna sit vitae Patris, qui dedit: intelligat, sicut habet Pater in semetipso, ut de illo procedat Spiritus Sanctus, sic dedisse Filio ut de illo procedat idem Spiritus Sanctus, et utrumque sine tempore; atque ita dictum Spiritum Sanctum de Patre procedere, ut intelligatur, quod etiam procedit de Filio, de Patre esse Filio. Si enim quidquid habet, de Patre habet Filius; de Patre habet utique, ut et de illo procedat Spiritus Sanctus . . . Quomodo ergo non absurdissime Filius diceretur amborum, cum sicut Filio praestat essentiam sine initio temporis, sine ulla mutabilitate naturae de utroque processio? . . . Pater enim solus non est de alio . . . Filius autem de Patre natus est, et Spiritus Sanctus de Patre principaliter, et ipso sine ullo temporis intervallo dante, communiter de utroque procedit . . . Non igitur ab utroque est genitus, sed procedit ab utroque amborum Spiritus.“ (De Trinit. l. 15. n. 47.) Denique aliis pluribus praetermissis veritatem catholicam processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio analogia quadam illustrat: „Amor hominis de scientia procedens et memoriam intelligentiamque coniungens, tamquam parenti prolique communis, unde nec parens intelligitur esse nec proles, habet in hac imagine aliquam, licet valde imparem, similitudinem Spiritus Sancti.“ (De Trinitate l. 15. n. 43.) Scilicet sicut ex mente et verbo simul, quo informata est, tamquam ex parente et prole procedit dilectio, ita ex Patre et Verbo divino procedit amor substantialis, Spiritus Sanctus.

6. *S. Fulgentius presse S. Augustinum sequitur atque doctrinam catholicam clarissime proponit atque defendit.* Ex pluribus testimoniis tria adnotare sufficit. *Imprimis* in libro ad Petrum inter quadraginta capitula, quae tamquam firmissima fide ab omnibus catholicis amplectenda et sub poena exclusionis ab ecclesia inviolabiliter retinenda recenset, undecimum ita habet: „Firmissime tene et nullatenus dubites, eundem Spiritum Sanctum qui Patris et Filii unus Spiritus est, de Patre et Filio procedere. Dicit enim Filius: *cum*

venerit Spiritus veritatis, qui a Patre procedit, ubi suum Spiritum esse docuit, quia ipse est veritas. De Filio quoque procedere Spiritum Sanctum, prophetica atque apostolica nobis doctrina commendat." (n. 52.) — *Deinde* in libro contra Fabianum, qui explicationem singulorum articulorum fidei continet, circa articulum: credo in Spiritum Sanctum haec animadvertit: „Confitemur nos credere in Spiritum Sanctum, qui est unus Spiritus Patris et Filii, de Patre Filioque procedens. in Patre Filioque naturaliter manens, de Patre ac Filio habens divinitatis originem, cum Patre ac Filio unius Deitatis habens naturaliter veritatem." (L. c.) — *Denique* Felici notario catholico declarans, quomodo de s. Trinitate, quae Deus est, credere debeat, haec asseverat: „Pater a nullo est genitus, Filius a Patre est genitus, Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedens est . . . Non est diversa Patris et Filii et Spiritus Sancti essentia; quod si esset, nec veraciter Filius a Patre gigneretur, nec Spiritus Sanctus a Patre Filioque procederet. Sed quia verus est Filius, id est de essentia Patris genitus, verus est et Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedens. Quodsi Filius aut Spiritus Sanctus alterius generis (i. e. naturae) sunt, quam Pater, nec Filius veraciter Patris est, quem extraneum facit differens essentia; similiter nec Spiritus Sanctus a Patre Filioque procederet, quod dementis est dicere, quia sancta scriptura et Filium a Patre genitum et Spiritum Sanctum a Patre procedentem fideli manifestat narratione." (L. c.) Quibus verbis Fulgentius intimam rationem reddit, ob quam Spiritus Sanctus etiam a Filio procedit; scilicet secus Filius Patri non esset consubstantialis.

Denique de eadem fide ceteri vel subsequentes Patres testantur. Ita v. g. *Leo Magnus* declarat, „alium esse, qui genuit, alium qui genitus est, alium qui de utroque processit." (Ep. 93.) Et *Gennadius Massiliensis*, scribit: „Credimus unum esse Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum: Patrem eo quod Filium habeat; Filium eo quod Patrem habeat; Spiritum Sanctum eo quod sit ex Patre Filioque procedens." (De eccles. dogmat. c. 1.) *Vigilius Tapsensis* in- 7.

culcat: „Audi manifestius: proprium Patris esse, genuisse: et proprium Filii, natum fuisse; proprium vero Spiritus Sancti, procedere de Patre Filioque." — *Hormisdas P.* ad Iustinum imperatorem scribit: „Notum est, quia proprium est Patris, ut generaret Filium: proprium Filii Dei, ut ex Patre nasceretur aequalis; proprium Spiritus Sancti, ut de Patre et Filio procederet sub una substantia Deitatis." (Ep. 79.) Denique *Gregorius P. M.* declarat Spiritus Sancti missionem ipsam processionem esse, „qua de Patre procedit et Filio" (Hom. 26. in evang.).

Atque his de fide Patrum latinorum ita constat, ut de eadem nonnisi absurde prorsus dubitatio moveri possit. Eo ipso autem dogma catholicum invicte demonstratum est. Etenim ut ex tractatu de verbo Dei revelato constat Patrum occidentalium fides universalis omnium Patrum est fides; fides vero universalis omnium Patrum totius ecclesiae fides est; haec vero erronea esse non potest.

8. ***2. Ex doctrina Patrum orientalium.*** — Nihilominus etiam Patrum orientalium fides inquirenda est, et luculenter apparebit, neque in ipsis pro Photianis ullum restare praesidium; unde magis etiam veritas catholica splendebit.

1) Et primo quidem Patres orientales expressis verbis catholicam fidem profitentur. — Eiusmodi fidei testimonia vel apud ipsos Patres antenicaenos non desunt. Audiatur v. g. primo *Origenes,* qui declarans Spiritum Sanctum non esse Filium, quia non a solo Patre procedit, haec notat: „Sed solus Unigenitus (i. e. genitus a solo Patre, quemadmodum etiam alii Patres orientales, ut Gregorius Thaumaturgus et Basilius hoc nomen interpretantur) a principio est natura Filius, ad quam necessaria relatione refertur Spiritus Sanctus, cum Filius hypostasi Spiritus Sancti subministret non solum, ut sit, sed ut sit sapiens et intellectualis et iustus et quidquid eum intelligere oportet." (Tom. 2. in Ioan. n. 6.) — Similiter *Dionysius Alex.,* Origenis discipulus: „Filius non separatur a Patre . . . in manibus autem illorum est Spiritus, qui neque a mittente (Patre) neque a ferente (Filio) separari potest." (Apud Athanasium, de sententia Dionysii n. 17.) —

Item *Apollinarius*: „Confitemur unum Deum verum . . . et unum Filium Deum de Deo vero et unum natura et veritate Spiritum Sanctum omnes sanctificantem et deificantem, qui exsistit ex substantia Dei per Filium" (In spicilegio Cardin. Mai t. X, parte 2. p. 148.). — Clarius adhuc et expressius alter Origenis discipulus *Gregorius Thaumaturgus* de fide catholica testatur in symbolo, de quo iam superius dictum est: „Perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti, unus Dominus, solus ex solo, Deus de Deo, figura et imago Deitatis." Scilicet si Filius solus ex solo Patre est, ergo Spiritus Sanctus ex Patre et Filio, ut argumentati sunt Epiphanius (haer. 73.) aliique Patres orientales. Confirmatur alio eiusdem symboli loco, ubi directe de Spiritu Sancto sermo est: „Unus Spiritus Sanctus, ex Deo substantiam habens, et qui per Filium apparuit; imago Filii perfecti perfecta . . . Trinitas perfecta . . . Neque itaque defuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus Sanctus, sed invertibilis et immutabilis eadem Trinitas semper." De quo testimonio cf. Franzelin thes. 35. n. I.

Multo adhuc clariorem et luculentiorem catholicae fidei 9
testificationem exhibent Patres aetatis subsequentis. Imprimis non obscure loquitur *S. Athanasius:* „Neque Spiritus coniungit Verbum Deo Patri, sed imo Spiritus accipit a Verbo . . . Ipse enim, sicut dictum est, dat Spiritui (al. Spiritum), et quaecunque habet Spiritus a Verbo habet . . . Nos vult Spiritum accipere, ut per Spiritum Verbi quod est in Patre, videamur et nos unum fieri per Spiritum in Verbo, et per ipsum in Patre . . . Censebimur unum fieri in Patre et Filio per habitantem in nobis Spiritum, qui est in Verbo, quod est in Patre." (Cont. Arian. serm. 3. n. 24. 25.) Et alibi: „Qualem enim cognovimus proprietatem esse Filii ad Patrem, eandem Spiritum ad Filium habere reperiemus. Et quemadmodum Filius dicit: omnia quaecunque habet Pater, mea sunt, ita haec omnia per Filium etiam in Spiritu esse deprehendemus. Ac sicut Pater ostendit Filium his verbis: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ita Spiritus est Filii; misit enim, ait Apostolus, Spiritum Filii

sui . . . Sane ergo, si Filius ob suam proprietatem ad Patrem et quia eius substantiae est proprium genimen, non est creatura, sed Patri consubstantialis: sic nec Spiritus Sanctus creatura fuerit ab suam proprietatem ad Filium, et quia ex ipso datur omnibus, et quae habet, Filii sunt." (Ep. 3. n. 1.) Ibidem paulo inferius: „Unguentum et signaculum Spiritus Sanctus est et dicitur . . . Hoc unguentum spiramen est Filii . . . Porro quatenus est signaculum exprimit Filium, ita ut quod signatur, Christi formam habeat . . . Quod si Spiritus bonus odor et forma Filii est, constat Spiritum non esse creaturam." (n. 3.) Denique iterum alibi: „Propterea ait David: *quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.* Noverat enim, apud Patrem Filium esse fontem Spiritus Sancti." (De incarnat. c. Arian. n. 9.)

10. *S. Epiphanii* quoque praeclara atque dilucida testimonia exstant, ex quibus aliqua afferenda sunt: „Spiritus Sanctus aeternus, non genitus, non creatus, non frater, non patruus, non avus, non nepos, sed ex eadem essentia Patris et Filii Spiritus Sanctus; spiritus enim est Deus . . . Est enim Spiritus Dei et Spiritus Patris et Spiritus Filii, non secundum aliquam compositionem, ut in nobis est anima et corpus, sed est in medio Patris et Filii, ex Patre et Filio, tertius appellatione." (Ancorat. 7. 8.) „Cum Christus credatur Deus ex Deo, et Spiritus ex Christo sive ambobus, ut Christus his verbis asserit: *Qui a Patre procedit* et: *Hic de meo accipiet* . . ." (Ib. n. 67.). Itaque sicuti Christus sive Filius ex Patre, ita Spiritus ex Filio non excluso tamen Patre. Et alibi: „Non alienus est a Patre et Filio, sed ex eadem substantia, ex eadem divinitate, ex Patre et Filio, cum Patre et Filio, subsistens semper Spiritus Sanctus." (Haer. 62. n. 4.) Denique ibidem inferius: „Igitur, si *a Patre procedit*, et *de meo*, ut ait Dominus, *accipiet;* quemadmodum nemo novit Patrem, nisi Filius, neque Filium nisi Pater, ita dicere audeo, neque Spiritum, nisi Pater et Filius, a quo procedit et a quo accipit; et neque Filium ac Patrem, nisi Spiritus Sanctus, qui vere glorificat, qui docet omnia, qui testatur de Filio, qui a Patre et ex Filio." (Ibid. 74. n. 9.)

Gregorii Nysseni quoque expressa exstant testimonia, 11.
ut v. g.: „Ut Patri coniunctus est Filius, et cum ex illo esse habeat, non posterius tamen existit, sic etiam Spiritus Sanctus proxime haeret Filio, qui sola cogitatione secundum rationem principii prius consideratur productione Spiritus. Nam temporum intervalla in illa vita, quae omne saeculum praecedit, locum non habent, adeo, ut detracta principii ratione, nulla re sancta Trinitas a seipsa dissideat" (Contra Eunom. l. 1. in fine.). Quibus *primo* Filium diserte tamquam principium Spiritus Sancti exhibet; *secundo* virtute idem enuntiat declarans sublata principii ratione nullam in Trinitate esse differentiam. — Aliud testimonium, cuius variae exstant lectiones adducitur, vindicatur atque in argumentum adhibetur a Cardin. Franzelin, th. 35. n. III, 5.

Aperta etiam *Didymi Alexandrini* testimonia exstant. 12.
Et *primo* quidem declarans verba: *Non enim a semetipso loquetur*, scribit: „Hoc est non sine me et Patris arbitrio quia inseparabilis a mea et Patris est voluntate. Quia non ex se, sed ex Patre et me est. Hoc enim, quod subsistit, a Patre et me illi est" (De Spiritu S. l. 2.). *Deinde* explicans, quid sit Filium loqui et Spiritum Sanctum audire haec notat: „Spiritus quoque Sanctus, qui est Spiritus veritatis, spiritusque sapientiae, non potest, Filio loquente, audire, quae nescit, cum hoc ipsum sit, quod profertur a Filio, id est procedens a veritate, consolator manans de consolatore, Deus de Deo, Spiritus veritatis procedens" (Ibid.).

Plura etiam *Cyrilli Alexandrini* exstant manifesta prorsus 13.
testimonia; satis sit adducere tria: Itaque *primo* in opere thesaur. in capite inscripto: „Ex substantia Patris et Filii esse Spiritum Sanctum" haec notat: „Cum igitur Spiritus Sanctus in nobis existens conformes nos efficiat Deo, procedat autem ex Patre et Filio, perspicuum est, divinae ipsum esse substantiae, substantialiter in ipsa et ex ipsa procedentem, quemadmodum utique flatus ille, qui ex ore hominis excurrit" (l. c. l. 34.). *Deinde* alibi: „Mutabilis autem nullo modo Spiritus est, aut si mutationis morbo laborat, ad ipsam Dei naturam haec labes pertinebit; si quidem est Dei et

Patris et Filii ille, qui substantialiter ex utroque, nimirum ex Patre per Filium profluit Spiritus" (De adorat. l. 1.). *Denique* iterum alibi, postquam dixit, Spiritum Sanctum esse Spiritum Christi ipsiusque mentem atque ideo omnia nosse, quae in ipso sunt, haec subdit: „Itaque tamquam sciens ea, quae in voluntate sunt Unigeniti, omnia nobis nuntiat, non eam habens ex disciplina notitiam, ne ministri partes obire videatur et alterius deferre sermones, sed tamquam ipsius Spiritus, uti modo dicebamus: et nullo docente sciens omnia, quae sunt eius, ex quo et in quo est, divina sanctis mysteria patefacit" (In Ioan. l. 10.).

14. Denique celeberrimum est *testimonium Basilii*, quod exstat in l. 3. cont. Eunomium. Ab initio huius libri haec Eunomii verba ponit: „Cum vero haec de Unigenito dicta sufficiant, consequens est, ut de Paracleto deinceps agamus, non ut citra examinationem multorum sequamur opinionem, sed ut Sanctorum in omnibus doctrinam teneamus, a quibus, cum dignitate et ordine tertium ipsum esse didicerimus, etiam natura tertium esse credimus." Ad quae Basilius respondet: „Cum multorum opinionem contemnat, qua Spiritum Sanctum glorificant, Sanctorum se doctrinam tenere simulat, et qui eam sibi tradiderint, etiam nunc tacet, quemadmodum et in iis sermonibus, quos de Unigenito instituit, fecisse probatus est. Deinde dicit, se a Sanctis quidem didicisse, tertium illum esse ordine ac dignitate, per se vero credidisse, etiam tertium esse natura. At quinam isti Sancti sint quibusve libris eam doctrinam mandaverint, non potest dicere. Fuitne homo sic audax, qui de divinis dogmatibus novitates induceret? Quid enim necesse est si dignitate (ἀξιώματι) et ordine tertius est Spiritus Sanctus, tertium ipsum esse natura. Nam dignitate secundum esse a Filio, *ut qui esse ab illo habeat, et ab ipso accipiat, et annuntiet nobis, et omnino ex illa causa pendeat* (hoc incisum causale subsignatum fraude Graecorum in nonnullis codicibus deerat) pietatis sermo (in iisdem codicibus hic adiicitur: fortasse) tradit, verum tertiam usurpare naturam, neque a sacris litteris edocti sumus, neque ex supradictis consequenter potest colligi. Nam ut Filius

ordine quidem est secundus a Patre, quoniam ab eo est, et dignitate, quoniam principium et causa existendi ipsi Pater est, tum quod per ipsum accessus est et introductio ad Deum et Patrem; natura vero non est secundus, quia una est in utroque divinitas. Eodem modo Spiritus Sanctus, etsi posterior Filio est ordine ac dignitate (in iisdem illis codicibus hic adiicitur: ‚ut hoc omnino concedatur a nobis') non tamen perinde id, tamquam alienae naturae sit, habebit" (Cont. Eunom. l. 3.). En praeclarum profecto et perspicuum magni Basilii testimonium! Fraudis vero Graecorum modo supra memoratae testem habemus *Bessarionem*. Nimirum ipse narrat, ‚cum concilio florentino peracto Constantinopolim rediisset examinantem se fere omnes codices monasteriorum illic existentium invenisse, codices quidem recentiores et controversia cum Latinis posteriores ita habuisse, ut in concilio florentino Marcus Ephesinus Graecus legendum esse contenderit, vetustiores autem et eadem controversia priores lectionem habuisse, ut eam Latini defenderint. Deinde vero factum refert, *lacrymis et admiratione dignum*, ut ipse dicit. Scilicet quidam in codice vetustissimo abraserat verba illa Basilii: „ut qui esse ab illo habeat et ab ipso accipiat, et annuntiet nobis, et omnino ex illa causa pendeat"; verumtamen vilissima fraus deceptori non successit; addit enim *Bessarion*: „cum enim locus vacuus sit, ipsaeque syllabae dimidie adhuc appareant, et audaciam illius arguunt et veritatem ipsam nihilominus clare exprimunt."

2) *Patres graeci frequenter aliis testimoniis eandem* 15. *veritatem aequivalenter vel implicite tradunt.* — Multa hic atque innumera fere testimonia adduci possunt; verum ad principia quaedam facile reducuntur atque aliqua seligere atque proponere satis erit.

a) Ex SS. Patrum mente, sicut ex scripturae doctrina inter personas divinas *ordo exstat omnino ratus atque fixus*, ita ut Pater persona divinitatis sit prima, Filius altera, Spiritus Sanctus tertia. Huc spectat etiam illud, quod de catena logica et ontologica tradunt, qua divinae personae mutuo se excipiunt; quod v. g. Spiritus Sanctus nec concipi nec esse

possit sine Filio, quod Spiritu Sancto apprehenso apprehendantur etiam Filius et Pater etc. Iamvero cum hoc ordine connexum est, Spiritum Sanctum non solum a Patre, sed etiam a Filio procedere; Ergo. Quod argumentum iam supra ex scripturis derivatum et Patrum etiam graecorum testimoniis munitum est.

16. b) Patres docent, *Filium Spiritu Sancto ἀξιώματι sive dignitate esse maiorem.* Quae assertio v. g. continetur testimonio Basilii quod modo supra allegatum est; similis vero legitur apud *Athanasium:* „Et haec quidem Dominus ad Iudaeos tamquam homo loquebatur: at discipulis suam divinitatem maiestatemque ostendens. non iam se Spiritu minorem, sed maiorem et aequalem esse significans dabat ipse Spiritum et dicebat: Accipite Spiritum Sanctum, ego illum mitto, ille me glorificabit.“ (Orat. 2. cont. Arian.) Iamvero haec assertio implicite continet professionem processionis Spiritus Sancti a Filio. Nimirum apertum est, dignitatis, quae Filio prae Spiritu Sancto convenire dicitur, rationem aliunde derivari non posse nisi ex relatione inter principium et principiatum, quae Filium cum Spiritu Sancto connectit. Quacunque enim alia ratione Spiritum Sanctum non eandem quam Filius naturam habere efficeretur. Ceterum Basilius id in testimonio allegato disertis verbis enuntiat.

17. *Excipi quidem potest* ex aliis scriptoribus graecis, utpote qui nullam esse dignitatis differentiam inter Filium et Spiritum Sanctum inculcant. — Verum facile respondetur; etenim hi scriptores contra Arianos disputantes non eam prae oculis habent dignitatem, quae citra perfectionis absolutae inaequalitatem solum ratione originis existit, sed eam, quae eiusdem perfectionis absolutae inaequalitatem includit; quare non tantum negant, Filium ἀξιώματι maiorem esse Spiritu Sancto, sed etiam Patrem Filio esse maiorem.

18 c) Patres graeci frequenter docent, *Patrem per Filium* διὰ τοῦ υἱοῦ *producere Spiritum Sanctum,* vel Spiritum Sanctum esse a Patre per Filium, vel denique, quod iterum eodem redit, Spiritum Sanctum a Patre non immediate procedere, sed mediate et interveniente Filio, a quo proxime

oriatur. Ita v. g. *Gregorius Nyssenus* haec scribit: „Et eius, quod est ex principio, rursus aliud discrimen intelligimus. Nam aliud est proxime ex primo (προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου), aliud per id, quod est proxime ex primo (διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου), ut et Unigeniti proprietas sine ambiguitate maneat in Filio, et ex Patre Spiritum esse non dubium sit, cum Filii interpositio proprietatem ipsi servet Unigeniti, et Spiritum a naturali, quam ad Patrem habet, habitudine non excludat.“ (Ep. ad Adlab.) Et *Athanasius:* „Quemadmodum Filius dicit: Omnia, quae Patris sunt, mea sunt, ita haec omnia per Filium etiam in Spiritu esse reperiemus.“ (Ep. 3. ad Serap.) *Basilius:* Naturalis bonitas et essentialis sanctitas et regalis dignitas a Patre per Unigenitum in Spiritum permanat.“ (De Spiritu S. c. 18.) *Cyrillus A.:* „Cum Spiritus naturaliter per Filium procedat, ut proprius eius Spiritus, cum omnibus, quae perfecte habet, accipere dicitur, quae sunt Filii.“ (In Ioan. l. 4.) Denique *Maximus* dicit, Patrem esse principium Spiritus Sancti, „sed per Verbum intermedium.“ (In lib. quaestion. et dubior. q. 34.)

Iam his loquendi formulis Filium tamquam principium 19.
Spiritus Sancti exhiberi manifestum sane est; merito autem quaeritur, *num igitur Spiritus Sanctus immediate et proxime a Filio, a Patre vero solum mediate et remote procedat.* Ad explicandam rem confert haec *S. Thomae* declaratio: „Omne medium aliquo modo distinguitur ab his, inter quae medium dicitur. Cum autem in spiratione Pater et Filius sint duo spirantes, in quantum sunt unum in potentia spirativa, possumus loqui de actu spirationis per comparationem ad ipsos spirantes, vel ad principium spirandi, sicut virtute cuius fit spiratio. Si autem consideremus ipsum principium, scilicet potentiam spirativam, cum in hoc non distinguantur Pater et Filius, non potest dici spiratio esse a Patre mediante Filio. Si autem consideremus ipsos spirantes, qui distincti sunt, et secundum hoc praebent suppositum spirationi, sic est ibi mediatio, secundum quod est ibi ordo naturae, quia Filius est ex Patre, et Spiritus Sanctus simul a Patre et Filio. Unde dicit Richardus, quod generatio in divinis est a Patre imme-

diate, sed processio Spiritus Sancti quodammodo est mediate et quodammodo est immediate. Immediate quantum ad virtutem spirativam, quae est una Patris et Filii, et iterum quantum ad ipsum suppositum Patris, quod immediate est principium processionis, quia ipse simul et Filius spirant; mediate, in quantum Filius, qui spirat, est a Patre." (In 1. s. d. 12. a. 3.) Obiectioni vero, Spiritum Sanctum igitur a Patre solum mediante Filio oriri, sic occurrit: „Per hoc, quod dicitur, Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium, designatur auctoritas in Patre respectu Filii, quia Filius habet a Patre, quod Spiritum Sanctum spiret. Ex hoc autem non ponitur mediatio aliqua nisi ex parte suppositorum, quae distinguuntur per hoc, quod unum est ab alio, ratione cuius in uno est auctoritas respectu alterius." (Ibid.) Denique alibi rem simul comparatione aliqua illustrat: „In qualibet actione est duo considerare: scilicet suppositum agens et virtutem qua agit, sicut ignis calefacit calore. Si igitur in Patre et Filio consideretur virtus qua spirant Spiritum Sanctum, non cadit ibi aliquod medium, quia haec virtus est una et eadem. Si autem considerentur ipsae personae spirantes, sic cum Spiritus Sanctus communiter procedat a Patre et Filio, invenitur Spiritus Sanctus immediate a Patre procedere, in quantum est ab eo; et mediate in quantum est a Filio; et sic dicitur a Patre procedere per Filium; sicut etiam Abel processit immediate ab Adam, in quantum Adam fuit Pater eius; et mediate, in quantum Eva fuit mater eius, quae processit ab Adam; licet hoc exemplum materialis processionis ineptum videatur ad significandam immaterialem processionem divinarum personarum." (S. th. 1. p. q. 36. a. 3. ad 1.) —

20. Itaque loquendi formula, *Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium*, nequaquam negatur, ipsam spirationem a Patre esse aeque immediate ac proxime, atque a Filio, cum in virtute spirandi Pater et Filius unum idemque sint ideoque una et indivisibilis utriusque spiratio sit oportet; sed illud tantum significatur, Patrem spirare virtute spirandi non incommunicata, sed per generationem communicata Filio ita, ut in hac ipsa virtute spirandi ab invicem distincti non sint. Vel etiam

illa formula declaratur, Patrem prius prioritate a quo originem dare Filio quam Spiritui Sancto adeo, ut inter Patrem et Spiritum necessario intersit Filius, sine quo prius generato atque etiam spirante Pater Spiritum Sanctum spirare non posset. Quare omnino dicendum est, formulas, alteram: Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio, et alteram Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium idem quidem, sed alio modo significare; vel quod una directe significatur, altera nonnisi indirecte significat. Nimirum quando dicimus. Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio directe unitatem principii significamus, indirecte vero per ipsa nomina Patris et Filii ordinem originis inter Patrem et Filium, quo hic spirat virtute spirativa sibi a Patre una cum natura divina communicata. Per alteram vero formulam, sc. Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium, directe significatur ordo originis inter personas, in quibus spiratio activa subsistit, indirecte autem unitas principii, quia scilicet et Pater et Filius Deus est. Etenim subordinatio, quam in ista formula praepositio *per* innuere videri possit, nec esse nec concipi potest alia, quam subordinatio originis ratione dignitatis, quam principium prae procedente a principio habet; quare spiratio, quae a Patre per Filium esse dicitur, necessario tamquam unica concipitur, quae in Patre quidem incommunicata est, in Filio vero communicata.

Hunc vero, qui modo explicatus est, genuinum esse sensum formulae, Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium, ex ipso usu eiusdem formulae apud Patres manifestum est. Etenim *primo* utraque formula tum a Latinis tum a Graecis promiscue adhibetur. Sic ex parte Latinorum v. g. *Tertullianus* scribit: „Spiritum non aliunde puto quam a Patre per Filium." (Cont. Prax. c. 4.) Et *Hilarius:* „Patrem te nostrum, Filium tuum una tecum adorem, Spiritum Sanctum tuum, qui ex te per Unigenitum tuum est, promerear." (De Trinit. l. 12. n. 57.) Ex parte vero Graecorum v. g. *Epiphanius* saepe dicit: Τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ. (Ancorat. nn. 8. 9. 11.) Item *Cyrillus A.* (v. g. thesaur. ass. 34) et alii Patres graeci, ut iam constat ex testimoniis supra relatis. 21.

22. *Praeterea* vero Patres graeci disertis verbis declararunt: si Pater aliquid per Filium facere dicatur, id solum significari, Patrem esse principium sine principio, Filium vero principium principiatum. Ita v. g. *Basilius* (De Spiritu Sancto c. 8. n. 21.) et *Chrysostomus:* „Si *per ipsum* dicitur, id ob nullam aliam causam positum est, quam ne quis Filium ingenitum esse suspicetur." (Homil. 5. in Ioan. n. 2.)

23. *Denique* idem elucet egregie ex comparationibus, quibus Patres graeci processionem Spiritus Sancti ex Patre per Filium illustrarunt; scilicet: Pater est sol, Filius radius, Spiritus splendor; Pater fons, Filius fluvius, Spiritus rivus; Pater scaturigo, Filius fons, Spiritus aqua; Pater radix, Filius frutex, Spiritus fructus; Filius flos, Spiritus odor ex flore; Filius mel, Spiritus dulcedo; Filius ignis, Spiritus calor; Filius aqua, Spiritus refrigeratio; Filius os Patris, Spiritus ex ore halitus; Filius mens Patris et sapientia Patris et veritas Patris veri, Spiritus ex mente et Spiritus sapientiae et spiritus veritatis; Filius vita, Spiritus virtus ipsius Filii. (Cf. Hergenröther, animadvers. in Photii mystag. §. 2. n. 6.) — Quare concilium florentinum sollemniter statuit: „Declarantes, quod id, quod SS. Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur Filium esse secundum graecos quidem causam, secundum latinos vero principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem. Et quoniam omnia, quae Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem, hoc ipsum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo etiam aeternaliter genitus est." (Denz. n. 586.) Cf. ***Bessarion,*** de processione Spiritus Sancti apud Arcadium, opuscula aurea theologica 321. ss.

24. d) Cum formula loquendi modo explicata alia cohaeret ita, ut fere idem significet. Nimirum Patres Graeci nonnunquam verbis vel disertis vel aequivalentibus docent, ***Spiritum Sanctum referri ad Patrem tamquam ad*** αἰτίαν προκαταρκτικήν (i. e. fere principem vel principalem vel primordialem causam), sicut etiam quoad creaturas tamquam causa primor-

dialis consideranda est, quae per Filium operetur. Iamvero vocabulum αἰτίας προκαταρκτικῆς vim significandi relativam habet ideoque adsignificat aliam causam, quae sit αἰτία καταρκτική, causa nempe ex causa, vel principium ex principio; quod etiam expressis verbis notant SS. Patres, ut v. g. *Basilius:* „Quod Pater per Filium creat, id neque imperfectam exhibet Patris operationem neque infirmam ostendit Filii virtutem, sed declarat unitatem voluntatis, ita ut particula *per* confessionem habeat causae primordialis: τῆς προκαταρκτικῆς αἰτίας." (De Spiritu Sancto c. 8.). Si igitur Pater ad Spiritum Sanctum refertur ut αἰτία προκαταρκτική, alia exstat Spiritus Sancti αἰτία, quae sit eiusdem Spiritus Sancti principium ex principio; nulla vero praeter Filium esse potest. — Quod hac ratione Patres graeci docent, quoad rem idem prorsus est cum ratione, quam affert *Augustinus* declarans cur Spiritum Sanctum principaliter de Patre procedere dixerit: „Ideo, ait, dixi principaliter, quia et de Filio Spiritus Sanctus procedere reperitur: sed hoc quoque illi Pater dedit, non iam existenti et nondum habenti, sed quidquid Unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo donum commune procederet et Spiritus Sanctus donum esset amborum." (De Trinit. l. 15. c. 16.)

Huc spectant etiam aliae rationes loquendi frequenter a 25.
Patribus graecis adhibitae, scilicet quod Pater vocatur „ἀρχὴ καὶ πηγὴ θεότητος, quae in Filio et Spiritu Sancto est" (*Basilius* ep. 38.) necnon πρώτη αἰτία καὶ ἀρχὴ θεότητος τῆς ἐν υἱῷ καὶ πνεύματι θεωρουμένης (*Gregorius Naz.*, orat. 29.; *Zacharias Mitylenaeus,* de opificio mundi) atque tandem γεννήτωρ καὶ προβολεύς (*Gregorius Naz.* orat. 35.). — Imo vero eadem ratione et eodem sensu accipiendum est, quod inde a saeculo 7. praesertim aliqui Patres graeci vocabula αἰτία, ἀρχή et particulam ἐξ ad solum Patrem restringunt adeoque Filio rationem principii relate ad Spiritum Sanctum denegare videntur. Nimirum vocabula αἰτία, αἴτιον, ῥίζα, πηγή, ἀρχή, κορυφή et alia affinia (particula ἐξ inclusa) quandoque adhibentur, non ad designandum id, quod est causa vel principium simpliciter, sed ad exprimendam

causam primordialem, quae non ex causa, sed principium ἄναρχον est. Talis vero causa seu tale principium sane non Filius, sed solus Pater est. — Quae cum ita sint, clare intelligitur eiusmodi dicta Patrum a Photianis inepte contra catholicam doctrinam urgeri. Nominatim *S. Ioannem Damascenum*, testimoniis, quae maxime opponunt, catholicam fidem non negare, sed profiteri satis manifestum est: „Patrem, ait, ex aliquo esse non dicimus, sed ipsum Filii Patrem appellamus; Filium item nec causam (αἴτιον) nec Patrem dicimus, verum potius eum ex Patre esse ac Patris Filium. Denique Spiritum Sanctum et ex Patre esse et Patris Spiritum dicimus; ex Filio vero Spiritum non dicimus, Filii tamen Spiritum appellamus; si quis enim Spiritum Christi non habet, ait divinus Apostolus, hic non est eius; et per Filium apparuisse nobisque communicari profitemur. Insufflavit enim, inquit, et dixit discipulis suis: *Accipite Spiritum Sanctum*. Perinde ut in sole quidem est et radius et splendor; ipse enim fons est radii et splendoris, atque per radium splendor nobis communicatur." (De fide orthodoxa l. 1. c. 8.) Quae reipsa sensu explicato accipienda esse etiam aliis eiusdem Doctoris testimoniis confirmatur: „Novi, Patrem esse solum superessentialem . . . ipse est Verbi abyssus, genitor Verbi et per Verbum productor manifestantis Spiritus . . . Spiritus Sanctus est absconditorum Deitatis manifestans virtus Patris, ex Patre quidem per Filium procedens . . . Spiritus Patris, utpote ex Patre procedens; nullus enim motus (vitalis vel actus voluntatis) est sine Spiritu. Et Filii Spiritus est, non quod ex ipso sed quod per ipsum ex Patre procedit; solus enim Pater causa (i. e. primordialis) est" (De divin. nominibus). „Spiritus Sanctus est ex Patre per Filium et Verbum procedens, non tamen filiationis modo . . . Si enim Spiritus Filius Filii est, habebit et ipse Filium, et ille alium et sic in infinitum" (Ep. ad Iordan. n. 28.; cf. dial. cont. Manich. n. 5.).

26. e) Illis quoque doctrina catholica de processione Spiritus Sancti continetur, quae SS. Patres docent *de proprietatibus quibus singulae divinae personae constituuntur et distin-*

guuntur. Et *Patris* quidem duas eiusmodi proprietates assignant: alteram negantem, qua distinguitur tantum, ἄναρχος est; alteram, qua etiam constituitur, atque haec in ipsa paternitate continetur; ita v. g. *Basilius* (ep. 38.). Itaque inter Patrem et Filium omnia sunt communia, duobus his exceptis, quod Pater ἄναρχος sit, et quod vere Pater sit. Si igitur Filio excluso, Pater solus principium Spiritus Sancti esset, id inde esset, quod ἄναρχος est, vel inde, quod Pater est; atqui primum dici nequit, quia illa proprietate nulla originis habitudo designatur; neque dici potest alterum, quin Spiritus Sanctus procedens Filius esse asseratur. Nimirum Spiritus Sanctus aut ex Patre Filioque procedit, aut cum Filio confunditur.

Tamquam *Filii* proprietates exhibentur, quod ex una 27.
parte μόνος μονογενῶς ἐκ τοῦ ἀγεννήτου φωτός effulgeat (*Basilius* l. c.) vel quod μόνος ἐκ μόνου sit (*Gregorius Thaumaturgus*, in symb. fid.); et ex altera parte, quod δι' ἑαυτοῦ καὶ μεθ' ἑαυτοῦ notum faciat Spiritum Sanctum ex Patre procedentem. Iamvero cum utraque nota iterum processio Spiritus Sancti ex Filio connexa esse intelligitur: *cum prima*, quia Filius μόνος μονογενῶς sive μόνος ἐκ μόνου non procederet, si Spiritus Sanctus quoque ἐκ τοῦ μόνου πατρός prodiret. — Similiter *cum altera* connectitur, quia idem est Filium per sese ac secum notum facere Spiritum Sanctum, quam eundem spirare Spiritum Sanctum; neque enim Basilius illo loco de missione Spiritus Sancti agit, sed de notis sempiternis et necessariis, quibus personae divinae ab invicem distinguuntur nulla relationum ad terminos temporarios ratione ducta. Ceterum ut supra iam dictum est, missio unius personae divinae ab altera etiam processionem illius ab hac includit.

Notae *Spiritus Sancti* duae eodem loco a *Basilio* assi- 28.
gnantur, quarum una ad Patrem, altera ad Filium refertur. Illa in eo est, quod Spiritus Sanctus ex Patre subsistat, vel esse habeat pendens a causa, quae Pater est, a quo procedit. Altera vero in eo est, quod Spiritus Sanctus cum Filio sine ullo intervallo concipitur, quoniam post Filium et cum Filio

cognoscatur, atque cum Filio cohaereat et ex Filio pendeat (ἤρτηται). Atque his quoque processio Spiritus Sancti a Filio continetur: nam *primo* nulla alia dependentia Spiritus Sancti a Filio fingi potest praeter dependentiam originis; *deinde* cum Basilius Spiritum Sanctum sine ullo intervallo cum Filio concipi dicit, eiusmodi nexum logicum inter eos statuit, qui nonnisi inter correllativa intercedit; nulla autem alia relatio inter personas divinas esse potest, nisi relatio originis inter principium et principiatum: *denique* ut praepositio *post* ordinem originis, ita propositio *cum* immediatam Filii et Spiritus Sancti coniunctionem declarat, quae alia esse nequit nisi ea inter principium et illud, quod est a principio.

29. Denique Patres graeci universim asserunt, *nullam esse inter personas divinas distinctionem, nisi per relationis oppositionem.* Scilicet duo esse ratione distincta, ex quorum unione persona existat: alterum tribus commune, quod est natura vel essentia, alterum singulis proprium quod proprietas sive ἰδίωμα dicitur. Porro hoc alterum ad communem essentiam accedens non absolutum, sed relativum est ac nihil aliud est, quam paternitas, filietas et processio sive spiratio passiva. Audiatur v. g. *Gregorius Naz.,* qui Ariano quaerenti, quid desit Spiritui Sancto, quominus Filius esset, sine haesitatione respondet, nihil deesse, cum Deo nihil deesse queat, verum „manifestationis, ut ita dicam, mutuaeque eorum relationis differentia differentem et ipsorum fecit appellationem. Non enim Filius est Pater. Sed non defectus propterea ullus intelligitur, nec essentiae summissio, verum illud ipsum: non esse genitum, esse genitum, et procedere, huic quidem Patris, isti vero Filii, illi Spiritus Sancti appellationem indidit, ut inconfusa proprietas hypostaseon trium in una divinitatis natura et dignitate servetur. Neque enim Filius est Pater, quippe unus est Pater, sed hoc est, quod Pater; neque Spiritus Sanctus est Filius, quia ex Deo est; unus enim est Unigenitus, sed hoc est, quod Filius. Tria haec unum divinitate sunt, et unum hoc tria proprietatibus.“ (Orat. 37.) — Nulla autem relatio et nulla ex relatione personarum in Trinitate distinctio locum habet, nisi τοῦ αἰτίου καὶ τοῦ αἰτια-

τοῦ ratio inter eas intercedat. Apposite *Gregorius Nyssenus:* „Quod si quis doctrinam nostram calumnietur, quasi eo, quod nullum secundum naturam admittat discrimen, hypostasium introducat permixtionem et confusionem, hoc criminatoribus respondebimus, nos sic naturam diversitatis expertem confiteri, ut non negemus differentiam qua Pater principium est, Filius a principio, quippe qua solummodo alterum ab altero distingui concipimus, cum videlicet Patrem esse principium credimus, Filium vero ex principio." (Ep. ad Adlab.). Et alibi directe agens de distinctione inter Filium et Spiritum Sanctum haec supra jam adducta notat: „Eadem est nostra doctrina de Spiritu Sancto, in solo ordine differentiam (inter personas) agnoscens. Sicut enim coniungitur Patri Filius, et ex illo esse habens non tamen existentia posterior est; sic pariter ab Unigenito pendet Spiritus Sanctus, ita ut solum secundum rationem principii Filius praeintelligatur hypostasi Spiritus. Temporalis enim dimensiones in aeterna vita non habent locum, ita ut excepta ratione principii SS. Trinitas nulla re in seipsa discernatur." (Cont. Eunom. l. 1.) Similiter alii Patres docent. Itaque ex SS. Patrum doctrina eo solo persona quaepiam divina ab altera distinguitur, quod una ab altera procedat eique ut principio principiatum opponatur. Ergo cum Spiritus Sanctus a Filio realiter distinguatur, ab eo quoque procedit.

Neque contra dici potest, satis esse ad Filium et Spiri- **30.**
tum Sanctum ab invicem discernendas, si utraque alia et alia relatione ad tertiam referatur. Etenim ex Patrum doctrina persona divina altera ab altera non quacunque relatione, sed ea solum, quae inter principium et principiatum est, realiter distinguitur. Sane Pater alia relatione Filium et alia Spiritum Sanctum respicit, neque tamen generatio et spiratio activa duas personas sed unam tantum constituunt, cum ad invicem non referantur vel sibi non opponantur. Ergo Filius non foret persona distincta a Spiritu Sancto, nisi hic ad illum tamquam principiatum ad principium referretur. Quare Patres eas solum relationes ut personas ab invicem distinguentes consideraverunt, quae non solum disparatae, sed etiam oppositae sunt ut principium et principiatum, i. e. Paternitas et

Filiatio, Spiratio activa et Spiratio passiva. Quae cum ita sint, totam hanc SS. Patrum doctrinam Scholastici breviter at praeclare comprehenderunt hoc adagio: „*In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.*"

31. f) Patres graeci saepenumero illud quoque inculcant, *eandem esse habitudinem Spiritus Sancti ad Filium, quae est Filii ad Patrem.* Sic v. g. *Athanasius*: „Et Filius ait: Quae audivi a Patre meo, ea et loquor in mundum. Spiritus vero accipit a Filio. Nam de meo accipiet, inquit, et annuntiabit vobis. Et Filius quidem in nomine Patris venit. Spiritus vero Sanctus, ait, quem mittet Pater in nomine meo. Cum autem talem ordinem et naturam (τάξιν καὶ φύσιν) habeat Spiritus ad Filium, qualem Filius habet ad Patrem, quomodo ille, qui creaturam istum dicit, non idem et de Filio necessario sentiet." (Ep. 1. ad Serapionem.) Et *Basilius*: „Eodem modo cum Domino Spiritus effertur, quo cum Patre Filius. Nam Patris et Filii et Spiritus Sancti nomen similiter editum est. Quare ut se habet Filius ad Patrem, sic ad Filium Spiritus, secundum Verbi Dei ordinem in baptismo traditum. Quodsi Spiritus cum Filio coniunctus est, Filius vero cum Patre, perspicuum est et Spiritum cum Patre coniungi. Quem igitur locum habet, ut dicant, alterum connumerari, alterum subnumerari, cum in una eademque serie nomina sint ordinata." (De Spiritu Sancto c. 17.) Similiter alii Patres; revera exceptis nominibus Filii, Geniti, Unigeniti, quae non solum processionem in genere, sed speciatim processionem per modum generationis designant, *reliquae omnes appellationes designantes Filii processionem ex Patre ab iisdem Patribus graecis assumuntur ad exprimendam relationem Spiritus Sancti ad Filium.* Quemadmodum v. g. Filius est Verbum, mens expressa et ratio Patris, ita Spiritus Sanctus dicitur Verbum Filii, mens Filii (a *Basilio et Cyrillo*); deinde quemadmodum Filius imago Patris est, figura substantiae eius, sic etiam Spiritus Sanctus exhibetur Filii imago, imago naturalis, sigillum naturae Filii, forma Filii (a *Gregorio Thaumaturgo, Athanasio, Basilio, Cyrillo A.*); praeterea sicut Filius est splendor Patris, lumen de lumine, ita Spiritus

Sanctus splendor est Filii, lumen tertium (*Athanasius*, *Epiphanius*): iterum Filius vultus Patris est ut expressio eiusdem, et pariter Spiritus Sanctus vultus Filii dicitur (*a Cyrillo A.*); denuo Filius Sapientia et virtus Patris nominatur, Spiritus Sanctus autem item Spiritus Sapientiae et virtutis velut odor ex flore atque vivens virtus Filii viventis dicitur (*ab Athanasio et Cyrillo*); tandem Filius est vapor virtutis Dei et emanatio quaedam claritatis, atque simili ratione Spiritus dicitur procedere ex essentia Filii velut ex aqua vapor (*a Cyrillo*); denique sicut ratione originis Pater maior dicitur Filio, ita Filius eadem ratione maior esse Spiritu Sancto exhibetur (*a Basilio*; cf. *Franzelin*, thes. 37. n. II. b. et *Petavius*, l. 8. c. 7. ss.). — Iamvero Filius ad Patrem se habet ut is, qui est ex principio ad suum principium; ergo pariter eadem ratione Spiritus Sanctus ad Filium se habet.

Confirmatur, quia hac ratione SS. Patres etiam ab Eunomianis aliisque Arianis intellecti sunt. Etenim Patribus obiecerunt, cur igitur Spiritus Sanctus non tamen Filius Filii diceretur. SS. Patres vero respondentes nequaquam hoc suppositum, scilicet processionem Spiritus Sancti a Filio, negaverunt, imo vero eandem inculcaverunt; sed notaverunt huius rei vel nullam aliam rationem esse exhibendam, praeter usum loquendi vel doctrinam scripturae et traditionis, vel eiusmodi rationem esse, quia Spiritus Sanctus non ab uno, sed a duobus procedat, vel etiam, quia non filiationis modo procedat (cf. Epiphanius, Ancorat. n. 7. 8.; Athanasius, ad Serap. I n. 25.; Gregorius Naz. or. 31. al. 37. n. 7. ss.; Basilius, Cont. Eunom. l. 5.). 32.

g) Denique Patres graeci docent, *quaecunque sint Patris, eadem et Filio competere, si ἀγεννησία et paternitas excipiantur. Manuel Calecas* v. g. in opere, quod pro Latinis contra Graecos de processione Spiritus Sancti scripsit (c. 19.), *Basilium* citat haec in tractatu de fide declarantem: „Omnia Filius est, quaecunque est Pater, Patrem dixi et Filium. Conserva mihi proprietates istas. Manens itaque Filius in eo, quod est Filius, omnia est, quaecunque Pater, secundum ipsius Domini vocem dicentis: omnia, quaecunque habet Pater, mea 33.

sunt. Nam revera imaginis omnia sunt, quaecunque insunt in prototypa forma." Apposite *Cyrillus A.* quoque ad verba Domini: *omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt,* haec notat: Characterem denuo sincerum et verissimum hypostasis paternae seipsum nobis etiam hoc loco demonstravit Filius, et per ea, quae ait, intelligere dat, quemadmodum, cum fructus sit substantiae ipsius, omnia, quae eius sunt, secundum naturam obtinet, ac sibi propria esse dicit; et merito quidem. Cum enim nihil sit, quod dividat ac separet alienum faciendo a Patre Filium, quantum ad omne pertinet similitudinis et aequalitatis genus, hoc solo excepto, quod Pater est, cumque non dissimili in ambobus modo substantia resplendeat, qui fieri posset, ut non illa communia vel eadem potius essent in utroque adeo, ut in Filio sint, quae sunt Patris, et in generante, quae sunt geniti." (In Ioan. l. 11.) Et alibi idem: „Quidquid de Patre dicitur, hoc omnino de Filio dici necesse est, praeter hoc ipsum, quod est Pater; et quidquid de Filio dicitur, hoc vicissim et de Patre dicitur praeter hoc ipsum, quod est Filius." (Thesaur. 32.)

34. Iamvero Spiratoris notio diversa est a notione Patris: ergo commune est Patri et Filio spirare Spiritum Sanctum. Quare auctoritate Patrum graecorum nititur *S. Thomas* quando ex unitate essentiae, quae est in Patre et Filio, Spiritum Sanctum a Filio quoque procedere hunc in modum colligit; „Pater et Filius non differunt invicem, nisi in hoc, quod hic est Pater, hic Filius. Habere autem Spiritum Sanctum ex se procedentem, non pertinet ad rationem paternitatis, neque ad rationem filiationis. Non enim ex hoc dicitur Pater, quia Spiritus Sanctus ab eo procedit, neque filiationi repugnat, quod habeat ex se Spiritum procedentem" (opuscul. c. Graecos).

35. *Confirmatur tota haec ratio* ultimo loco ex doctrina Patrum graecorum derivata, quia nullus inter eos invenitur, qui inter proprietates Patrem a Filio distinguentes vim spirandi numeraverit. *Etenim* huius silentii ratio nequaquam in eo poni potest, quod de characteribus personalibus perfunctorie tantum egerint; nimirum in omnem partem hanc quaestionem versarunt. *Praeterea* haeretici etiam frequentissime ansam

praebuerunt inculcandi processionem Spiritus Sancti a solo Patre, si quidem fides Sanctorum Patrum hanc sententiam comprehendisset. Etenim osores divinitatis Spiritus Sancti nihil frequentius ore blasphemo protulerunt, quam Spiritum Sanctum creaturam esse, cum a Filio sit, per quem omnia creata sunt; ad quam divinitatis Spiritus Sancti impugnationem nullum sane ex mente Photianorum promptius et efficacius responsum fuisset, quam Spiritum Sanctum nullo pacto ex Filio nedum ab ipso creatum esse: nihil vero eiusmodi Patres contra Pneumatomachos regesserunt. Nulla igitur alia istius silentii ratio assignari potest, quam fides Patrum, spirationem activam Patri et Filio esse communem.

3) Confirmatur doctrina catholica ex fide ceterorum orientalium, qui schismati Photiano non adhaeserunt. — Huius fidei testis est inter alios *Archimandrita Chaldaeus Adam,* qui sub Paulo V. contra Photianos consensionem suam et suorum cum catholicis ex ipsis principiis verae theologiae hunc in modum egregie vindicavit: „De Spiritu Sancto, qui a Patre procedit, ut fatentur orientales, et Patres ecclesiae magnae Romae, qui profitentur, quod ex Patre et Filio procedit, utraque pars veritatem agnoscit. Et unum testimonium verum veris fidelibus sufficit, illa nempe vox, quae ex ore dilectissimi Iesu prolata est: *ego et Pater unum sumus* . . . Et si sunt unum et non duo (essentia), quae divisio est inter illam vocem, quam confitemur, nimirum quod Spiritus Sanctus a Patre procedit, ab ea, quod ex Patre et Filio procedat? Ecce unum sunt et non duo, et nulla divisio est inter illos . . . De Spiritu autem Sancto dixit: *ille de meo accipiet et renuntiabit vobis; omne quod habet Pater meus, meum est.* Et si ita non est divisio inter personas incomprehensibiles deitatis absconditae . . . quis unquam discrimen ponet inter illam vocem: Spiritus ex Patre procedit, ab illa: Spiritus ex Patre et Filio procedit? Sed orientales dicunt, quod ex Patre procedit, quia sciunt, quod nihil possidet Pater praeter id, quod habet Filius, neque Filius praeter Patrem, quemadmodum didicerunt ex Filio vivo, qui dixit Patri: omne quod habeo, tuum est; et quod habes, meum est. Et Patres ec- 36.

clesiae magnae (Romanae) volunt ostendere, quod Filius non est abiectior Patre ulla in re . . . dicunt igitur, quod ex Patre et Filio procedit Spiritus salutaris et vera est illorum professio sine dubio." (Apud Assemani Biblioth. orient. t. 3. part. 2. p. 234.)

37. Denique totam doctrinae Patrum expositionem iam concludere licet his *Bessarionis* verbis, quae in sua oratione dogmatica edixit: „Meminerimus itaque, necessario Patres putandos esse sibi invicem consentire nec aliter nos dicere aut censere posse, si christiani esse et fidei principia salvare velimus. Latini enim Patres clarissime et disertissime docent, Spiritum Sanctum procedere ex Filio, et Filium sicut Patrem esse eius principium. Deinde orientales quoque non secus ac occidentales hoc ipsum dicere demonstravimus, cum alii Spiritum ex Patre per Filium procedere, alii ex Patre et Filio atque ex ambobus esse aiunt, sicque aperte docent esse etiam ex Filio. Ita vero docentes latinis Patribus consentiunt et eadem omnes dicunt, utpote loquentes in uno et eodem Spiritu."

38. ***3. Ex Liturgiis orientalibus.*** — Egregia demonstratio catholici dogmatis derivatur ex liturgiis, quae etiamnunc ab orientalibus adhibentur. Cuius demonstrationis specimen aliquod praeclarum refert *N. Nilles* in opere apud orientales ipsos celebrato: Kalendarium utriusque ecclesiae t. 2.[2] p. 409. ss. Nimirum monachi Balázsfalvenses O. S. Basilii saeculo 18. medio opus ediderunt, cui titulus: *Flosculus veritatis de ecclesiarum unione,* in quo ex variis ecclesiae orientalis libris ecclesiam catholicam contra schismaticos defendunt (cf. de hoc opere Nilles l. c. p. 387.). Inter alia vero egregiam exhibent demonstrationem dogmatis catholici de processione Spiritus Sancti ex Pentecostario (i. e. proprio Pentecostes), quod ex immemoriali tempore in ecclesiis orientalibus adhibetur. Scilicet schismatici decursu temporis hoc Pentecostarium sicuti alios libros quidem mutilaverunt et corruperunt, atque etiam, quod processionem Spiritus Sancti attinet, suum errorem intrudere perverse tentaverunt apponentes vocabulum μόνου vel solo in hac sententia: „Simpliciter,

quaecunque habet Pater et Filius praeter Paternitatem et Filiationem a *solo* Patre procedens (Spiritus Sanctus possidet)": alia vero multa intacta et integra reliquerunt, ex quibus luculenter et clare proditur, eandem fuisse in antiquitate fidem ecclesiae orientalis ac occidentalis. Atque hinc quidem monachi illi suam argumentationem derivant, quam hic integram referre ne pigeat:

„Similiter (Apoc. c. 22 v. 1.) habetur: *Et ostendit mihi* 39.
fluvium aquae vivae splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. Ubi per vocem Dei intelligitur Patris, et per Agni intelligitur Filii, ut (Ioan. 1, 1) legitur: *Et Verbum erat apud Deum.* Et exprimit Ecclesia in Cantico glorificationis, dum canit: Agnus Dei et Filius Patris. Rursus per voces: *Fluvium aquae vivae* intelligitur Spiritus sanctus, ut habetur (Ioan. 7, 38): *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae; hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Demum per sedem denotatur unicum huius fluvii, seu processionis Spiritus sancti principium. Ex quibus recte infertur Spiritum sanctum a Patre Filioque, tamquam ab uno principio procedere.

Conformia his habet etiam nostra Ecclesia in suis Offi- 40.
ciis. Sic in Pentecostario, feria tertia Pentecostes in priore Cathismate legitur, quod Deus, qui unus est in essentia Deitatis, et trinus in Personis, distinguatur solum secundum relationes Personarum; et in Triodio, feria secunda quartae hebdomadis ode 9.: In essentia est unitas indivisa Trinitatis, Deitas quae est super omnia; quae una in essentia distinguitur personaliter secundum relationes. Et in Octoicho Tono secundo in Triadico, ode 8. legitur: Trias, quae es indistincta in omnibus, praeter luciferas relationes.

Porro quid, quotquot sint relationes, quibus Sanctissima 41.
Trinitas distinguitur secundum Personas, rursus habetur esse duas: generationem nimirum et processionem. In Pentecostario, feria quarta hebdomadis quartae in Can. ode 8., et iterum in Menologio 30. Ianuarii in Can. ode 6.: Tres in Trinitate distinctiones esse, videlicet ingenitum Patrem,

genitum Filium, et Spiritum sanctum procedentem. Quum itaque iuxta praemissa, alia distinctio in Trinitate non habeatur, nisi secundum duas illas relationes, generationis nimirum et processionis: inter quas Personas intercesserint hae relationes, habebitur etiam distinctio, et inter quas praedictae relationes non intercesserint, nec Personarum distinctio habebitur; quia ergo inter Patrem et Filium habetur relatio generationis, recte per hanc etiam Personarum distinctio habetur inter Patrem et Filium; et similiter quia inter Patrem et Spiritum sanctum habetur relatio processionis, per hanc etiam Spiritus sanctus a Patre recte distinguitur personaliter, quia ab eo procedit; quod si vero Spiritus sanctus a Filio quoque non procederet, iam inter Filium et Spiritum sanctum nulla relatio haberetur: non generationis, ut fide certum est, quia Filius Spiritum sanctum non gignit, nec ab eo gignitur; non etiam processionis, ut in illa hopothesi supponeretur, quia in illa hypothesi non procederet a Filio: ergo nulla. Quod si nulla relatio haberetur, iuxta praemissa, nec distinctio Personarum inter Filium et Spiritum sanctum haberetur; quod est impium asserere. Catholice itaque cum Ecclesia confitendum est, inter Personas Filii et Spiritus sancti dari relationem processionis, ac proinde quod Spiritus sanctus a Filio quoque procedat, et sic Spiritus sanctus distinguatur personaliter a Filio per processionem.

42. Accedit, quod Spiritus sanctus dicatur ignis ex igne procedens, in Pentecostario, Dominica Pentecostes ad Laudes. Quum autem in Trinitate etiam altera Persona, videlicet Filius, dicatur ignis; ut quum persaepe alibi, tum feria quarta secundae hebdomadis ad Vesperas in Gloria; et ibidem quarta Dominica in Can. Completorii, ode 9.; et in Theotokiis communibus, Theotokia diei lunae Toni primi; ac in Orationibus ad s. Communionem, infertur quod Spiritus sanctus sit ex Filio procedens.

43. Similiter Filius dicitur fons perpetuo fluens, virtus Patri coaeterna et cooperans, in Pentecostario, Dominica Pentecostes in oratione quae incipit: Fons vitae etc. Et siquidem in Sanctissima Trinitate alia non habeatur aeterna operatio,

quam ab intra (quaecumque enim ad extra facta sunt, in tempore facta sunt, Genes. 1), generationis nimirum et spirationis; et quum Filius in generatione non dicatur Patri cooperari, sed ab eo generari: dicetur itaque quod cooperetur in spiratione Spiritus sancti illum emanando, uti etiam habetur feria quarta Pentecostes in Vesperis ad Stichir. de Christo: Fons qui assidue emanas ineffabilem fluvium bonitatis, ex quo semper fluit aqua viva essentialiter fluens per rivulos suos; aqua viva autem dicitur Spiritus sanctus, ut supra vidimus, et habetur feria quarta quartae hebdomadis in Can. ode 7.

Item in Pentecostario, feria quinta Pentecostes in Vesperis 44.
ad Stichir. dicitur, quod Spiritus sanctus ex aeterno Patre eluxerit, et per Filium procedat, et in Octoicho Tono tertio, in Can. ode nona: Christe, donas nobis Spiritum bonorum largitorem, qui ex Patre per Te procedit. Item ibidem Tono tertio in Antiphonis de Spiritu sancto: Sicut per Patrem et Filium simul elucet. Et in Pentecostario, feria secunda Pentecostes in Completorio ode nona de Spiritu sancto: Qui ex Patre procedis, et per Filium abundanter daris creaturae. Et Dominica Pentecostes ode tertia, et quinta in Can.: Spiritus sanctus per Filium manifestatur nobis. Ibidem ode prima: Christus elucet lumen effective mittendo Spiritum sanctum. Et in Octoicho Tono septimo in Can. Triadico ode prima: Mens aeterna (id est Pater) quae genuisti Verbum coaeternum, et Spiritum simul coaeternum eluxisti.

Rursus ibidem in Pentecostario, feria tertia quartae heb- 45.
domadis ad Vesperas dicitur: Data est ab illo (id est Christo) discipulis infallibilis promissio, quae significat apparitionem Paracliti: et in liturgia Magni Basilii in oratione quae incipit Dominator Domine etc. de Filio: a quo manifestatus est Spiritus sanctus. Et in Menologio 6. Ianuar. ad Stichir. de Christo: Quod sciat dare Spiritum sanctum fidelibus. Et in Pentecostario, Dominica Pentecostes ode prima: Christus spirando, et in linguis ignitis dat Spiritum sanctum. Et de Patre (Ioan. 14, 16): Et alium Paraclitum dabit vobis.

Pariter de Patre in Pentecostario feria tertia Pentecostes 46.
ad Stichir. habetur: Spiritus Filii, qui est eiusdem essentiae

cum Filio a Patre mittitur in linguis ignitis. Et de Filio in Pentecostario (Bukarestini edito, anno 1743), Dominica Pentecostes in Can. ode septima: Spiritum, qui exit ex sinibus Patris increatum, et simul Creatorem, et eiusdem sedis, a te misisti. Ibidem in oratione quae incipit: Fons vitae: Et descensionem, et adventum sancti et vivificantis Spiritús in forma linguarum ignitarum super Apostolos tuos fudisti. Quod autem haec non de donis Spiritus sancti, sed de ipsa personalitate Spiritus sancti dicantur, constat ex verbis supra relatis: essentialiter fluens, et aliis subsequentibus; tum ex his, quum dicitur feria secunda Pentecostes ad Vesperas: Spiritum sanctum, quem Christus misit discipulis suis: essentialiter acceperunt Apostoli.

47. Quae omnia, et his similia, quae in nostris libris habentur, attente considerata, non modo particulas per, ex, a, ab, eandem habere significationem denótant, sed etiam non obscure ostendunt eadem praedicata eodem modo, in spiratione, seu processione Spiritus sancti de Patre et Filio praedicari, consequenter quod etiam eodem modo eademque actione Spiritus sanctus a Patre Filioque procedat tanquam ab uno principio. Merito proinde Spiritus sanctus dicitur Spiritus Patris et Filii, ut habetur Dominica Pentecostes in Can. ode tertia: Spiritum meum et Patris mittam vobis.

Ex quibus omnibus palam fit, quanta temeritate elati quidam recentiores contra hanc veritatem, et manifestam orientalis ecclesiae auctoritatem et confessionem, quum in aliis libris, tum praesertim in Poucsenia, seu libro Concionum, feria secunda Pentecostes, contrarium docere non reformidaverint, dicentes Spiritum sanctum procedere a solo Patre et non a Filio."

48. Egregium testimonium exhibet *Officium Chaldaeorum*, quippe in quo ad Matutinum Dominicae Annuntiationis legitur protestatio fidei in unum Deum, qui est „Pater aeternus, qui Patrem non habet, ex illo Filius, qui Filium non habet, et Spiritus Sanctus, qui ab illis procedit.“ (Asseman. B. O. t. 3. p. 2. n. 235.)

Denique *fidem ecclesiae syriacae* cum catholica consentaneam ex fontibus liturgicis demonstrarunt Bickell in op.:

Conspectus rei Syrorum litterariae, et *Reverendissimus David*, archiepiscopus Damascen. Syr. in elucubratione: Doctrine de l'ancienne église Syrienne sur la procession du S. Esprit. (Revue de l'église grecque unie 1888.)

4. *Ex declaratione variorum conciliorum schisma Photianum praecedentium.* — Dogma catholicum clare professa sunt atque proposuerunt plura concilia ante schisma Photianum exortum celebrata: Anno 410 episcopi orientales in *concilio Seleuciae* congregati profitentur fidem in „Spiritum vivum et sanctum, paracletum vivum et sanctum, qui procedit ex Patre et Filio." (Cf. Lamy, concilium Seleuciae et Ctesiphonti habitum a. 410, Lovanii 1868; et Lamy, Le concile tenu à Séleucie-Ctésiphon in Compte rendu du 3. congrès scientifique international des Catholiques, Bruxelles 1895. 2. sect. p. 267 ss.) — Anno 484. Episcopi non solum Africae, sed insularum quoque finitimarum plurium *Carthagine* congregati regi Hunnerico obtulerunt fidei professionem, in qua haec leguntur: „Ingenitum Patrem et de Patre genitum Filium et de Patre et Filio procedentem Spiritum Sanctum unius credimus esse substantiae vel essentiae" (cf. Victor Vit., de persecutione Vandalica, l. 3. n. 1.). — In *concilio toletano II.* iubente *Leone M.* anno 447. celebrato edita est fidei regula, in qua legitur: „Credimus . . . Spiritum quoque Paraclitum esse, qui nec Pater sit ipse nec Filius, sed a Patre Filioque procedens. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed a Patre Filioque procedens." — Huc spectat illud quoque, quod in *symbolo Athanasiano*, quod iam saeculo 7. publice ab ecclesia adhibebatur, eadem fidei professio continetur: „Spiritus Sanctus a Patre et Filio non factus nec creatus nec genitus, sed procedens." — Eandem professionem ediderunt Patres congregati in *concilio toletano* 3. (a. 589.), *in concilio Aquisgranensi* (Aachen) a. 789, *in concilio Foroiuliensi* (Forli) a. 791. aliisque conciliis provincialibus. — Similiter, „concilium generale" Angliae Hedefeldense anno 680 celebratum sub Archiepiscopo Theodoro natione graeco; de quo cf. Franzelin, Th. 41. n. 1. c. — Denique haec fides consentientibus Graecis

et Latinis sollemniter definita est a *conciliis Lateranensi IV.*, *Lugdunensi II.*, *Florentino.*

Scholia duo.

50. ***1. De vocabuli ,Filioque' ad symbolum adiectione.*** — Iam inde a Photio Graeci schismatici catholicis vitio verterunt, quod perperam symbolo Constantinopolitano vocem *Filioque* addiderunt, ita ut publice in symbolo de Spiritu Sancto confiterentur: Qui a Patre Filioque procedit; atque de eadem additione etiam in concilio Florentino inter Latinos et Graecos acriter disputatum est. Quare hac de re paucis dicendum est, primo exponendo breviter historiam huius additionis, secundo quaestionem iuris succincte examinando.

1) Brevis huius additionis historia. — Medio saeculo 5. Leone Magno iubente contra Priscillianistas celebratum est *concilium toletanum II.* Inter errores autem ab his haereticis propugnatos ipse Leo papa etiam hunc recenset (ep. 15.), quod unam esse affirment personam Patris et Filii et Spiritus Sancti, ita ut non „alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque processit." Quare illud concilium regulam fidei catholicae tum contra omnes haereticos tum praesertim contra Priscillianistas edidit, quae Leone mandante ad Balconium Galliciae missa est; in hac vero epistola legitur: „Credimus in unum Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum . . . Spiritum quoque Paracletum esse, qui nec Pater sit ipse nec Filius, sed a Patre Filioque procedens. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed a Patre Filioque procedens."

51. Deinde anno 589. celebratum est sub Reccaredo rege *concilium toletanum III.*, in quo episcopi Hispaniae et Galliae Narbonensis convenerunt. Cui concilio ab ipso rege oblata est professio fidei, contra Arianam haeresim, in qua legitur: „Spiritus aeque sanctus confitendus a nobis et praedicandus est a Patre et a Filio procedere, et cum Patre et Filio unius esse substantiae"; atque concilium in ipsum symbolum Constantinopolitanum, quod rex sua manu subscriptum

dederat, istius fidei declarationem inseruit: „Et in Spiritum Sanctum, Dominum . . . ex Patre et Filio procedentem.“ Ab universo vero concilio haec approbata et repetita sunt simulque statutum est, „ut omnes Hispaniae et Galliciae ecclesiae hanc fidei regulam servent, ut omni sacrificii tempore ante communicationem corporis Christi vel sanguinis iuxta orientalium partium morem unanimiter clara voce sanctissimum recenseant symbolum.“

Tempore succedente eadem adiectio symbolo facta est 52. in regno Francorum, in Germania aliisque regionibus: cuius rei documenta praebent synodi Foroiuliensis (791.), Francofurdensis (794.), Aquisgranensis (789.). Haec postrema fautore Carolo Magno a Leone III. petiit, ut illam additionem ratam haberet; cui petitioni non tamen annuit pontifex, sed suasit potius, ut retenta vera fide additio paulatim e symbolo tolleretur. Sed consuetudo iam inducta tantum abest, ut evanuerit, ut potius in dies nova incrementa caperet; atque ita contigit, ut Pontifices Romani additionem *Filioque* iam permiserint atque ipso facto approbarint et in universa ecclesia latina sanciverint. Quia vero haec sanctio non decreto aliquo sollemni sed ipso usu a magisterio authentico non impedito sed permisso atque consuetudine magis magisque invalescente contineatur, mirum sane accidere potest nemini, quod in assignando tempore, quo eadem data sit, dissensio inter doctos exstat. Illud tantum exploratum est, approbationem Apostolicae sedis non ante Nicolaum I saeculo 9. medio neque post Benedictum VIII. saeculo undecimo exhibitam esse.

Iamvero haec additio, ut dictum est, a Graecis semper 53. acerrime impugnata est atque in Concilio Florentino a Marco Ephesino necnon ipso Bessarione. Potissimum autem argumentum Graecorum illud fuit, quod iam Photius Nicolao Pontifici obiecit: Synodum scilicet Ephesinam interdixisse, ne praeter Nicaenam ulla alia fidei formula componeretur neve symbolo Nicaeno quidquam adderetur aut detraheretur; illa igitur additione totam ecclesiam occidentalem desiisse esse ecclesiam Christi aeque ac si scripturam ipsam falsificasset. Verum Graeci in eodem concilio ita victi sunt teste

ipso Bessarione iam cum veritate catholica ipsam etiam illam additionem probante et amplectente, ut „nihil, quod responderent, habentes conticuerint; quid enim aliquis ad tantam veritatem impudenter diceret?" (De processione Spiritus Sancti.) Neque aliter esse potuit ipsa re paulo accuratius inspecta.

54. 2) *Quaestio iuris.* — Itaque Charisius presbyter Patribus Ephesinis quandam fidei expositionem obtulit a Nestorianis confectam, ut revertentes ab haeresi ad ecclesiam catholicam eidem subscriberent. Quam Patres perlectam reiecerunt tamquam haereticam atque ita constituerunt: „Aliam fidem (ἑτέραν πίστιν) nemini licere proferre vel conscribere aut componere praeter eam, quae definita est a sanctis Patribus Nicaeae congregatis cum Sancto Spiritu. Qui autem ausi fuerint aut componere fidem aliam aut proferre vel afferre converti volentibus ad agnitionem veritatis sive ex gentilitate sive ex iudaismo sive ex qualicunque haeresi, hos quidem, si sunt episcopi aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu et clericos a clericatu decrevit, si vero laici fuerint, anathemati subiici." Iamvero hoc decretum vel ut dogmaticum vel ut disciplinare considerari potest: utroque autem modo adeo nihil prorsus favet schismaticis orientalibus, ut nonnisi absurde ad idem pro sua causa provocare queant.

55. a) Ex mente Patrum Nicaenorum quidem decretum *primario tamquam dogmaticum considerandum esse,* ex occasione eiusdem atque scopo satis intelligitur. Quo modo sumptum decretum hunc ex sese sensum fundit: nemini licere novam et a vetere difformem fidei professionem cudere, qualis erat expositio fidei a Charisio synodo oblata, utpote quae haereticum dogma insertum habebat. Cui ne similis ulla deinceps ederetur, concilium decreto suo prohibere voluit. Quo sensu constituto ex decreto eodem inepte sane impugnatur additio termini *Filioque,* utpote qui veritatem exprimit in ipsa revelatione clare contentam, ut probatum est. Revera autem *hunc esse sensum a Patribus Ephesinis primario intentum,* sine ullo dubio certum est. Etenim *imprimis* considerandum est, in synodi ephesinae decreto non de symbolo praecise, sed de professione fidei universim sermonem esse.

Concilium autem sane vetare nec voluit nec potuit, ne ab haeresi aliqua ad ecclesiam redire cupientibus fidei formula proponeretur aliud complectens praeter nicaenam formulam v. g. dogma haeresi illi oppositum; secus enim morem damnasset inde a summa antiquitate perpetuo in ecclesia servatum et auctoritate omnium fere conciliorum confirmatum; quod vel suspicari eo magis nefas atque absurdum est, quod vel in ipso nicaeno concilio huius usus exemplum invenitur. Hoc enim concilium can. 8. statuit, Novatianos sub ea professione recipiendos esse, quae praeter symbolum Apostolorum sive aliud in ecclesia adhibitum id contineret, quod haeresi Novatianae oppositum esset. Qua ratione in subsequentibus conciliis quoque actum est cum Macedonianis, Nestorianis, Eutychianis, Monotheletis. Quae cum ita sint, concilium Ephesinum nomine *alius fidei* intelligere non potuit, nisi eam solam, quae cum pristina catholica professione pugnaret. Eodem scilicet sensu nomen alius fidei usurpat, quo speciminis causa concilium chalcedonense, quod definitioni de duabus impermixtis naturis Christi haec subiicit „His igitur, cum omni undique exacta cura et diligentia a nobis dispositis, definivit sancta et universalis synodus, aliam fidem (ἑτέραν πίστιν) nulli licere proferre aut conscribere vel componere aut sentire aut alios docere"; et concilium Constantinopolitanum III., quod definitionem de duabus operationibus et voluntatibus Christi hunc in modum absolvit: „His igitur ... a nobis formatis definimus, aliam fidem (ἑτέραν πίστιν) nulli licere proferre aut conscribere. componereve aut sapere vel aliter docere."

Confirmatur haec explicatio per ea, quae acta sunt in concilio Chalcedonensi. Scilicet Dioscoro cum suis episcopis Aegyptiis asserentibus: „Nemo suscipit additionem, nemo diminutionem; quae in Nicaea statuta sunt, teneant", Episcopi catholici unanimiter reposuerunt cum Eusebio Dorylaei: „Mentitus est, non est definitio talis, non est regula." Insuper concilium Chalcedonense ipsum in allocutione ad Marcianum imperatorem perspicue decretum Ephesinum declarans eo idem spectare docet, ut Nicaena professio velut principali 56.

loco habeatur adeo, ut nunquam ab ea recedi possit, nequaquam autem intendisse, ut ecclesia inhiberetur, haeresibus novis novas definitiones et fidei professiones opponere.

57. b) Si vero *decretum ut disciplinare consideretur* vel, quod fere idem est, concipiatur agere non universim de fidei professione sed de symbolo sive de speciali aliqua professione fidei, neque tunc Graecos schismaticos quidquam iuvat. Hoc enim sensu sumptum singulis, ad quos non pertinet, sive episcopis sive presbyteris sive laicis ius adimitur vel negatur, nova symbola conficere atque usui publico deputare. Ipsi vero magisterio authentico hoc ius adimere vel negare nec voluit nec potuit; utpote quod ecclesiae essentiale atque divinitus collatum est. Sane igitur absurdum est concilio Ephesino adscribere doctrinam inauditam, secundum quam scilicet non idem ius, quo nicaenum concilium usum est quaedam ad symbolum Apostolorum adiiciens necnon eodem saeculo Concilium Constantinopolitanum I quaedam addens symbolo Nicaeno, ceteris etiam conciliis atque generatim magisterio authentico pariter competeret; etenim magisterio authentico vi muneris a Christo collati inalienabile tum officium tum ius competit, depositum revelationis custodire, transmittere, explicare, cum quo connexa vel in quo inclusa est potestas definiendi dogmata fidei atque eiusmodi definitiones etiam ad usitatas fidei formulas adiiciendi. Additio vero termini *Filioque* ab ipso magisterio authentico vel facta vel approbata est, ut constat ex notitia historica supra exhibita. Quae cum ita sint, tota illa Graecorum obiectio nonnisi misera atque absurda cavillatio esse intelligitur.

58. ***2. Aliae quaedam Graecorum obiectiones solvuntur.*** — Pleraeque Graecorum obiectiones in praecedenti expositione iam praeoccupatae sunt; satis igitur erit, adhuc paucas quasdam nominatim afferre earumque inanitatem ostendere.

1) *In symbolo Constantinopolitano Spiritus Sanctus a Patre procedere dicitur, eundem vero a Filio quoque procedere ne innuitur quidem; quare ea confessio tamquam exclusiva consideranda est.* — *R. Primo* maximam partem

contra hanc obiectionem eadem valent, quae supra eidem argumentationi ex scriptura derivatae responsa sunt. — *Insuper* vero tum in ss. scripturis tum in documentis ecclesiasticis aliqua uni personae divinae prae aliis adscribuntur, quae sine controversia communia sunt tribus personis, ut v. g. omnipotentia Patri, sapientia Filio, sanctitas vel amor Spiritui Sancto tribui solent. Neque enim quod alteri tribuitur, ideo alteri negatur. — *Praeterea* considerandum est, quod Schismatici negligunt, verba symboli obiecta contra Macedonianam haeresin directa esse; Macedoniani autem, ut divinitatem Spiritus Sancti everterent, eundem ex Filio procedere tamquam creaturam contendebant, ex Patre vero immanenter prodire praefracte negabant. Quare Concilium ad divinitatem Spiritus Sancti vindicandam imprimis inculcare debuit ac voluit, Spiritum Sanctum sicuti Filium immanenti actione a Patre procedere ideoque Patri et Filio esse consubstantialem; non autem opus erat ad scopum intentum processionem a Filio quoque inculcare. Quare Damasus P. quoque in suis anathematismis paulo ante hoc concilium editis contra eandem haeresin statuit: „Si quis non dixerit, Spiritum ex Patre esse vere et proprie sicut Filius de divina substantia et Deum verum, anathema sit" (16.); et: „Si quis dixerit Spiritum Sanctum facturam aut per Filium factum, a. s." (18.) — *Denique* teste Epiphanio ubique locorum haec viguit illius symboli articuli explicatio: „Ita porro in ipsum (Spiritum Sanctum) credimus, quod scil. est Spiritus sanctus, Spiritus Dei, Spiritus perfectus, Spiritus Paracletus, increatus, qui ex Patre procedit et accipit et esse creditur ex Filio." (Ancor. n. 121.)

2) Spiritus Sanctus a Graecis Patribus non dicitur ἐκπορεύεσθαι *ex Filio, quod vocabulum proprie immanentem processionem exprimit, sed aliis verbis* προιέναι, ἐκλάμπειν, πεφηνέναι, προχεῖσθαι, ἀναβλύζειν *i. e. prodire, effulgere, apparere, profundi, scaturire ex Filio vel per Filium declaratur. Haec autem omnia vel de missione Spiritus Sancti ad extra vel de donis Spiritus Sancti, non vero de interna processione intelligenda sunt.* — *R. n. min.* Etenim *primo* 59.

SS. Patres ipsa illa verba adhibent non solum ad generationem Filii, sed etiam ad Spiritus Sancti processionem internam ex Patre exprimendam, ut v. g. *Basilius:* „Spiritus omnia habet sempiterne, utpote Dei Spiritus et ex Deo effulgens (πεφηνός), principium ipsum habens sicut fontem sui et ab eo scaturiens (πηγάζον) . . . ex Deo scaturiens in se subsistens est." (Cont. Eunom. l. 5.) Qua ratione loquendi SS. Patres ipsam scripturam sequuntur, in qua etiam Filius, quia per generationem a Patre immanenter procedit, *splendor gloriae eius* (Heb. 1, 3.) dicitur. — *Praeterea* SS. Patres ipsi disertis verbis declarant, se illa verba intelligere de promanatione immanente, quando scilicet dicunt, Spiritum ex Filio et per Filium effulgere, prodire, promanare essentialiter atque naturaliter (οὐσιωδῶς, κατὰ φύσιν); atque emanatione, effulsione etc. omnem perfectionem divinam in Spiritum Sanctum derivari declarant (cf. testimonia supra adducta). — *Denique* plures Patres Graeci etiam disertis verbis dicunt, Spiritum Sanctum ex Filio procedere, ut pariter supra demonstratum est.

60. 3) *Si ex Patre est Filius, ex Patre autem et Filio Spiritus, nepos utique Spiritus Patris est, quia et apud nos nepos proxime quidem est, ex quo ducitur, per quem medium ab avo derivatur. Ita aliquis „Nicomediae Praesul" apud Hug. Etherium (l. 1. c. 17.).* — *R.* Absurda est haec obiectio a Semiarianis emendicata et dudum iam a Patribus explosa; etenim personae divinae non sunt divisae ita, ut Pater prius generet Filium, qui deinceps solus Spiritum Sanctum generet, sed sicut tres personae una virtute creatrice et tamquam unum principium mundum creant, ita Pater et Filius tamquam unum principium atque una virtute spirativa spirant Spiritum Sanctum: „Non avus, non nepos, sed ex eadem substantia Patris ac Filii Spiritus Sanctus" (*Epiphanius*, ancorat. n. 7.).

61. 4) *Doctrina Graecorum non demum ex ea aetate exstat, qua supra dictum est; sed iam a Theodoro Mopsuesteno atque Theodoreto proposita est nihil reclamantibus SS. Patribus; unde consequi videtur, eandem potius ad antiquam ecclesiae fidem pertinere.* — *R.* Etsi verum esset, ut opponitur, Theo-

dorum atque Theodoretum obiter et per transennam errorem Graecorum iam proposuisse et quidem ecclesia tacente, inde tamen nullo modo dogma catholicum infirmaretur. Etenim auctoritas hominum, quorum scripta haeresi Nestoriana infecta erant atque totius ecclesiae anathemate infamata, nulla sane etiam in praesenti quaestione est. Neque silentium ecclesiae magnam difficultatem crearet; etenim cum tota attentio et cura Conciliorum et Patrum ea aetate in profligandum Nestorianismum dirigeretur, mirum non esset, si alium errorem obiter iniectum, qui animos fidelium nondum turbaret, sine directa impugnatione et damnatione praetermisissent, ne ab errore tunc temporis principali et maxime grassante attentio diverteretur in commodum haereticorum atque ecclesiae damnum. Profecto in eiusmodi agendi ratione nulla inveniri posset erroris obiter propositi approbatio; praesertim quia iam ea aetate tum antecedente tum subsequente communis erat fides, Spiritum Sanctum non solum ex Patre, sed ex Filio quoque procedere, ut supra demonstratum est. — Atque his difficultas, si res dogmatice spectatur, plane expedita est. Verum id ipsum, quod opponitur, scilicet Theodorum atque Theodoretum processionem Spiritus Sancti ex Filio negasse, falsum esse videtur; probabilissimum enim ne dicam certum est, eos non processionem immanentem Spiritus Sancti ex Filio, sed processionem per creationem ex Filio contra Pneumatomachos locis obiectis infitiatos esse. Cum autem haec quaestio ad historiam haeresum potius spectet, eam hic inquirere non vacat. Conferatur, si lubet, Cardin. Franzelin, th. 38. n. II.

Atque his praecipuae Graecorum obiectiones relatae et **62.**
solutae sunt. Quibus simul cum argumentis, quae supra adhibuimus, vel obiter consideratis atque cum invicem comparatis, mirum nemini videri potest, quod *Bessarion* de disputationibus in concilio Florentino inter Graecos et Latinos institutis agens, illos ita devictos esse refert, ut perfecta strage misere absorberentur: „Nos alios Sanctos contrarium dicentes non poteramus proferre, ipsos occidentales alibi aliter docentes nullo modo ostendebamus, naturalibus rationibus probare eos

falsa dixisse omnium minime poteramus; cum igitur nullam rationabilem causam nobis relictam esse videremus, propterea et conticuimus. Attamen non deerant, quibus alia responsio in promptu esset, videlicet errasse Sanctos occidentales et in hoc deceptos esse. Hoc vero universim nobis fidem evertere manifestum est; si enim fides nostra pendet a doctrina Sanctorum (consentientium in fidei doctrina), hi vero errant circa veritatem, fides eversa est. Propterea igitur recte unio cum Latinis consecuta est, et omnes nulla vi coacti, ut Deus testis est, consenserunt. Qui vero consentire nolebant, erant ii duo, non plures (Marcus Ephesinus et Isaias Stauropolitanus), nullam vim passi in sua libertate et in sua sententia manserunt" (De process. Spiritus Sancti).

63. ***3. De nominibus causae et principii personis Patris et Filii tributis relate ad processiones immanentes.*** — Ut ex pluribus testimoniis Patrum supra allatis constat, Patres latini Deum Patrem Filii atque Deum Patrem et Deum Filium Spiritus Sancti principium quidem, non vero causam dicere solent; Patres graeci vero utrumque nomen adhibent. Quae differentia non ipsam rem vel conceptionem, sed solum modum loquendi afficit, ut ex omnibus patet. Verumtamen expedit, ut de hac differentia audiatur ipse *S. Thomas:*

„Apud Latinos non est consuetum quod Pater dicatur causa Filii vel Spiritus Sancti, sed solum principium vel auctor. Et hoc propter tria. *Primo* quidem, quia Pater non posset intelligi causa Filii per modum causae formalis vel materialis vel finalis, sed solum per modum causae originantis, quae est causa efficiens. Hanc autem semper invenimus secundum essentiam esse diversam ab eo, cuius est causa. Et ideo, ne Filius intelligeretur esse alterius essentiae a Patre, non consuevimus dicere Patrem esse causam Filii, sed magis utimur illis nominibus, quae significant originem cum quadam consubstantialitate, sicut fons, caput et alia huiusmodi. *Secundo*, quia causa apud nos correspondet effectui, unde Patrem non dicimus esse causam, ne aliquis intelligat, Filium esse factum. Nam et apud philosophos

prima causa Deus nominatur; omne autem causatum sub universitate creaturarum comprehenditur apud eos: et ideo si Filius causam dicatur habere, posset intelligi, quod sub universitate causatorum vel creaturarum comprehenderetur. *Tertio*, quia de divinis non de facili debet homo aliter loqui quam sacra scriptura loquatur. Scriptura autem sacra Patrem nominat principium Filii, ut patet Ioan. 1.: *In principio erat Verbum.* Nunquam autem dicit Patrem esse causam vel Filium causatum. Unde, cum causa plus dicat quam principium, non praesumimus Patrem dicere causam, nec Filium causatum. Nihil autem ad originem pertinens adeo proprie dicitur in divinis, sicut hoc nomen *principium.* Quia enim ea, quae sunt in Deo, incomprehensibilia sunt, et definiri a nobis non possunt, convenientius utimur in Deo nominibus communibus quam propriis; propter quod maxime proprium nomen eius dicitur esse *Qui est*, quod est communissimum, ut patet Exod. III. Sicut enim causa est communius, quam elementum, ita et principium, quam causa: dicitur enim punctum principium lineae, sed non causa. Et ideo convenientissime nomine principii utimur in divinis.

Nec tamen intelligendum est, quod sancti praedicti (sc. 64.
Patres graeci), qui nomine causae et causati utuntur in divinis personis, intendant diversitatem naturae inducere, aut Filium esse creaturam. Sed per hoc volunt ostendere solam orignem personarum, sicut nos nomine principii. Unde dicit *Gregorius Nyssenus:* „Causam autem causatumque dicentes non naturam per haec nomina significamus. Neque enim haec nomina loco essentiae vel naturae ratione damus, sed qualiter inter se habent differentiam, demonstramus, ut scilicet Filium non ingenitum esse, neque Patrem per generationem aliquam demonstramus ab aliquo." Item *Basilius* dicit: „Spiritum Sanctum dico ingenitum, non habere Patrem nec creaturam, quia non est creatus; sed causam habet Deum, cuius vere est Spiritus, a quo et procedit." (Contra errores Graecorum c. 1.)

Thesis 10. Spiritum Sanctum a Filio quoque procedere etiam rationibus theologicis demonstratur.

Declaratio.

1. *Argumentum atque ratio huius thesis.* — Testimonia SS. Patrum in praecedentibus thesibus producta non solum de antiqua ecclesiae fide certiores nos reddunt, sed plures etiam rationes theologicas continent vel indigitant, quibus dogma catholicum invicte demonstratur. Quod sane non ita intelligendum est, ut ex sola ratione vel mere philosophice Spiritum Sanctum a Filio quoque procedere demonstrari posse putetur; sed ostenditur, inter alias, quae circa mysterium SS. Trinitatis sine dubitatione certae sunt, veritates ex una parte atque catholicam de processione Spiritus Sancti doctrinam ex altera parte necessarium atque inseparabilem nexum exstare ita, ut haec ex illis evidenter inferri queat. Eiusmodi autem argumenta praetermitti nequeunt, utpote quae per excellentiam theologica vel scholastica sunt atque ad intelligendam rem maxime conferunt. Iam vero in hac expositione ita presse sequimur *S. Thomam,* ut vel ad verbum argumenta ab ipso proposita adducantur atque pauca solum explicationis vel supplementi causa addantur.

Demonstratio.

2. *1. Argumentum primum.* — „Necesse est dicere, Spiritum Sanctum a Filio esse. Si enim non esset ab eo, nullo modo posset ab eo personaliter distingui . . . Non enim est possibile dicere, quod secundum aliquid absolutum divinae personae ab invicem distinguantur, quia sequeretur, quod non esset trium una essentia. Quidquid enim in divinis absolute dicitur, ad unitatem essentiae pertinet. Relinquitur ergo, quod solum relationibus divinae personae ab invicem distinguantur. Relationes autem personas distinguere non possunt, nisi secundum quod sunt oppositae. Quod ex hoc patet, quia Pater habet duas relationes, quarum una refertur ad Filium, alia ad Spiritum Sanctum, quae tamen,

quia non sunt oppositae, non constituunt duas personas, sed ad unam personam Patris tantum pertinent. Si autem in Filio et Spiritu Sancto non esset invenire nisi duas relationes, quibus uterque refertur ad Patrem, illae relationes non essent ad invicem oppositae, sicut neque duae relationes, quibus Pater refertur ad illos. Unde sicut persona Patris est una, ita sequeretur, quod persona Filii et Spiritus Sancti esset una, habens duas relationes oppositas duabus relationibus Patris. Hoc autem est haereticum, cum tollat fidem Trinitatis. Oportet ergo. quod Filius et Spiritus Sanctus ad invicem referantur oppositis relationibus. Non possunt autem esse in divinis aliae relationes oppositae, nisi relationes originis . . . Oppositae autem relationes originis accipiuntur secundum principium et secundum quod est a principio. Relinguitur ergo, quod necesse est dicere vel Filium esse a Spiritu Sancto, quod nullus dicit: vel Spiritum Sanctum esse a Filio, quod nos confitemur." (S. th. 1. p. q. 36. a. 2.) — Quae ratio tota in principio innititur: omnia sunt unum, ubi non obviat relationum oppositio.

2. Argumentum alterum. — „Pater et Filius quoad unitatem essentiae non differunt nisi in hoc, quod hic est Pater et hic est Filius. Quidquid igitur praeter hoc est, commune est Patri et Filio. Esse autem principium Spiritus Sancti est praeter rationem Paternitatis et Filiationis; nam alia relatio est, qua Pater est Pater et qua Pater est principium Spiritus Sancti, ut supra dictum est. Esse igitur principium Spiritus Sancti est commune Patri et Filio." (C. g. l 4. c. 24.) — Fundamentum argumenti est, quod Pater Filio omnia communicat excepta Paternitate, qua ei opponitur; ergo etiam amorem foecundum sive spirationem activam communicat. 3.

3. Argumentum tertium. — „Quidquid non est contra rationem alicuius non est impossibile ei convenire, nisi forte per accidens. Esse autem principium Spiritus Sancti non est contra rationem Filii, neque in quantum est Deus, quia Pater, qui est Deus, est principium Spiritus Sancti, neque in quantum est Filius, eo quod alia est processio Spi- 4.

ritus et alia Filii; non est autem repugnans id quod est a principio secundum unam processionem esse principium processionis alterius. Relinquitur igitur, quod non sit impossibile, Filium esse principium Spiritus Sancti. Quod autem non est impossibile potest esse. In divinis autem non differt esse et posse. Ergo Filius est principium Spiritus Sancti." (Ibid.) — Qua ratione ex summa actualitate divinarum personarum praecedentes rationes confirmantur.

5 *4. Argumentum quartum.* — „Si quis . . . dicat, quod differunt processiones secundum principium, in quantum Pater producit Filium per modum intellectus, ut verbum, Spiritum autem Sanctum per modum voluntatis quasi amorem, secundum hoc oportebit dici quod secundum differentiam voluntatis et intellectus in Deo Patre distinguantur duae processiones et duo procedentes. Sed voluntas et intellectus in Deo Patre non distinguuntur secundum rem, sed solum secundum rationem . . . Sequitur igitur, quod duae processiones et duo procedentes differant solum ratione. Ea vero, quae solum ratione differunt, de se invicem praedicantur: verum enim est dicere, quod divina voluntas est intellectus eius, et e converso. Verum ergo erit dicere, quod Spiritus Sanctus est Filius, et e converso, quod est Sabellianae impietatis. Non igitur sufficit ad distinctionem Spiritus Sancti et Filii, dicere, quod Filius procedat per modum intellectus et Spiritus Sanctus per modum voluntatis, nisi cum hoc dicatur etiam quod Spiritus Sanctus sit a Filio." (Ibid.) — Quo argumento ostenditur nullam aliam rationem praeter oppositionem relativam sufficere ad realem personarum distinctionem.

6. *5. Argumentum quintum.* — „Quaecunque conveniunt in aliquo communi, si distinguantur ab invicem, oportet, quod distinguantur secundum aliquas differentias per se et non per accidens pertinentes ad illud commune; sicut homo et equus conveniunt in animali et distinguuntur ab invicem non per album et nigrum, quae se habent per accidens ad animal, sed per rationale et irrationale, quae per se ad animal pertinent, quia cum animal sit habens animam, oportet quod

hoc distinguatur per hoc, quod est habere animam talem vel talem ut puta rationalem' vel irrationalem. Manifestum est autem, quod Filius et Spiritus Sanctus conveniunt in hoc, quod est esse ab alio, quia uterque est a Patre; et secundum hoc Pater convenienter differt ab utroque, in quantum est innascibilis. Si igitur Spiritus Sanctus distinguatur a Filio, oportet quod hoc sit per differentias, quae per se dividunt hoc quod est esse ab alio: quae quidem non possunt esse nisi differentiae eiusdem generis; scilicet ad originem pertinentes, ut unum eorum sit ab alio. Relinquitur ergo, quod ad hoc, ut Spiritus Sanctus distinguatur a Filio, necesse est, quod sit a Filio." (Ibid.) — Videlicet personae divinae formaliter constituuntur et distinguuntur per ipsas relationes originis; atqui per intellectum vel voluntatem procedere non pertinet ad formalem relationem originis, sicut nec album vel nigrum ad essentiam animalis spectat; sed ad essentiam relationis originis pertinet, quod terminus eius vel ab uno vel a duobus procedat. Ergo Spiritus Sanctus primo et essentialiter a Filio distinguitur non eo, quod hic per intellectum, ipse vero per voluntatem procedat; sed eo primo et radicaliter ab invicem distinguuntur, quod Spiritus Sanctus ad Filium tamquam suum principium refertur.

6. Argumentum sextum. — „Ipse etiam ordo 7.
rerum hoc docet. Nusquam enim hoc invenimus, quod ab uno procedant plura absque ordine nisi in illis, quae solum materialiter differunt; sicut unus faber producit multos cultellos materialiter ab invicem distinctos, nullum ordinem habentes ab invicem. Sed in rebus, in quibus non est sola materialis distinctio, semper invenitur in multitudine productorum aliquis ordo. Unde etiam in ordine creaturarum productarum decor divinae sapientiae manifestatur. Si ergo ab una persona Patris procedunt duae personae, scilicet Filius et Spiritus Sanctus, oportet esse aliquem ordinem eorum ad invicem. Nec potest aliquis ordo alius assignari, nisi ordo naturae, quo alius est ex alio. Non est igitur possibile dicere, quod Filius et Spiritus Sanctus sic procedant a Patre, quod neuter eorum procedat ab alio, nisi quis poneret in iis

materialem distinctionem, quod est impossibile." (S. th. 1 p. q. 36. a. 2.) — Videlicet non sufficit ad distinctionem, quod Filius per intellectum, Spiritus Sanctus per voluntatem procedit, quia sicut intellectio et amor quatenus sunt principia productionis non opponuntur nec distinguuntur, ita per se eiusmodi oppositionem ac distinctionem nec habent, quatenus termini productionis sunt. Ceterum ex eo ipso, quod Filius per intellectum et Spiritus Sanctus per voluntatem procedit, iterum recte infertur a S. Thoma, Filium et Spiritum Sanctum sibi opponi ut principium et principiatum; quod sequenti argumento ostenditur.

8. *7. **Argumentum septimum.*** — „Filius procedit per modum intellectus ut verbum, Spiritus Sanctus autem per modum voluntatis ut amor. Necesse est autem, quod amor a verbo procedat. Non enim aliquid amamus, nisi quod conceptione mentis apprehendimus. Unde et secundum hoc manifestum est quod Spiritus Sanctus procedit a Filio." (Ibid.) Scilicet amor necessario refertur ad intellectionem vel verbum tamquam ad suum principium: ergo Spiritus Sanctus tamquam amor procedens a Filio tamquam Verbo procedente tamquam a suo principio pendet ideoque ab eo procedit.

Scholion.

9. ***De Scoti opinatione.*** — Argumentum primum supra ex S. Thoma propositum vehementer impugnavit Scotus atque acriter contendit, ***Spiritum Sanctum, etsi non procederet a Filio, nihilominus ab eo realiter distinctum fore;*** Scotum vero hac in re plures alii theologi imprimis Scotistae secuti sunt. Ad hanc quaestionem inter Scholasticos agitatam recte intelligendam ante omnia considerandum est, illam sententiam conditionalem: ***Si Spiritus Sanctus a Filio non procederet*** esse de conditione ontologice impossibili. Etenim cum in divinitate omnia excepta operatione ad extra metaphysice necessaria sint, Spiritus Sanctus reipsa tam necessario a Filio procedit, quam necessario Deus existit vel Deus est; atque hoc etiam a Scoto conceditur. Neque tamen ideo quaestio notata absurda vel otiosa dici potest, utpote quae ad hanc alteram

redit vel cum ea identica est: *utrum processio Spiritus Sancti a Filio sit secundum nostrum concipiendi modum unica ratio realis distinctionis inter Filium et Spiritum Sanctum,* an vero alio quoque titulo puta, quia Filius per intellectum, Spiritus Sanctus vero per amorem procedit, ab invicem realiter distinguantur. Hoc alterum contendit Scotus contra Sanctum Thomam. Itaque concedit quidem Scotus, rationem aliquam distinctionis realis inter Filium et Spiritum Sanctum esse processionem huius ab illo; eandem vero esse unicam praefracte negat. Quae cum ita sint, opinatio Scoti longe quidam distat ab errore Graecorum; nihilominus cum oeconomia mysterii pugnare, vero eiusdem intellectui detrahere ideoque falsa esse videtur. Quod satis iam constat ex praecedenti tractatione: etenim adagium est omnino certum in communi doctrina Patrum fundatum, a conciliis sancitum, ratione theologica probatum, in Trinitate omnia unum esse, ubi non obviat relationis oppositio; atqui si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, eiusmodi relationis oppositio inter easdem personas non haberetur; ergo. Restat igitur solum, ut *rationes a Scoto oppositae paucis examinentur:*

1) Quaecunque distinguuntur per relationes, quae in **10.**
eodem subiecto componi non possunt, realiter distinguuntur seclusis quocunque ordine mutuo vel quacunque oppositione; sed Spiritus Sanctus et Filius relationes habent, quae in eodem subiecto componi non possunt; ergo licet Spiritus Sanctus a Filio non procederet, realiter tamen ab invicem distinguerentur. Minor probatur: Spiratio passiva et generatio passiva sive filiatio sunt duae relationes, quae in eodem subiecto componi non possunt; etenim sunt duo modi accipiendi esse ab altero; unum autem subiectum bis ab aliquo accipere esse non potest; ergo unum subiectum non potest habere generationem passivam et spirationem passivam ideoque Filius et Spiritus Sanctus ab invicem realiter distinguuntur, etsi Spiritus Sanctus a Filio non procederet. — *R. n.* minorem; etenim seclusa oppositione inter principium et principiatum illae relationes: generatio passiva et spiratio passiva in eodem subiecto componi possent, sicut in Patre

reipsa duae relationes non oppositae, scilicet generatio et spiratio activa simul inveniuntur sine ulla reali distinctione. Ad probationem minoris vero facile respondetur: videlicet si Spiritus Sanctus a Filio non procederet, productio passiva in divinitate non esset duplex re, sed ratione tantum; quare sicut in producente, ita etiam in producto duplex esset relatio non re, sed ratione tantum distincta. Ergo altera realiter distincta productio non est, nisi tertia persona ex secunda procedat.

11. 2) *Si Spiritus Sanctus a solo Filio procederet, nihilominus a Patre distingueretur; ergo si a solo Patre procederet, distingueretur tamen etiam a Filio. Antecedens probatur: si enim non distingueretur a Patre, ergo esset Pater et tunc Filium produceret, a quo processit; quod profecto impossibile est.* — *R. n.* suppositum vel etiam consequentiam, quia sane dispar ratio est. Cum enim Spiritus Sanctus ponitur a Filio procedere, etiam a Patre procedere necessario ponitur spectata persona Patris mediate quidem et spectata virtute eiusdem etiam immediate, quia una virtus Filii et Patris est. At si Spiritus Sanctus non procederet a Filio immediate, neque mediate ab eodem procedere dici posset; ergo. *Illustratur res ex humanis;* etenim nepos procedens a filio, mediate per filium eiusdem patri opponitur atque ab eo distinguitur. Spiritus Sanctus autem, si a Filio non procederet, ei non opponeretur adeoque ab eo non distingueretur.

12. 3) *Eodem, quo aliquid constituitur, ab omnibus aliis distinguitur; sed Filius constituitur ipsa filiatione; ergo per hanc etiam a Spiritu Sancto distinguitur. Ergo quamvis non spiraret Spiritum Sanctum, Filiatione tamen sua ab eo distingueretur.* — *R. d. mai.* Eodem, quo aliquid constituitur, ab omnibus aliis distinguitur re vel ratione *c.* necessario re *n.* vel *sbd.* aliquo constitutivo i. e. individualitate *c.* omni constitutivo *n.* Nimirum *primo* homo v. g. humanitate constituitur neque tamen ea ab immortalitate re sed ratione tantum distinguitur; atque Deus Pater paternitate constituitur, ea tamen a spiratione activa non re sed ratione tantum distinguitur; similiter igitur Filius, si non spiraret Spiritum

Sanctum, haberet relationem spirationis passivae non re sed ratione tantum a relatione filiationis distinctam, atque ideo Filiatione a semetipso, ut spiratus est, non re sed ratione distingueretur. Ut igitur re distinguatur a Spiritu Sancto, opus est, ut ad eundem relatione oppositionis tamquam principium ad principiatum referatur. *Praeterea*, quod realem distinctionem attinet, ea non necessario fit per omne constitutivum, sed satis est, si per unum v. g. individualitatem fiat; sic v. g. duo homines humanitate quidem constituuntur neque tamen ea sed individualitate realiter distinguuntur. Haec tamen animadversio ansam praebet novae obiectioni, scilicet:

4) Si Filius non aliter distinguitur a Spiritu Sancto, 13 *quam per spirationem activam, ergo per ipsam personaliter constituitur; quia quo aliquid personaliter distinguitur, eo etiam personaliter constituitur; persona enim nihil aliud est nisi rationalis naturae substantia individua i. e. ab omnibus aliis distincta. Atqui persona Filii non spiratione activa, sed filiatione constituitur.* — *R. Respondent multi* simpliciter negando eo aliquem personaliter distingui, quo personaliter constituitur; vel saltem, quod personas divinas attinet, id negandum esse dicunt. Sic Pater quidem Paternitate constituitur, non autem eadem, sed potius spiratione activa a Spiritu Sancto distinguitur; nam spiratio activa cum passiva in eodem supposito componi non potest, cum conceptu autem Patris, ut Pater est, non intelligitur pugnare, quominus spiretur. Similiter igitur Filius Filiatione quidem constituitur, sed spiratione activa demum a Spiritu Sancto distinguitur: non vero distinguitur filiatione, quia cum conceptu Filii non pugnat, quominus spiretur spiratione sane ratione tantum a generatione distincta. — *Sed aliter quoque et simplicius responderi potest.* Nimirum cum persona sit rationalis naturae substantia individua i. e. ab omnibus aliis distincta, concedi potest vel debet, distinctionem ab omnibus aliis esse formale constitutivum personae atque ideo personam divinam quoque alteram ab altera distingui eo, quo formaliter constituitur. Sed sine ullo incommodo etiam dici potest spirationem activam esse formale constitutivum Filii, quatenus persona

altera est SS. Trinitatis; nam distinctum esse a persona tertia ad rationem formalem secundae personae pertinet, sicut distinctum esse a prima; distincta autem non est a persona tertia nisi per activam spirationem; quemadmodum igitur Filiatio est constitutivum personae secundae, ita etiam spiratio activa. Filius ut Filius quidem generatione passiva solum constitui concipitur, sed sub sola ratione Filiationis concepta secunda persona nondum concipitur plene constituta in ratione personae; ad hoc insuper requiritur, ut tamquam distinctus etiam a Spiritu Sancto adeoque ut spirator concipiatur. Similiter dicendum est de Deo Patre. — *Atque haec ratio concipiendi melius vel unice respondet naturae rei*: cum enim ex interna necessitate naturae divinae intelligere divinum sit foecundum verbi, atque velle divinum foecundum sit amoris subsistentis, profecto tum Pater nisi ut generans et spirans, tum Filius nisi ut generatus et spirans adaequate non concipiuntur. — Denique dici potest vel debet *nec conferri posse sive Filiationem sive Paternitatem cum spiratione passiva, quin implicite saltem eidem opponi concipiantur.* Nimirum Pater in ratione Paternitatis formaliter constituitur per intelligere ut est producens, Filius vero per intelligere ut est productum; iamvero Spiritus Sanctus quidem voluntate, sed non sola, verum praelucente sane intellectione tum producente tum producta producitur. Ergo Pater et Filius non solum ratione voluntatis elicientis, sed etiam ratione intellectionis dirigentis vel praelucentis Spiritui Sancto iam ut principium principiato opponuntur. Quare illa conditionalis: Si Spiritus Sanctus a Filio non procederet, non solum realiter, sed etiam secundum nostrum concipiendi modum de conditione impossibili est.

14. 5) *Numerus personarum divinarum mensuratur secundum numerum modorum, quibus natura divina multiplicatur; sic, quia duplex tantum eiusmodi modus exstat, tres solum personae sunt, non autem plures. Iamvero, si ita est, illi modo secundum se distincti sunt; quare etsi Spiritus Sanctus a Filio non procederet, nihilominus ab eo distingueretur.* — *R.* Ad alterum modum communicandi naturam divinam per

voluntatem praecise pertinet, ut natura divina non ab uno, sed a duobus a Patre scilicet et Filio Spiritui Sancto communicetur; etenim spiratio tertiae personae productio est et origine posterior generatione, ut demonstratum est.

6) *Ex eo, quod relationes disparatae Paternitatis et* **15.** *spirationis activae in Patre realiter non distinguuntur, non consequitur, relationes filiationis et spirationis passivae realiter non distingui pro hypothesi, in qua Spiritus Sanctus a Filio non procederet. Etenim in principio minor solet esse distinctio, quam in principiatis, quia unum refertur ad multa et multa producit.* — *R.* Haec exceptio Scoti contra argumentationem supra cum S. Thoma institutam nulla est. Recte omnino reponit *Toletus:* „Si per ipsam relationem principii constituitur principium, sicut per ipsam relationem ad principium constituitur, quod est a principio: aequa tunc est conditio principii et eius quod est a principio. Si ergo disparatio relationum in productis multiplicat producta; ita disparatio relationum multiplicabit principia. Sic est in praesenti: nam Pater paternitate constituitur, sicut Filius filiatione. Si igitur spiratio passiva, licet non sit opposita Filio, constituit aliam personam, cur non spiratio activa constituit aliam personam a Patre? Non aliter dici potest, nisi quia deest oppositio. Si igitur Spiritus Sanctus a Filio non procederet, non esset oppositio; non esset ergo distinctio personarum.“ (In S. th. 1. p. q. 36. a. 2. prima conclusio.)

7) *Secundum S. Augustinum „exit Spiritus Sanctus non* **16.** *quomodo natus, sed quomodo datus, et ideo non dicitur Filius, quia nec natus est sicut unigenitus“* (De Trinit. l. 5. c. 14.): *sed quamvis Spiritus Sanctus a solo Patre procederet, esset quomodo datus, quia per voluntatem procedit; ergo etiam in hac hypothesi a Filio realiter distingueretur. Praeterea S. Anselmus hoc ipsum clare enuntiare videtur, utpote qui haec et similia scribit: „Quoniam Filius existit de Deo nascendo, et Spiritus Sanctus procedendo; ipsa diversitate nativitatis et processionis referuntur ad invicem, ut diversi et alii ab invicem.“* (De process. Spiritus Sancti c. 1.); *et inferius ibidem: „Nec Filius, qui existit de Patre nascendo*

est ille, qui de eodem Patre est procedendo, id est Spiritus Sanctus." (c. 3.): *atque iterum ibidem inferius:* „*Cum nascitur unus, non potest cum eo nasci ille, qui per hoc alius est ab eo, quia non similiter nascitur, sed procedit . . . Nam etsi per aliud non essent plures Filius et Spiritus Sanctus, per hoc solum essent diversi.*" (c. 4.) — *R.* Neque illud Augustini neque haec Anselmi testimonia, siquidem accuratius inspiciantur, opinioni Scoti favent. Et Augustinus quidem *imprimis* constanter docet, realem distinctionem in divinis nullam esse posse nisi ex relatione ad invicem. *Deinde* vero in testimonio obiecto non agit de distinctione inter Filium et Spiritum Sanctum, sed ea supposita explicat; cur Spiritus Sanctus non sit Filius. *Ceterum* etiam enuntiat ibi saltem virtualiter vel implicite distinctionem Spiritus Sancti a Filio per ipsam processionem ab eodem, quia dicit Spiritum Sanctum exire quomodo datum i. e. per amorem; amor enim non solius Patris, sed etiam Filii est. *Denique* inferius in eodem opere ad eandem quaestionem clare respondet, Spiritum Sanctum non esse Filium, quia a duobus procedat, Filium vero ab uno tantum procedere posse. (l. 13. c. 27.)

17. Similiter de S. Anselmo dicendum est. Scilicet *primo* S. Anselmus clarissime proponit et maxime urget principium ex doctrina Patrum derivatum: „Nec unitas amittit aliquando suam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio; nec relatio perdit, quod suum est, nisi ubi obsistit unitas inseparabilis." (Ib. c. 2.) *Deinde* immediate post verba secundo loco obiecta sic prosequitur: „Cum autem apparebit, quia Spiritus Sanctus est de Filio, tunc quoque palam erit, quia propter hoc nequit esse Filius Spiritus Sanctus et Spiritus Sanctus Filius." (c. 3.) *Denique* capite 4. ibidem demonstrat Spiritum Sanctum esse de Filio, quia est de Patre vel de Patris essentia, quae una eademque in Patre et Filio est. Quae cum ita sint, S. Anselmus declarans Filium et Spiritum Sanctum ab invicem distingui, quia ille nascendo alter procedendo est, sane intelligit Filium nasci ex Patre et Spiritum Sanctum procedere ex Patre et Filio. Ergo qui procedit, alius est a Filio non ideo praecise, quia est haec a

generatione disparata processio, sed quia est processio ex Patre atque Filio.

Corollarium.

Pater et Filius, cum una sit utriusque et virtus spirandi et spiratio, unum sunt principium Spiritus Sancti. — Haec assertio in praecedentibus continetur et facile inde infertur; quare mirum non est, quod theologi catholici moraliter omnes in eandem conveniant. Excipiuntur pauci solum, imprimis Durandus, Gregorius Ariminensis, Occamus, Gabriel Biel, utpote qui contendunt, Patrem et Filium improprie tantum vel sub certo respectu, non autem proprie et simpliciter dici unum Spiritus Sancti principium; quam opinationem alii theologi temerariam et periculosam in fide notant. Maxime autem adversantur huic veritati Graeci schismatici, utpote qui ex catholica doctrina de processione Spiritus Sancti ex Filio consequi calumniaverunt, duo esse principia Spiritus Sancti et duas eiusdem spirationes. Quare tum a Concilio Lugdunensi II, tum a Concilio Florentino statutum est, Spiritum Sanctum procedere a Patre Filioque tamquam uno principio et unica spiratione. Quae declaratio ita intelligenda est, ut Pater et Filius sint non solum unum principium *quo*, sed etiam unum principium *quod*. 18.

1) *Infertur ex praecedentibus.* — Revera plura sunt vel 19.
argumenta vel capita doctrinae, ex quibus facile haec veritas infertur. Et quidem:

a) *Ex argumentis scripturae, quibus ipsa processio Spiritus Sancti ex Filio demonstrata est.* — Nimirum *primo:* Ipse Christus Dominus declarans, Spiritum Sanctum a se procedere, hanc eiusdem rei rationem reddit: *Omnia, quaecunque habet Pater mea sunt.* (Ioann. 16, 15.) Ergo Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit, non quatenus ab invicem distinguuntur, sed quatenus eandem prorsus perfectionem habent atque perfecte unum sunt; atqui si Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit, quatenus perfecte unum sunt, Pater et Filius unum sunt principium eiusdem; ergo.

— *Praeterea*, ut supra demonstratum est, Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Patris et Spiritus Filii, quia ex Patre et Filio procedit; dicitur vero etiam simpliciter Spiritus Dei et Spiritus Domini, atque ea ratione tamquam principium Spiritus Sancti exhibetur omnis persona divina, quae ipsa non est Spiritus Sanctus: quare nomine Dei ac Domini Pater et Filius comprehenduntur. Pari ratione creatio modo indiscriminatim Deo vel Domino adscribitur, modo distincte uni personae aut Patri aut Filio aut Spiritui Sancto vel omnibus simul expresse nominatis tribuitur. Sicut igitur tres personae sunt unus Creator, quia creant vel generatim ad extra operantur, non quatenus distincti, sed quatenus unum sunt virtute creatrice, quae est ipsa natura divina; ita etiam Pater et Filius unus sunt Spirator, quia unam habent virtutem spiratricem atque unam dilectionem, qua Spiritus Sanctus tamquam amor producitur. Quare, quando Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Dei, procedere ex Patre et Filio significatur tamquam ex unico principio. — *Denique* Spiritus Sanctus ex Patre et Filio procedit quia docente Scriptura a Patre et Filio mittitur; quod pariter supra probatum est: atqui una est missio Spiritus Sancti ex parte Patris et Filii qui mittunt; ergo una est spiratio Patris et Filii ideoque Pater et Filius unum principium Spiritus Sancti sunt. Minor probatur: „Vis ista mittendi, quae inest Patri et Filio, secundum quam ambo mittunt Spiritum Sanctum, quemadmodum et nostrates (Graeci) fatentur, vel eadem est in Patre et Filio vel alia et alia. Sed si alia et alia, erit scilicet maior et minor et consequenter missiones erunt diversae, igitur neque una vis et potentia neque una ipsorum erit operatio... Ergo non alia atque alia, sed eadem est virtus mittendi et missio“ (Bessarion, de processione Spiritus Sancti). Ceterum hoc idem scriptura clare significat, utpote quae promiscue dicit: Patrem mittere Spiritum Sanctum in nomine Filii: Filium mittere Spiritum Sanctum, qui a Patre procedat, Filium mittere Spiritum Sanctum a Patre. Haec enim promiscue dici eatenus tantum possunt, quatenus sicuti Pater ita Filius est principium Spiritus Sancti ita, ut in hac ratione prorsus conveniant. In quo

vero conveniunt Pater et Filius, in eo perfecte unum sunt. Ergo Pater et Filius unum principium Spiritus Sancti sunt.

b) Ex variis doctrinae capitibus, ex quibus supra pro 20
cessio Spiritus Sancti ex Filio demonstrata est. — Et *primo* quidem ex SS. Patrum doctrina in SS. Trinitate omnia unum sunt, ubi non obviat relationis oppositio; atqui in ratione principii Spiritus Sancti nulla est oppositio inter Patrem et Filium; ergo Pater et Filius unum principium Spiritus Sancti sunt. — *Secundo* idem continetur in variis loquendi formulis, quibus declarant Spiritum Sanctum ex Filio quoque procedere, ut v. g. his: Spiritum Sanctum procedere ex Patre per Filium vel mediante Filio, Patrem producere Spiritum Sanctum per Filium, Patrem esse principium sine principio, Filium vero principium a principio, atque similibus. His enim enuntiationibus significatur, eandem esse virtutem spirandi vel activam spirationem in Patre ac Filio atque illud solum discrimen intercedere, quod in Patre quidem sit incommunicata, in Filio autem communicata. Ergo Patrem et Filium unum esse principium Spiritus Sancti significatur, sicut per formulas Patrem creare per Filium et Spiritum Sanctum atque similes nihil aliud omnibus fatentibus exprimitur, nisi tres personas divinas esse unum creatorem vel unum principium creandi ita tamen, ut virtus creandi numero eadem in Patre quidem incommunicata in Filium vero et Spiritum Sanctum ex ipso derivata sit.

2) *Ex disertis SS. Patrum testimoniis.* — Satis erit 21.
audire *Augustinum et Anselmum.* Itaque prior explicans, quare Spiritus Sanctus non sit Filius, inter alia haec habet: „Si ergo et quod datur, principium habet eum a quo datur, quia non aliunde accepit illud quod ab ipso procedit; fatendum est Patrem et Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia, sed sicut Pater et Filius unus Deus, et ad creaturam relative unus creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum Sanctum unum principium: ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum principium, sicut unus creator et unus Dominus.“ (De Trinit. l. 5. c. 14.) — *Anselmus* vero ita disserit: „Quemadmodum igitur lacus

non est de hoc, unde diversi sunt ab invicem fons et rivus, sed de aqua, in qua unum sunt, ita Spiritus Sanctus non est de hoc, unde alii sunt ab invicem Pater et Filius, sed de divina essentia, in qua unum sunt. Si ergo non magis Pater est hoc, unde Spiritus Sanctus est, quam Filius, intelligi nequit, cur magis sit de Patre, quam de Filio. Quodsi dicunt, non eum esse posse de duabus causis sive ex duobus principiis, respondemus, quoniam, sicut non credimus, Spiritum Sanctum esse de hoc, unde duo sunt Pater et Filius, sed de hoc, in quo unum sunt, ita non dicimus, duo eius principia, sed unum principium. Quippe cum dicimus Deum principium creaturae, intelligimus Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum principium, non tria principia, sicut unum creatorem, non tres creatores, quamvis tres sint Pater et Filius et Spiritus Sanctus; quoniam per hoc in quo unum sunt, non per hoc, in quo tres sunt, est Pater aut Filius aut Spiritus Sanctus principium sive creator. Sicut igitur, quamvis Pater sit principium, et Filius sit principium, et Spiritus Sanctus sit principium, non tamen sunt tria principia, sed unum; ita, cum Spiritus Sanctus dicitur esse de Patre et Filio, non est de duobus principiis, sed de uno, quod est Pater et Filius." (De processione Spiritus Sancti c. 9.)

22. 3) *Ex conciliorum decretis.* — Eandem doctrinam clare proponit Concilium Lugdunense II.: „Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre et Filio non tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit . . . Hoc sacro approbante concilio damnamus et reprobamus omnes, qui negare praesumpserint aeternaliter Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere, sive etiam ausu temerario asserere, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio tamquam ex duobus principiis et non tamquam ex uno procedat . . . Hoc professa est hactenus, praedicavit et docuit, hoc firmiter tenet et praedicat, profitetur et docet S. R. ecclesia, mater omnium fidelium et magistra, hoc habet orthodoxorum Patrum atque Doctorum latinorum pariter et graecorum incommutabilis et vera sententia." Quam defini-

tionem repetiit Concilium Florentinum in decreto unionis et Eugenius IV. in bulla *Cantate Domino.*

4) Ex ratione explicatur. — Quaestio, de qua agitur spectari potest ontologice et logice. *Si ontologice spectantur,* post totam tractationem hucusque institutam iam nullam habet specialem difficultatem: brevem tamen explicationem addere expedit: Itaque illa „summa res, videlicet essentia seu natura divina" sub formali ratione intellectionis exprimentis Verbum est Deus Pater; atque sub formali ratione intellectionis expressae seu ut immanens terminus productus intellectionis paternae est Verbum seu Filius; denique sub ratione formali dilectionis productae seu ut terminus productus dilectionis Patris et Filii est Spiritus Sanctus. Sicut autem in omni spiritu, ita etiam in Spiritu infinito, qui est Deus, dilectio praesupponit intellectionem, non autem intellectio dilectionem; intellectio vero exprimens Verbum eidem Verbo communicat naturam divinam sub omni formali ratione excepta sola ratione intellectionis exprimentis Verbum sive Paternitatis ideoque etiam sub formali ratione dilectionis spirantis Spiritum Sanctum et intellectionis huic spirationi praelucentis. Igitur Deus Pater rationem formalem spirationis activae non habet nisi supposita expressione verbi; et Verbum expressum eandem prorsus necessario habet spirationem activam, utpote quae nihil aliud est nisi dilectio divina praelucente intellectione divina foecunda termini consubstantialis i. e. Spiritus Sancti. Quae cum ita sint, satis commode intelligitur, Patrem et Filium sub ratione spirationis activae esse penitus unum idemque sine ulla oppositione et distinctione; ergo non duo sed unum principium sunt Spiritus Sancti. 23.

Si vero res logice spectatur, etiam difficultate carere intelligitur, dummodo prae oculis habeantur regulae multiplicationis nominum supra iam statutae. Nimirum *primo* Pater et Filius non sunt duo *principia quo* Spiritus Sancti; nam principium quo est ipsa natura divina seu voluntas divina, utpote qua Spiritus Sanctus spiratur; natura autem divina et voluntas divina et dilectio divina absolute una est. *Deinde* vero Pater et Filius sunt etiam *unum principium quod;* nam 24.

ut referuntur ad Spiritum Sanctum vel eundem spirant, nulla penitus inter eos est oppositio aut distinctio sed absoluta identitas et unitas. *Neque contra dici potest* Patrem et Filium esse saltem duas personas ideoque duo subiecta subsistentia spirationis activae etsi eiusdem; subiectum autem actionis subsistens sive personam converti cum principio quod: ergo esse etiam duo principia quod Spiritus Sancti. Etenim respondetur: Persona vel suppositum est quidem principium quod; sed significatio horum terminorum non est eadem, cum principium quod dicat respectum ad terminum productum, suppositum autem et persona per se nequaquam; deinde modus significandi etiam diversus est, cum suppositum vel persona significet sicut nomina personalia, principium quod vero sicut nomina concreta substantialia; nimirum terminus persona vel suppositum significat solum subiectum, et formam, i. e. in nostra quaestione vim spirativam vel non significat vel ad summum adsignificat ut accedentem ad personam constitutam non ut constituentem; terminus autem principium quod significat subiectum et adsignificat formam ut subiectum constituentem in ipsa ratione principii quod. Quare secundum regulas supra statutas et explicatas terminus principium quod non muliplicatur nisi multiplicatis subiecto et forma; terminus autem persona et ceteri termini personales sicut adiectivi multiplicantur multiplicato solo subiecto vel supposito. Ergo Pater et Filius, cum sint duae personae, unum tantum sunt principium quod Spiritus Sancti, unus Spirator: possunt autem dici duo spirantes, utpote qui terminus spirans nomen concretum adiectivum est et pro indole horum multiplicato solo subiecto multiplicatur. — Quibus explicatis etiam aliae quaedam obiectiones facile solvuntur:

25. a) Primo hoc loco iam commode solvitur argumentum, quod potissimum Graeci ex ratione theologica derivarunt contra processionem Spiritus Sancti ex Filio: *Spiritus S., si quidem ex Patre et Filio procedat, ambo aut duplici aut una prolatione producunt; atqui si duplici prolatione existat Spiritus Sanctus, simplex esse nequit: si vero una pro-*

latione ambo producant. Pater et Filius aut ut personae sunt producunt aut secundum communem essentiam; si ut personae sunt Spiritum Sanctum producunt, contradictio quaedam et personarum Patris et Filii confusio inducitur atque sic ad duas personas Trinitas redigitur; si vero secundum communem essentiam producere dicantur, Spiritus Sanctus communi essentia caret, cum ipse non spiret. — Iam totum hoc argumentum nihil nisi inane figmentum atque sophisma diversas res penitus confundens esse facile perspicitur. Praetermissis aliis breviter respondeo: *Primo* Pater et Filius non duplici sed una simplicissima spiratione Spiritum Sanctum producunt. *Secundo* Pater et Filius, ut sint principium quod Spiritus Sancti tamquam verae personae subsistere debent, cum actiones sint suppositorum. *Tertio* nihilominus non producunt Spiritum Sanctum ut personalitate realiter distinguuntur, sed ut unum sunt secundum naturam et virtutem spirandi; ideo tamen profecto personae diversae manent. *Quarto* Pater et Filius spirant non secundum essentiam simpliciter, sed secundum essentiam ut est spiratione activa quasi affecta vel nondum spiratione communicata; in Spiritu Sancto igitur eadem est prorsus essentia, sed non iam spiratione activa affecta verum spiratione communicata sive spiratione passiva affecta; Spiritus Sanctus enim actus est vel terminus productus Patris et Filii, ut habent essentiam spiratione activa affectam, atque ideo praecise iis opponitur atque realiter ab iisdem distinguitur. Eadem ratione ab ipsis Graecis saltem Patribus explicatur, quomodo Pater et Filius et Spiritus, cum sint tres personae realiter distinctae, unum tamen principium creationis sint.

b) *Cum dicitur Pater et Filius unum principium Spiritus Sancti, certe non significatur unitas personalis, cum Pater et Filius non sint una persona; nec significatur unitas proprietatis, quia secus dicendum foret, Patrem ut generantem et spirantem secundum diversitatem harum proprietatum esse duo principia Filii et Spiritus Sancti; ergo dici nequit, Patrem et Filium esse unum principium Spiritus Sancti.* — 26.
R. cum *S Thoma:* „Cum dicitur: Pater et Filius sunt unum

principium Spiritus Sancti, designatur una proprietas, quae est forma significata per nomen. Non tamen sequitur, quod propter plures proprietates possit dici Pater plura principia, quia implicaretur pluralitas suppositorum.“ (S. th. 1. p. q. 36. a. 4. ad 2.) Scilicet terminus *principium quod* utpote concretus substantivus, non multiplicatur nisi multiplicatis tum forma tum subiecto, ut supra dictum est.

27. c) *Sed, si ita res habet, saltem Pater, ut est principium Filii, et Filius, ut est principium Spiritus Sancti, duo principia erunt. Nam sunt duo supposita et producunt per virtutem formaliter diversam, per virtutem nempe generandi et per virtutem spirandi.* — *R.* Etsi totum quod obicitur verum esset, nihil contra doctrinam huius corollarii sequeretur. Verumtamen Pater generans et Filius spirans virtualiter quidem, non autem realiter duo principia sunt. Etenim supposita quidem realiter multiplicantur, at virtus generandi et virtus spirandi in re non distinguuntur, neque Filius, ut Spirator est, realiter distinguitur a Patre, ut Pater est, cum etiam Pater sit idem Spirator; etenim inter Paternitatem et Spirationem activam aut Filiationem et Spirationem neque oppositio neque igitur realis distinctio est. Quare Pater generans et Filius spirans etiam respectu distinctorum terminorum non duo principia sunt, sed unum. Sed duo ratione dici possunt, quia duo supposita sunt, et ex parte formae habetur pluralitas rationis.

28. Urgeri tamen potest hunc in modum: *Paternitas et spiratio activa, etsi ratione tantum distinctae sint, simpliciter tamen duae relationes dicuntur; ergo etiam subiecta vel concreta harum relationum, quamvis substantive sumantur, saltem respectu distinctarum personarum Patris et Filii multiplicari poterunt.* — *R. n.* paritatem; etenim non plane idem dicit principium et relatio etiam in Trinitate. Nomen scilicet principii de formali non significat relationem secundum esse, sed virtutem producendi, quae est ipsa essentia connotata relatione ideoque sequitur conditionem termini absoluti. Eiusmodi autem terminus absolutus tamquam concretum substantivum non multiplicatur forma absoluta non

multiplicata. Apposite igitur *Anselmus:* „Nec tamen duo confitemur principia, unum Patrem ad Filium, alterum Patrem et Filium ad Spiritum Sanctum. Sicut non credimus alium Deum de quo est Filius, et alium Deum Patrem et Filium, de quo est Spiritus Sanctus, quamvis de eodem Deo sive de eodem principio suo quisque modo sit." (De processione Spiritus Sancti c. 10.) Si vero principium sumatur, ut formaliter a relatione denominatur, poterunt dici duo principia ut duo relata: sed praecise esse duo principia ratione tantum quoad relationem simul notandum est.

4) *„Si Pater et Filius sunt unum principium Spiritus* 29
Sancti, aut unum quod est, aut unum quod non est Pater. Sed neutrum est dare; quia si unum quod est Pater, sequitur quod Filius sit Pater; si unum quod non est Pater, sequitur quod Pater non est Pater. Non ergo dicendum est, quod Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti." — *R.* „Haec duo, scilicet: Pater et Filius sunt unum principium quod est Pater, aut unum principium quod non est Pater, non sunt contradictorie opposita; unde non est necesse, alterum eorum dare. Cum enim dicimus: Pater et Filius sunt unum principium, hoc quod dico: *principium*, non habet determinatam suppositionem, imo confusam pro duabus personis simul. Unde in processu est fallacia figurae dictionis a confusa suppositione ad determinatam." (S. th. 1. p. q. 36. a. 4. ad 4.) — Nimirum suppositio est acceptio vel usus termini substantivi pro aliqua ex rebus, quas idem nomen natum est designare; quae denominatio ex eo orta est, quod vocabula rebus substituuntur vel pro iis supponuntur. Quare suppositio a significatione differt, quamvis in eadem fundetur, significatio scilicet intellectui aliquam rationem obiectivam obicit, quae per se in pluribus inveniri vel verificari potest. Suppositio autem designat aliquod individuum vel vocabulum adhibet ad aliquod individuum designandum, in quo illa ratio reipsa invenitur. Itaque significatio v. g. termini *homo* est animal rationale; suppositio autem in hac sententia: hic homo est sapiens, nihil aliud est nisi usus termini *homo* ad praesens individuum, in quo animalitas-rationalitas invenitur, de-

signandum; vel est usus sive substitutio eiusdem termini pro praesenti individuo, in quo significatio illa verificatur. Nomina igitur non supponunt nisi in propositione, cuius sunt termini; nam ibi tantum determinantur vel adhibentur ad standum pro uno ex illis, quibus ratio significata convenit. Quibus notatis vel ex Logica in memoriam revocatis solutio S. Thomae iam intelligitur: Nimirum in his sententiis: Pater est principium, Pater et Filius sunt principium, hoc vocabulum principium eandem quidem significationem, sed non eandem suppositionem habet; quare in obiecto argumento sophisma figurae dictionis committitur, utpote quae obtinet, si in ratiocinio illegitime suppositio termini mutatur.

30. *b) „Si Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, videtur e converso dicendum, quod unum principium Spiritus Sancti sit Pater et Filius. Sed haec videtur esse falsa; quia hoc quod dico principium, oportet quod supponat vel pro persona Patris, vel pro persona Filii; et utroque modo est falsa. Ergo etiam haec est falsa: Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti.“* — *R.* „Haec etiam est vera: Unum principium Spiritus Sancti est Pater et Filius; quia hoc, quod dico principium, non supponit pro una persona tantum, sed indistincte pro duabus.“ (Ibid. ad 5.)

Articulus tertius.

De habitudine inter processionem Spiritus Sancti et Filii generationem.

Thesis 11. **Spiritus Sanctus a Patre et Filio per operationem voluntatis procedit.**

Declaratio.

1. ***Argumentum et divisio huius articuli.*** — Postquam processio Spiritus Sancti demonstrata atque simul aliqualiter etiam declarata est, iam accuratior praesertim per eiusdem cum processione Filii comparationem explicatio tentanda est, ut etiam hac in re, quantum fieri potest, intel-

lectus fidei vel acquiratur vel augeatur. Omnia vero, quae exponenda sunt, commode ad duo capita revocantur, quae singillatim in duabus thesibus absolvuntur: scilicet in praesenti thesi ostendendum est. Spiritum Sanctum aliter ac Verbum per operationem voluntatis procedere; in sequenti vero explicanda erit quaestio connexa, quamobrem Spiritus Sanctus non sit Filius neque eius processio rationem generationis habeat. Quaestiones quaedam aliae, quae cum his cohaerent vel cognatae sunt, facile in corollariis vel scholiis adiectis expedientur.

Demonstratio.

Processio Spiritus Sancti per operationem voluntatis non 2.
quidem tam clare in fontibus revelationis continetur, quam processio Filii per intellectionem; nihilominus etiam illa veritas satis certo demonstratur; quare etiam theologi moraliter omnes eam profitentur atque propugnant.

1. Probatur ex ratione theologica per exclusionem. — Ut ex ipsa revelatione constat processiones in Deo sunt spirituales et immanentes; atqui eiusmodi processiones non possunt esse nisi per intellectum aut voluntatem; ergo Spiritus Sanctus procedit aut per intellectum aut per voluntatem; atqui non procedit per intellectum; quia intellectus iam adaequatum terminum productum Filium habet sive Verbum; atque Spiritus Sanctus ipse nullatenus verbi intellectualis rationem habet. Ergo nihil restat, nisi ut Spiritus Sanctus per voluntatem procedere dicatur. — Aliqui hoc argumentum admittere renuunt, utpote quod mere a priori sit. At vero immerito; etenim mere a priori argumentum non ducitur, quia processiones immanentes duas in Deo exstare, quarum una per intellectionem sit, ex ipsa revelatione supponitur. Qua ratione intellectum argumentum omnino legitimum est atque etiam certitudinem praebere videtur; ad minimum saltem alia argumenta iam proponenda egregie confirmat atque ex ipsa rei natura aliquam explicationem diversitatis duarum processionum in Deo immanentium subministrat.

3. ***2. Ex eo, quod caritas aliaque dona supernaturalia speciali modo Spiritui Sancto adscribuntur.*** — Ad meliorem huius atque aliorum argumentorum subsequentium intelligentiam *notatio quaedam praemittenda est:* Nimirum ipsa s. scriptura de modo processionum divinarum nos edocet per appropriationes, quippe quibus attributa quaedam tribus quidem personas communia uni tamen personae prae ceteris adscribuntur, quatenus inter illa attributa et hanc singularem personam eiusque characterem personalem peculiaris exstat similitudo vel analogia. — Quo posito ita ex scriptura argumentari licet: In ss. litteris bonorum omnium imprimis supernaturalium largitio atque maxime caritatis infusio et adoptio filiorum speciali prorsus ratione Spiritui Sancto prae ceteris personis adscribuntur, v. g.: *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* (Rom. 5, 5.). *„Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas* (Gal. 5. 22. 23.). Regeneratio est *renovatio Spiritus Sancti* (Ioan. 1, 33.; 3, 5. 8.; Act. 1, 5.; 11, 16.; 19. 2–6.; 1. Cor. 12, 13.; Tit. 3, 5.; Heb. 6, 5.). Spiritus Sanctus in iustificatis habitat tamquam in templo, est unctio atque pignus in cordibus eorum: *Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo . . . Glorificate et portate Deum in corpore vestro* (1. Cor. 19, 20). *Spiritu Dei aguntur Filii Dei* (Rom. 8, 14.). Denique praeter alia ipsi maxime gubernatio ecclesiae, imprimis eius infallibilitas adscribitur, ipse cum ecclesia in aeternum manet (Act. 13, 2.; 20. 28.; Ioan. 14, 16. ss.; 15. 26.; 16, 13—15.). Itaque cum haec sit ratio loquendi scripturae, communissima ecclesiae quoque consuetudine, quemadmodum Patri potentia et Filio sapientia, ita Spiritui Sancto bonitas vel caritas sive amor adscribitur. Atqui attributionis talis sive appropriationis ratio hoc habet, ut ea solum personae singulari vel uni prae ceteris speciali modo tribuantur, quae peculiarem analogiam sive similitudinem sive nexum cum charactere proprio eiusdem personae habent. Ergo, quemadmodum Patri, quia est

primum principium sive principium sine principio, tribuitur potentia. et Filio, utpote qui est verbum Patris, sapientia: ita Spiritus Sanctus, quippe cui bonitas et caritas appropriantur, tamquam amor procedere dicendus est; qua sola via huius appropriationis ratio reddi potest. Atqui amor, cum voluntatis actus sit, per voluntatem procedit. Ergo Spiritus Sanctus per voluntatem procedere credendus est tamquam amor substantialis a Patre Filioque productus.

3. Ex eo, quod Spiritus Sanctus peculiari 4.
modo „donum" vocatur. — Tum in ss. litteris, tum in liturgia ecclesiastica tum a SS. Patribus Spiritus Sanctus speciali modo donum appellatur, ut v. g. *Accipietis donum Spiritus Sancti* (Act. 2, 38.); quibus verbis S. Petrus conversuris ipsum Spiritum Sanctum donatum iri promittit: donum igitur Spiritus Sancti (sc. genitivus est obiectivus) significat donum, quod ipse Spiritus Sanctus est. Atque iterum, quando Simon Magus oblata pecunia ab Apostolis rogabat potestatem, *ut cuicunque imponeret manus acciperet Spiritum Sanctum,* respondit Petrus: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri* (Act. 8, 20.). Similiter in hymno: *Veni creator* Spiritus Sanctus disertis verbis *Altissimi donum Dei* appellatur. Denique etiam Patres hac appellatione utuntur, ut *Augustinus:* „Neque vero frustra non dicitur Verbum Dei nisi Filius, nec donum Dei, nisi Spiritus Sanctus." (De Trinit. l. 15. c. 17. n. 29.) Et *Hilarius:* „Baptizari iussit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, i. e. in confessione et auctoris (i. e. primi principii) et unigeniti et doni." (De Trinit. l. 2. initio.) Itaque consideratis fontibus vel normis theologicis Spiritus Sanctus peculiari modo donum est. Iamvero cum omnes personae divinae se nobis donent, illa specialis attributio quidquam aliud significare nequit nisi, Spiritum Sanctum ex personali charactere vel origine id habere, ut peculiari modo prae aliis personis divinis *donum* appelletur: quare *Augustinus* dicit, Spiritui Sancto donum esse nihil esse nisi a Patre procedere, quemadmodum scilicet et Filio natum esse est a Patre esse (De Trinit. l. 4. c. 20. n. 29.); hoc ipsum

autem non obtineret, nisi Spiritus Sanctus ut amor procederet; ergo tamquam amor ideoque per voluntatem procedit. Minor magis explicatur per hanc *S. Thomae* expositionem: „Donum proprie est datio irredibilis, id est, quod non datur intentione retributionis, et sic importat gratuitam donationem. Ratio autem gratuitae donationis est amor; ideo enim damus gratis alicui aliquid, quia volumus ei bonum. Primum ergo, quod damus ei, est amor, quo volumus ei bonum. Unde manifestum est, quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Unde cum Spiritus Sanctus procedat ut amor . . . procedit in ratione doni primi. Unde dicit Augustinus, 10. de Trinit. c. 24. ante med., quod per donum, quod est Spiritus Sanctus, multa propria dona dividuntur membris Christi.“ (S. th. q. 38. a. 2.)

5. ***4. Ex nomine Spiritus.*** — Praeterea per usum scripturae, SS. Patrum, ecclesiae tertiae personae quasi proprium accommodatum est nomen Spiritus in sensu spirati, atque processio eius spiratio dicitur: atqui per spirationem, si quidem de processione immanente agitur, nihil aliud intelligi potest, nisi processio per voluntatem; ergo Spiritus Sanctus per voluntatem procedit. *Minor ex eo patet,* quod nomen *spiratio* omnino congruenter ad hanc significationem flectitur; nam nomen spiritus in rebus corporeis impulsum quendam et vim motivam significat; in rebus autem spiritualibus voluntas est vis motiva et ideo vox spiritus etiam apud profanos auctores significat voluntatis motiones, ut superbiae, audaciae, amoris etc. Eodem sensu etiam scriptura loquitur v. g. Ez. 1, 12.; 1. Reg. 16, 14.; Ioan. 3, 8.; Rom. 8, 14. et aliis locis. Cf. S. Thomam l. c. q. 36. a. 1.

6. ***5. Ex eo, quod sanctitas speciali modo tertiae personae adscribitur.*** — Revera tertiae personae SS. Trinitatis tum in ss. litteris, tum a ss. Patribus tum in ecclesiastica liturgia speciali modo sanctitas tribuitur ita quidem, ut nomen Spiritus Sanctus tamquam proprium ei accommodatum sit. Atqui huius denominationis ratio, cum pariter ex charactere personali vel ex origine eiusdem petenda sit, alia nequit assignari, quam quod per amorem adeoque

voluntatem Patris et Filii procedat. Quemadmodum enim Filius ex substantia Patris procedit, ut haec est intellectio subsistens adeoque naturam sub ratione intellectionis et veritatis subsistentis accipit, ita Spiritus Sanctus, si quidem ex substantia Patris et Filii procedit, ut haec est amor subsistens, etiam ipse naturam divinam vi processionis suae sub ratione amoris et bonitatis subsistentis accipit; adeoque sive consideratur sanctitas moralis subsistens, quae est amor infinitus identicus cum infinita bonitate, sive spectatur sanctitas obiectiva subsistens, quae est ipsa essentia divina ut est identica cum infinita bonitate: in utroque casu tertia persona Spiritus tamquam sanctitas subsistens procedere intelligitur. Ergo, ne frustra tertia persona peculiari modo sanctus vocetur, per voluntatem procedere dicenda est.

6. Ex auctoritate SS. Patrum et theologorum. 7.

Maxime confirmatur doctrina proposita, quod in eam universim conveniunt tum Patres tum theologi; quod breviter ostendendum est.

1) Et SS. Patres processionem Spiritus Sancti per amorem Patris et Filii tum implicite sive aequivalenter tum expressis verbis docent. — Et *primo* quidem *implicite vel aequivalenter* eam doctrinam proponunt, quando ea doctrinae capita declarant atque urgent, ex quibus modo veritas catholica deducta est. Ex innumeris testimoniis pauca adscribere satis erit: Itaque audiatur v. g. *Basilius:* „Via ad Dei cognitionem est ab uno Spiritu per unum Filium ad unum Patrem. Ex ordine opposito naturalis bonitas et essentialis sanctimonia et regalis dignitas ex Patre per Unigenitum in Spiritum permanat.“ (De Spiritu Sancto n. 47.) „Spiritus Sanctus, cum essentialiter sanctus sit, fons appellatur sanctitatis.“ (Ep. 8. n. 10.) „Sive dixeris angelos sive archangelos sive coelestes omnes potestates, per Spiritum sanctimoniam accipiunt; Spiritus autem ipse naturalem habet sanctitatem, non gratia acceptam sed essentialem, unde et singulariter appellationem Sancti obtinet.“ (Ep. 159. n. 2.) Similiter *Gregorius Naz.* sanctitatem tamquam characterem personalem Spiritus Sancti exhibet: „Definis nostram piam fidem docens . . . Patrem

vere Patrem . . . Filium vere Filium . . . Spiritum Sanctum vere Sanctum: neque enim alius talis est nec taliter, neque ex accessione sanctitas, sed est ipsa sanctitas." (Or. 25. al. 23. n. 16.) Atque *Cyrillus A.:* Spiritus, ait, ex Filio est sicut „dulcedo ex melle, calor ex igne. refrigerium ex aqua . . . Dicant nobis. qui Spiritum ex participatione audent dicere sanctum et non naturaliter, quidnam igitur ipse per se et in propria hypostasi est Spiritus? At nihil aliud, quam Sanctum ex scripturis audivimus: non igitur participatione vel compositione sanctus, sed est essentia et natura sanctificans atque sanctitatis Dei ac Patris, ut ita loquar, qualitas, sicut dulcedo ex melle et bonus odor ex flore . . . Haec ipsius appellatio, quid secundum essentiam sit, significat; Sanctus enim appellatur." (Thesaur. p. 1.) Denique perspicue *S. Augustinus:* „Cum sit Pater spiritus, et Filius spiritus, et Pater sanctus. et Filius sanctus, proprie tamen ipse vocatur Spiritus Sanctus, tamquam sanctitas substantialis (hypostatica) et consubstantialis amborum." (De civit. Dei l. 11. c. 24.) Et iterum idem: „Spiritus Sanctus in eadem unitate et aequalitate (cum Patre et Filio) consistit, sive enim sit unitas amborum, sive sanctitas, sive caritas, sive ideo unitas quia caritas, et ideo caritas quia sanctitas, manifestum est (ex revelatione), quod non aliquis duorum est, quo uterque coniungitur." (De Trinit. l. 6. c. 5. n. 7.)

8. *Deinde* SS. Patres etiam *expressis verbis* docent, Spiritum Sanctum ideo esse amorem seu bonitatem seu sanctitatem Patris et Filii, quia per mutuam dilectionem amborum procedit. Nominatim *S. Augustinus,* ubicunque aliquam intelligentiam huius mysterii vel processionum divinarum exhibere conatur sive per analogiam cum nostra vita interna sive alio modo, semper supponit vel innuit, sicuti Filium per intellectum ita Spiritum Sanctum per voluntatem procedere. Audiatur ipse: „Spiritus ergo Sanctus commune aliquid est Patris et Filii, quidquid illud est. At ipsa communio consubstantialis et coaeterna: quae si amicitia convenienter dici potest, dicatur: sed aptius dicitur caritas. Et haec quoque substantia: Et Deus charitas (1. Ioan. 4. 16.), sicut scriptum

est. Sicut autem substantia simul cum Patre et Filio, ita simul magna et simul bona, et simul sancta, et quidquid aliud ad se dicitur; quoniam non aliud est Deo esse, et aliud magnum esse vel bonum esse, et cetera, ut supra ostendimus. Si enim minus magna est ibi caritas quam sapientia, minus quam est diligitur sapientia: aequalis est igitur, ut quanta est sapientia, tantum diligatur: est autem sapientia aequalis Patri, sicut supra disputavimus; aequalis est igitur etiam Spiritus Sanctus; et si aequalis, in omnibus aequalis propter summam simplicitatem, quae in illa substantia est. Et ideo non amplius, quam tria sunt, unus diligens eum qui de illo est, et unus diligens eum de quo est, et ipsa dilectio. Quae si nihil est, quomodo *Deus dilectio est?* Si non est substantia, quomodo Deus substantia est?" (De Trinit. l. 6. c. 5.) „Qui Spiritus Sanctus secundum scripturas sanctas nec Patris solius est nec Filii solius sed amborum: et ideo communem, qua invicem se diligunt Pater et Filius, nobis insinuat caritatem." (Ib. l. 15. c. 17. n. 27.) Haec duo Augustini testimonia sufficiant; multa vero alia in eodem opere exstant praesertim inde a c. 9. usque ad ultimum, utpote in quibus maxime adlaborat ad aliquem intellectum fidei procurandum circa personam Spiritus Sancti eiusque ad Patrem Filiumque habitudinem. Sed et alii Patres declarant Spiritum Sanctum esse amorem seu bonitatem seu sanctitatem Patris et Filii, quatenus per mutuam dilectionem amborum procedit. Quod testimoniis pluribus confirmat Petavius l. 7. c. 11.

2) *Eadem est communis doctrina scholasticorum.* — Iam **9.**
S. Anselmus non ambigue hanc doctrinam proponit atque in Monologia inde a capite 49. per plura capita evolvit atque urget. Sic c. 57 declarat, tertiam personam recte Spiritum proprio nomine appellari, cum tamquam amor procedat: „Pater autem pariter et Filius non faciunt neque gignunt, sed quodammodo, si sic dici potest, spirant suum Amorem: quamvis enim non nostro modo spiret summe incommutabilis essentia; tamen ipsum suum Amorem a se ineffabiliter procedentem, non discedendo ab alia, sed existendo ex illa, forsitan non alio modo videtur posse dici aptius ex se emittere, quam

spirando. Quod si dici potest, sicut Verbum summae essentiae Filius est eius, ita eiusdem Amor satis convenienter appellari potest Spiritus eius: ut cum essentialiter ipse sit spiritus, sicut Pater et Filius, illi non putentur alicuius spiritus, quia nec Pater ab ullo alio est, nec Filius a Patre quasi spirante nascitur; iste autem aestimatur Spiritus utriusque, quia ab utroque, suo quodam inenarrabili modo, mirabiliter procedit. Qui etiam ex eo, quia est communio Patris et Filii, non absque ratione quasi proprium assumere posse videtur aliquod nomen, quod Patri Filioque commune sit, si proprii nominis exigit indigentia. Quod quidem si fiat, scilicet ut ipse Amor nomine Spiritus, quod substantiam pariter Patris et Filii significat, quasi proprio designetur: ad hoc quoque non inutiliter valebit, ut per hoc idipsum esse, quod est Pater et Filius, quamvis ab illis esse suum habeat, intimetur." (L. c.) — *S. Thomae* iam supra plura testimonia adducta sunt, quibus haec doctrina proponitur et declaratur; ubicunque vero hanc quaestionem tractat, semper eandem doctrinam proponit et urget. — De *S. Bonaventura* idem valet; sic v. g. hanc definitionem spirationis statuit: „Spiratio est productio substantifica per modum voluntatis" (Decl. term. theol.) Et alibi cum nomine Spiritus connectens processionem per amorem sic disserit: Nomen Spiritus „secundum modum . . . duplicem accipitur in substantia spirituali sive rationali. Aut a spiritualitate contra corporeitatem et sic substantia rationalis, vel eius potentia interior, dicitur spiritus . . . Aut a spiratione; et sic affectus vel amor dicitur spiritus. Et ratio huius est, quia actus spirationis in corpore est actus internus, actus continuus, actus vivificus, et habet originem a calore. Quia ergo egressus amoris, ut amor est, venit ab intrinseco: et amor est actus vivificus, quia amor est vita: et iterum amor est actus continuus, quia continue debet reddi amor, et tunc est perfectus, quando homo sic amat; rursus est calor spiritualis; ideo solus amor dicitur spiritualiter spirari . . . Secundum hunc duplicem modum accipitur in divinis. Nam secundum quod spiritus dicitur a spiritualitate, sic convenit toti Trinitati; nam tota

Trinitas caret corporeitate et materialitate. Et sic est nomen absolutum . . . Secundum autem, quod dicitur a spiratione, sic convenit illi soli personae, quae procedit ut amor ratione iam dicta. Spirare enim in spiritualibus solius est amoris; et quoniam amor potest spirari recte et ordinate, et sic est purus, vel indirecte et immunde, et sic est libidinosus; ideo persona illa, quae est amor, non tantum dicitur Spiritus, sed Spiritus Sanctus.“ (In 1. d. 10. a. 2. q. 3.) — Principes theologiae scholasticae hac in re secuti sunt ceteri theologi omnes exceptis Durando et, ut alii referunt, Gregorio Ariminensi, Occamo et Gabriele Biel, quos alii propterea etiam acrioribus censuris notant. Cf. Suarez l. 1. c. 3.; Ruiz disp. 2. s. 3. n. 11.

3) *Denique eidem doctrinae etiam pondus auctoritatis ecclesiasticae accessit per expressam approbationem tum Concilii Toletani tum Catechismi Romani.* — Et Concilium quidem illud sic declarat: „Nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad sanctificandam creaturam; sed simul ab utrisque processisse monstratur, quia caritas sive sanctitas amborum cognoscitur.“ Et *Catechismus Romanus* ita docet: „Quamvis SS. Trinitatis opera, quae extrinsecus fiunt, tribus personis communia sint, ex iis tamen multa Spiritui Sancto propria tribuuntur, ut intelligamus illa in nos a Dei immensa caritate proficisci; nam cum Spiritus Sanctus a divina voluntate veluti amore inflammata procedat, perspici potest eos effectus, qui proprie ad Spiritum Sanctum referuntur, a summo erga nos Dei amore oriri.“ (P. 1. c. 9. n. 7.) 10

Scholia quaedam.

1. *Obiectiones quaedam solvuntur.* — Cum argumenta pro Durandi opinione iam supra (th. 5. n. 67.) soluta sint, hoc loco aliae quaedam, quae solam processionem Spiritus Sancti per voluntatem respiciunt, breviter expediendae sunt: 11

1) *Spiritus Sanctus ab ipso Christo iterum iterumque Spiritus veritatis vocatur; praeterea mitti dicitur, ut discipulos doceat atque in omnem veritatem inducat* (cf. Ioan. 14,

17. 26.: 15. 26.: 16. 13.). *Ergo potius sicut Filius per intellectum procedere credendus est.* — *R. n.* consequentiam, quia plures rationes exstant, ob quas Spiritus Sanctus spiritus veritatis dicatur, quamvis non per intellectum, sed per voluntatem procedat. Et *prima quidem ratio* est, quia a Filio procedit, qui de seipso dicit: *Ego sum veritas.* Spiritus veritatis igitur idem est ac spiritus ex veritate procedens. Apposite *S. Thomas:* „Sicut in nobis ex veritate concepta et considerata sequitur amor ipsius veritatis, ita in Deo concepta veritate, quae est Filius, procedit amor; et sicut ab ipsa procedit, ita in eius cognitionem ducit . . . est enim amor, qui facit secretorum revelationem." (In Ioan. 14. lect. 4.) — Unde (ex verbis sc. S. Thomae) *altera eiusdem appellationis ratio* exstat: nimirum Spiritus Sanctus veritatem manifestat atque in eam ducit; quare inter dona Spiritus Sancti charisma veritatis numeratur (1. Cor. 12, 11.). Atque sub hoc respectu quidem appellatio Spiritus veritatis sub altera Spiritus gratiae continetur, sed primum atque fundamentale eius donum insinuat, scilicet fidem, quae est radix atque fundamentum sanctificationis, utpote qua, ut S. Petrus loquitur, Deus nos *de tenebris vocat in admirabile lumen suum.* (1. Pet. 2, 9.) Denique *tertio* Spiritus Sanctus ideo quoque Spiritus veritatis dici potest ac dicitur, ut essentialis atque radicalis eiusdem oppositio ad spiritum mundi exprimatur, qui totus vanus et fallax et mendax esse cognoscitur.

12. *2) Aliqui Patres, ut Tertullianus et Irenaeus Spiritum Sanctum sapientiam appellarunt; ergo iterum secundum hos Patres saltem vel scriptores ecclesiasticos ut Filius tamquam sapientia vel verbum per intellectum procedere videtur.* — *R.* iterum *n.* consequentiam. Et *primo* quidem conclusio non sequeretur etsi ex mente illorum scriptorum esset, quippe quorum auctoritas ad eam minime cogeret, quia communi consensui Patrum et totius ecclesiae opponeretur, secundum quam sapientia hypostatica est solus Filius. *Secundo* autem illi scriptores eam appellationem Spiritui Sancto tribuentes de modo processionis eiusdem cogitasse non videntur. *Tertio* alia ratio exstat, ob quam Spiritus etsi per voluntatem pro-

cedens apte prorsus Spiritus sapientiae vel etiam sapientia dici potest. Etenim sapientia non tantum ad intellectum refertur, sed etiam voluntatem spectat et ita accepta unum ex septem donis Spiritus Sancti est. Eandem autem sic definit *S. Thomas:* „Sapientia importat quandam rectitudinem iudicii secundum rationes divinas . . . Sed rectum iudicium de rebus divinis habere secundum quandam connaturalitatem ad ipsas pertinet ad sapientiam, secundum quod donum est Spiritus Sancti . . . Huiusmodi autem connaturalitas ad res divinas fit per caritatem, quae unit nos Deo." (S. th. 2. 2. q. 45. a. 2.) Quare sapientia sic accepta atque Spiritui Sancto tributa idem fere dicit, ac quando appellatur caritas vel sanctitas.

2. *Utrum Pater et Filius recte dicantur Spiritu Sancto se diligere?* — Haec ratio loquendi apud 13.
aliquos SS. Patres legitur; num vero legitima esset, veteres theologi multum disputarunt, ut refert S. Thomas (S. th. 1. p. q. 37. a. 2. et in 1. d. 32.): sed disputatio multo magis de verbo, quam de re erat. Totam quaestionem clare et concinne solvit ipse *S. Thomas:* „Cum res communiter denominetur a suis formis, sicut album ab albedine et homo ab humanitate, omne illud, a quo aliquid denominatur, quantum ad hoc, habet habitudinem formae; ut si dicam: iste est indutus vestimento, iste ablativus construitur in habitudine causae formalis, quamvis non sit forma. Contingit autem aliquid denominari per id quod ab ipso procedit, non solum sicut agens actione, sed etiam sicut ipso termino actionis, qui est effectus, quando ipse effectus in intellectu actionis includitur. Dicimus enim . . quod arbor est florens floribus, quamvis flores non sint forma arboris, sed quidam effectus ab ipsa procedentes. Secundum hoc ergo dicendum quod cum diligere in divinis dupliciter sumatur, essentialiter scilicet et notionaliter, secundum quod essentialiter sumitur, sic Pater et Filius non diligunt se Spiritu Sancto, sed essentia sua . . . Secundum vero quod notionaliter sumitur, sic diligere nihil est aliud quam spirare amorem, sicut dicere est producere verbum et florere est producere flores. Sicut ergo

dicitur arbor florens floribus, ita dicitur Pater dicens Verbo vel Filio se et creaturam; et Pater et Filius dicuntur diligentes Spiritu Sancto, vel amore procedente, et se et nos." (Ib.) Itaque *primo* Spiritus Sanctus nequaquam est causa formalis, qua Pater et Filius amantes constituantur, sed est terminus, qui per amorem Patris et Filii necessario producitur; quare ex negatione eiusmodi amoris producti et subsistentis aeterni logice consequitur, Patrem et Filium ab aeterno sine amore et vita fuisse; qua ratione SS. Patres nonnunquam contra Arianos argumentati sunt. *Secundo* cum diligere sumatur tum essentialiter tum notionaliter, intelligere potius solum essentialiter sumitur, cum intelligere productivum potius termino dicere significetur. Quare facilius et verius dicitur: Pater et Filius diligunt Spiritu Sancto, quam: Pater intelligit Verbo; scilicet pro hac expressione potius adhibenda est altera: Pater dicit Verbo; quod iam superius expositum est.

14. ***3. Ex quarum rerum amore Spiritus Sanctus procedat.*** — Haec quaestio analoga esse intelligitur alteri, quae supra tractata est: quarum rerum intellectione Verbum divinum procedat? Quare eadem fere ratione solvi atque breviter expediri potest. Itaque respondetur: *Amor, quo Spiritus Sanctus producitur est amor, quo Pater et Filius diligunt, quidquid formaliter in Deo est, ideoque amor, quo diligunt essentiam divinam sub omni ratione absoluti et relativi: non autem videtur esse amor, quo creaturae in seipsis amantur.*

1) Ratio primae assertionis manifesta esse videtur. — Etenim amor ut est terminus dilectionis sicut ipsa dilectio producens cum suo obiecto commensuretur oportet: ergo cum amor divinus productus et subsistens sive ipse Spiritus Sanctus sit infinitus et necessarius, per dilectionem procedat oportet, quae ipsa et cuius obiectum aeque necessaria et infinita sint. Eiusmodi autem obiectum nihil aliud est, nisi ipsa divinitas; atque eiusmodi dilectio pariter non est nisi dilectio divinitatis. Ergo Spiritus Sanctus procedit per amorem, quo Pater et Filius diligunt ipsam divinitatem vel quidquid

formaliter in Deo est ideoque essentiam divinam sub omni ratione absoluti et relativi.

2) *Etiam alterius assertionis ratio satis commode reddi videtur.* — Nimirum creaturae tribus modis considerari possunt: *primo* quatenus sunt ipsa creatrix essentia eminenter creaturas continens: *secundo* quatenus in se consideratae sunt mere possibiles; *tertio* quatenus in aliqua temporis differentia reipsa existent. Iamvero si *primo modo* considerantur, certe ex amore creaturarum procedit Spiritus Sanctus: sed sic consideratae cum divinitate identificantur. Si vero *secundo modo* considerantur, vel non sunt obiectum amoris, sed potius approbationis intellectus, vel si obiectum amoris divini sunt, Spiritum Sanctum etiam per hunc amorem procedere fatendum est. Denique si *tertio modo* considerantur, ex amore creaturarum Spiritus Sanctus procedere non videtur; etenim processio Spiritus Sancti necessaria est, amor vero creaturarum existentium contingens est: necessaria autem contingentibus vel liberis priora sunt adeoque Spiritus Sanctus tamquam ens a se et necessarium per creaturarum existentium amorem utpote liberum procedere non potest. Atque sub hoc respectu differentia esse cernitur inter processionem Verbi relate ad cognitionem contingentium et processionem Spiritus Sancti relate ad amorem contingentium; etenim, ut supra dictum est, obiectum quidem scientiae contingentium contingens est, non autem ipsa haec scientia; quod autem amorem contingentium attinet, non solum obiectum eius, sed ipse amor contingens est. Itaque, cum amor divinus sit unus simplicissimus et purissimus actus, quo simul omnia obiecta attinguntur, Spiritus Sanctus procedit per amorem, qui ad creaturas existentes terminatur, non autem quatenus ad eas terminatur. Atqui si haec aliaeque distinctiones notatae prae oculis habeantur, propositae explicationi non videntur esse opposita haec *S. Thomae*: „Sicut Pater dicit se et omnem creaturam Verbo, quod genuit, in quantum Verbum genitum sufficienter repraesentat Patrem et omnem creaturam; ita diligit se et omnem creaturam Spiritu Sancto, in quantum Spiritus Sanctus procedit ut amor bonitatis primae,

secundum quam Pater amat se et omnem creaturam. Et sic etiam patet, quod respectus importatur ad creaturam et in Verbo et in Amore procedenti quasi secundario, in quantum scilicet veritas et bonitas divina est principium intelligendi et amandi omnem creaturam.“ (S. th. 1. p. q. 37. a. 2. ad 3.)

16. ***4. De variis nominibus Spiritus Sancti.*** — Iam in praecedentibus incidenter de variis Spiritus Sancti nominibus plura dicta sunt, quae hoc loco uno conspectu exhibenda et quibusdam supplenda sunt:

1) Nomen communissimum tertiae personae est Spiritus Sanctus. — De hoc nomine supra iam sufficienter dictum est.

2) Altero nomine in liturgia praesertim frequenter adhibito dicitur Paraclitus. — Ratio huius appellationis, qua ipse Christus Spiritum Sanctum insignivit, eadem est, qua dona supernaturalia gratiae omnia, igitur etiam ea gaudii et consolationis spiritualis ei appropriantur. Paraphrasis pulcherrima huius nominis continetur in hymno: *Veni sancte Spiritus* necnon in altero: *Veni creator Spiritus.*

17. *3) Spiritus Sanctus proprio nomine, non solum appropriato Amor appellatur.* — Ratio manifesta est ex superiore tractatione. „Nomen amoris, inquit *S. Thomas,* in divinis sumi potest essentialiter et personaliter; et secundum quod personaliter sumitur, est proprium nomen Spiritus Sancti, sicut Verbum est proprium nomen Filii.“ (L. c. q. 37. a. 1.) Verum, ut res sine ulla ambiguitate et obscuritate pateat, insuper addendum est, quod pariter ibidem saltem innuit S. Thomas, idem nomen in divinis sumi universim tripliciter: et *primo* quidem essentialiter, atque hac ratione amor sane tribus personis proprie tribuitur et Spiritui Sancto nonnisi appropriatur, ut v. g. amor erga homines; *secundo* sumitur non essentialiter neque personaliter ut uni personae conveniens, sed notionaliter tamquam duabus personis conveniens; est scilicet amor Patris et Filii productivus ad intra sive spirans Spiritum Sanctum; *tertio* denique sumitur personaliter uni personae conveniens et ita est amor productus sive spiratus; atque hoc sensu sumptum demum est nomen Spiritui Sancto ita proprium, sicut nomen Verbo Filio proprium est.

4) *Etiam donum proprio nomine appellatur.* — Ratio 18
huius quoque assertionis iam supra assignata est cum S. Thoma: amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur: Spiritus Sanctus autem procedit ut amor: ergo. *Neque contra dici potest,* nomen doni ideo non esse proprium Spiritus Sancti, quia etiam *Filius datus est nobis* (Is. 9, 6.). Etenim respondet *S. Thomas*: „Sicut Filius, quia procedit per modum verbi quod de ratione sua habet, quod sit similitudo sui principii, dicitur proprie imago, licet etiam Spiritus Sanctus sit similis Patri: ita etiam Spiritus Sanctus, quia a Patre procedit ut amor, dicitur proprie donum, licet etiam Filius detur. Hoc enim ipsum, quod Filius datur, est ex Patris amore secundum illud Ioan. 3, 16.: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*" Itaque „in nomine doni importatur quod sit dantis per originem; et sic importatur proprietas originis Spiritus Sancti, quae est processio." (S. th. 1. p. q. 38. a. 2. ad 1. et 2.)

5) *Deinde saepe etiam Spiritus veritatis appellatur.* — Ratio vero huius nominis modo supra satis declarata est.

6) *A ss. Patribus Spiritus Sanctus non raro dicitur* 19.
unio vel nexus vel vinculum Patris et Filii. — Rationem obviam reddit *S. Thomas* his verbis: „Spiritus Sanctus dicitur esse nexus Patris et Filii, in quantum est amor; quia cum Pater amet unica dilectione se et Filium et e converso, importatur in Spiritu Sancto, prout est amor, habitudo Patris ad Filium et e converso, ut amantis ad amatum. Sed ex hoc ipso, quod Pater et Filius se mutuo amant, oportet, quod mutuus amor, qui est Spiritus Sanctus, ab utroque procedat. Secundum igitur originem Spiritus Sanctus non est medius, sed tertia in Trinitate persona; secundum vero praedictam habitudinem est medius nexus duorum ab utroque procedens." (Ib. q. 37. a. 1. ad 3.) Huc etiam *S. Augustini* verba spectant supra iam relata: „Sive sit unitas amborum sive sanctitas sive caritas, sive ideo unitas quia caritas, et ideo caritas quia sanctitas, manifestum est, quod non aliquis duorum est, quo uterque coniungitur, quo genitus a gignente diligatur generatoremque suum diligat." (De Trinit. l. 6. c. 5.)

Ad eundem sensum revocatur, quod quandoque *osculum* dicitur, ut v. g. a *S. Bernardo:* „Nempe si recte Pater osculans, Filius osculatus accipitur, non erit abs re osculum Spiritum Sanctum intelligi, utpote qui Patris Filiique imperturbabilis pax sit, gluten firmum, individuus amor, indivisibilis unitas.“ (In cantic. serm. 8. n. 2.)

20. 7) *Insuper Spiritus Sanctus vocatur: Lumen cordium, refrigerium, fons vivus, aqua, ignis, sigillum, unguentum, virtus Dei aliisque similibus nominibus.* — Quorum omnium ratio facile derivatur ex effectibus gratiae, qui ipsi tum a scriptura tum a ss. Patribus et ecclesia appropriantur.

8) *Denique etiam digitus Dei appellatur.* — Sic in hymno *Veni creator Spiritus* „Digitus paternae dexterae“ vocatur; derivatum autem esse videtur hoc nomen ex comparatione Matth. 12. 28 cum Luc. 11, 20.; in quorum primo scilicet Christus dicit: *Si autem ego in Spiritu Dei eicio daemones, igitur pervenit in vos regnum Dei*; in altero vero: *Porro si in digito Dei eicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Ita saltem hunc alterum textum interpretatur *Cyrillus A.:* „Digitum Dei hic Spiritum Sanctum vocat, qui quodammodo ex divina essentia oritur et naturaliter ex ea dependet, sicut digitus ex humana manu. Brachium enim et dextram Dei S. Scripturae Filium vocant . . . Quemadmodum igitur brachium naturaliter coaptatum est integro corpori omniaque operatur, quae menti placent, et iungere solet digito utens, ita et Verbum Dei ex ipso et in ipso naturaliter coaptatum, ut ita dicam, et emanans cogitemus; in Filio autem naturaliter atque essentialiter a Patre procedere Spiritum, per quem omnia ungens sanctificat.“ Itaque nomen digiti Spiritus Sancti tum consubstantialitatem cum Patre Filioque tum processionem ex iisdem tum virtutem divinam significare videtur.

Thesis 12. Spiritus Sanctus non est Filius neque eius processio generatio est, quia per voluntatem ut amor procedit.

Declaratio.

1. *Argumentum thesis.* — In praesenti thesi duo asseruntur: primum, Spiritum Sanctum non esse Filium ne-

que eius processionem generationem: alterum, Spiritum Sanctum ideo non generari, quia ut amor procedit. Prima assertio vel pars facile ex fontibus revelationis demonstratur atque dogma fidei est; altera vero, quae rationem internam primae reddit, satis difficilis est, utpote de qua neque in deposito revelationis quidquam continetur neque consensus doctorum exstat. Quare iam SS. Patres difficultatem quaestionis notarunt atque inculcarunt. Ita v. g. *J. Damascenus:* „Et quidem generationem inter et processionem discrimen intercedere edocti sumus: ceterum qui sit huius distinctionis modus prorsus nescimus." (De fide l. 1. c. 8.) Similiter *Augustinus* „Quid autem inter nasci et procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest? Non omne quod procedit nascitur, quamvis omne procedat, quod nascitur: sicut non omne quod bipes est, homo est, quamvis bipes sit omnis, qui homo est. Haec scio: distinguere autem inter illam generationem et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio." (Cont. Maximin. l. 2. c. 14.) Et re quidem vera aliis difficultatibus interim praetermissis vel obviae considerationi statim illa se offert, quae ex ipsa notione generationis oritur; haec enim, cum sit origo viventis a vivente coniuncto in similitudinem naturae, etiam processioni Spiritus Sancti convenire videtur, cum etiam ipse vi processionis suae naturam divinam accipiat. Qua difficultate Ariani catholicos premere solebant eos interrogantes, cur, si uterque sc. tum Filius tum Spiritus Sanctus procedat, alter tantum rationem filii habeat. SS. Patres vero responderunt, ex scriptura constare, Verbum gigni ideoque Filium esse, Spiritum Sanctum autem ex Patre Filioque procedere, Filium vero non esse; porro quid discriminis inter utramque processionem et cuiusnam rationis ea Spiritus Sancti sit, ulterius inquirendum non esse, ut praesumptio curiosius scrutandi mysteria fidei vitetur. „Quae enim fide tradita sunt, haec non humana sapientia expendere, sed fidei auditu excipere decet." (*S. Athanasius,* ad Serapionem ep. 1. n. 17.) Qua ratione SS. Patres haereticorum superbiam et protervitatem reprimere volebant, utpote qui nimis propriae rationi fidentes credere nolebant, nisi internam dogmatis rationem

comprehenderent; sic enim eos *Athanasius* ibidem perstringit: „Illi veritati adversari pergunt, ut scribae, non iam ex scripturis, quippe qui nihil ibi inveniant, sed ex proprii cordis redundantia eructantes iterum dicunt: Si Spiritus res creata non est neque unus ex angelis, sed ex Patre procedit, ergo Filius est et ipse . . . Quomodo enim, si ex Patre est, non dicitur et generari et Filius esse, sed simpliciter Spiritus Sanctus? Haec turpissimi homines cavillantur, qui curiosius profunda Dei scrutari conantur, quae nemo novit, nisi Spiritus Dei, quem ipsi calumniantur." (n. 15.) Sed nullo pacto SS. Patres prohibere voluerunt, quominus ex pia et sincera fide ad aliquam pro viribus humanis intelligentiam veritatis profundae et difficilis pervenire conemur; imo vero tum ipsi illi Patres tum subsequentes magni Doctores in eiusmodi conatibus ac inquisitionibus tentandis praeiverant atque viam monstraverunt. Ad omnium igitur mentem notat *S. Augustinus:* „Certe cum inconcusse crediderint scripturis sanctis, tamquam veracissimis testibus, agant orando et quaerendo et bene vivendo, ut intelligant, i. e. ut, quantum videri potest, videatur mente, quod tenetur fide. Quis hoc prohibeat, imo vero ad hoc quis non hortetur?" (De Trinit. 15. c. 27. n. 4. 9.) Neque profundum Augustini ingenium frustra ad eiusmodi intelligentiam pervenire conatum est, ut in 2. parte patebit.

Demonstratio.

I. p. Spiritus neque Filius est neque eius processio generatio est.

2. ***1. Probatur ex s. scriptura.*** — Etenim in ea nusquam sive expressis verbis sive aequivalenter Spiritus Sanctus Filius esse vel generari dicitur. Imo vero, cum secunda persona iteratis vicibus atque explicite dicatur Filius unigenitus, quivis alius Filius praeter ipsum in divinitate excluditur. Apposite *Athanasius:* „Nusquam in scripturis sacris Spiritus Filius dictus est . . . sed Filius Patris est Filius et Spiritus Patris Spiritus dictus est, atque ita una Trinitatis divinitas et fides est." (Ep. 1. ad Serap. n. 16.). Et *Basilius:* „Unum enim esse unigenitum in fidei traditione didici

mus, Spiritum autem veritatis ex Patre procedere.“ (Ep. 125. n. 3.) Necnon *S. Augustinus:* „Servant tamen (scripturae sacrae), ut non genitum Spiritum Sanctum, tamquam Filium de Patre praedicent: unicus est enim Christus; neque de Filio tamquam nepotem summi Patris: nec tamen id, quod est, nulli debere, sed Patri, ex quo omnia, ne duo constituamus principia sine principio.“ (De fide et symbolo c. 9.)

2. *Ex SS. Patrum doctrina.* — In re indubia 3.
satis erit, testimoniis iam hoc loco vel etiam superius in decursu tractationis totius de Spiritu Sancto productis pauca quaedam addere. Itaque *Gregorius Naz.*: „Spiritus, inquit, Sanctus vere est Spiritus procedens quidem ex Patre, non tamen Filii more, neque enim generatione, sed processione“ (Orat. 39. in sancta lumina). Et *auctor expositionis fidei seu de Trinitate* Iustino falso adscriptae, cum saeculo 5. orta esse videatur, haec habet: „Eandem quoque notionem et de Spiritu Sancto tenemus. Nam sicut Filius ex Patre, ita et Spiritus, excepto, quod originis modo differentia quaedam intercedit. Nam ille lumen de lumine per generationem eluxit; hic vero lumen et ipse de lumine, non tamen per generationem, sed processione prodiit.“ Deinde *Fulgentius*: „Quia igitur aliud est genuisse, quam natum esse, aliudque est procedere quam genuisse vel natum esse, manifestum est, quoniam alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus.“ (De fide ad Petrum c. 1.) Similiter ceteri Patres, quorum multa testimonia collecta inveniuntur apud Petavium l. 7. c. 13.

3. *Ex symbolis et conciliis.* — Nimirum *primo* 4.
in symbolis secundam personam SS. Trinitatis Filium Dei unigenitum profitemur: ergo praeter ipsum alius Filius Dei naturalis non est, neque ipse Spiritus Sanctus. *Praeterea* disertis verbis Spiritus Sanctus etiam declaratur „a Patre et Filio non factus nec creatus nec genitus, sed procedens.“ (Symbol. *Quicunque.*) Et in formula, quae inscribitur *Libellus in modum symboli,* atque Pastoris episcopi Gallaeciae esse videtur: „Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed a Patre Filioque procedens.“ Similis

professio continetur symbolo, quod *Leo IX.* in epistola *Congratulamur vehementer* misit ad Petrum episcopum Antiochenum: „Hanc sanctam et individuam Trinitatem non tres Deos, sed in tribus personis et in una natura sive essentia unum Deum omnipotentem, aeternum, invisibilem et incommutabilem ita credo et confiteor, ut Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum Sanctum nec genitum nec ingenitum, sed a Patre et Filio procedentem veraciter praedicem." Denique haec doctrina repetitis vicibus a conciliis sollemni professione proposita est, ut v. g. a synodo Toletana 11. (cf. th. 1. n. 27.) et a Concilio Florentino in decreto pro Iacobitis (cf. ibid. n. 34.).

5. **4. *Ex ratione confirmatur.*** — Nimirum unica generatio divina, utpote cuius terminus necessario infinitus est, totam virtutem generativam naturae divinae exhaurit; infinitum enim per infinitum commensuratur atque etiam exhauritur. Ergo cum Filius generetur, Spiritus Sanctus generari nequit. — Vel paulo aliter: Ut Spiritus Sanctus Filius esset vel generaretur, aut procedere deberet sicut Filius tamquam Verbum aut vero processio per amorem item habere rationem generationis dicenda esset; atqui neutrum dici potest, quia ex una parte unum tantum Verbum in Deo procedere potest, ex altera parte processio per amorem a ratione verae et propriae generationis deficit, ut iam in altera parte demonstrandum est.

2. p. Processio Spiritus Sancti generatio non est, quia per voluntatem tamquam amor procedit.

6. Multae quaestionis in hac parte tractandae solutiones a Patribus atque Doctoribus decursu temporis tentatae atque propositae sunt, quas recenset Petavius (l. 7. c. 13. et 14.). Ex quibus una iam communis evasit atque vera esse videtur. Eadem vero breviter hac sententia fere verbis S. Thomae comprehendi potest: *De ratione verbi est similitudo speciei ad id, a quo procedit, et ideo Filius, quia tamquam Verbum Patris procedit, vere generatur; de ratione autem amoris non est similitudo speciei ad id a quo procedit et ideo Spiritus*

Sanctus, quia tamquam amor procedit, non generatur neque Filius est (cf. S. th. 1. p. q. 35. a. 2. ad 1.). Quae solutio iam magis exponenda et confirmanda est.

1. Probatur auctoritate SS. Patrum et Doctorum. — Et *primo* quidem in hac explicatione quievit Augustinus, postquam plures alias tentavit et eam quaestionem tamquam difficillimam expertus est. Scilicet tandem eam esse internam inter generationem et processionem differentiam quod Filius tamquam Verbum secundum formalem rationem imaginis sive similitudinis, Spiritus vero tamquam Amor non secundum eam rationem formalem procedat; quod ex analogia spiritus creati illustrat. Audiatur ipse *Augustinus:* „O tu anima mea adtolle oculos in ipsam lucem et eos in eam fige, si potes; sic enim videbis, quid distet nativitas Verbi Dei a processione Doni Dei . . . Unde cum sit communio quaedam consubstantialis Patris et Filii amborum Spiritus, non amborum, quod absit, dictus est filius. Sed ad hoc dilucide perspicueque cernendum non potes ibi aciem figere; scio non potes . . . Ipsa tamen (lux illa) tibi ostendit in te tria illa, in quibus tu summae ipsius quam fixis oculis contemplari nondum vales, imaginem Trinitatis agnosceres. Ipsa ostendit tibi verbum verum esse in te, quando de scientia tua gignitur, i. e. quando ex illo, quod novimus . . . cogitatio nostra formatur, sitque in acie cogitantis imago simillima cogitationis quam memoria continebat, ista duo velut parentem ac prolem tertia voluntate sive dilectione iungente. Quam quidem voluntatem de cogitatione procedere, nemo enim vult quod omnino quid vel quale sit nescit, non tamen esse cogitationis imaginem et ideo quandam in hac re intelligibili nativitatis et processionis insinuari distantiam, quoniam non hoc est cogitatione conspicere quod appetere vel etiam perfrui voluntate, cernit discernitque qui potest. Potuisti et tu, quamvis non potueris nec possis explicare sufficienti eloquio, quod inter nubila similitudinum corporalium, quae cogitationibus humanis occursare non desinunt, vix vidisti." (De Trinit. l. 15. c. 27. n. 50.) Eandem rationem etiam plures alii SS. Patres vel proposuerunt vel saltem innuerunt, ut

Athanasius, Gregorius Naz., Basilius, Epiphanius, Cyrillus A., Ambrosius, Hilarius aliique, quorum testimonia collegerunt Ruiz (disp. 6.) atque Petavius (L. 7. c. 14.).

8. Deinde *S. Anselmus* vestigiis Augustini insistens eandem explicationem breviter et succincte proponit: „Quid ergo, cum hic Amor pariter habeat esse a Patre et Filio, et sic similis sit ambobus, ut nullatenus dissimilis sit illis, sed omnino idem sit quod illi: numquid Filius eorum aut proles aestimandus est? Sed sicut Verbum, mox ut consideratur, se prolem esse eius, a quo est, evidentissime probat, promptam praeferendo parentis imaginem: sic Amor aperte se prolem negat, quia dum a Patre et Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti eius, ex quo est, similitudinem: quamvis ipsum considerata ratio doceat omnino idipsum esse, quod est Pater et Filius.“ (Monol. c. 55.) Scilicet Verbum ut Verbum Patri assimilatur, Amor autem non ut amor sed ut amor divinus. Anselmum vero secuti sunt Alexander Halensis, Bonaventura, Albertus Magnus, denique S. Thomas atque deinceps communiter theologi omnium scholarum.

9. ***2. Ratione explicatur.*** — Audiatur *S. Thomas*, qui perlucide et scholastice quaestionem exponit et solvit: „Processio amoris in divinis non debet dici generatio. Ad cuius evidentiam sciendum est quod haec est differentia inter intellectum et voluntatem, quod intellectus fit in actu per hoc quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem; voluntas autem fit in actu non per hoc quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate, sed ex hoc quod voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam. Processio igitur quae attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis; et in tantum potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile. Processio autem quae attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis et moventis in aliquid. Et ideo quod procedit in divinis per modum amoris, non procedit ut genitum vel ut filius, sed magis procedit ut spiritus;

quo nomine quaedam vitalis motio et impulsio designatur, prout aliquis ex amore dicitur moveri vel impelli ad aliquid faciendum." (S. th. 1. p. q. 27. a. 4.; cf. c. 9. 19. l. 4. c.) — Nimirum si generatio definitur: *origo viventis a vivente coniuncto in similitudinem naturae* terminus *in similitudinem naturae* formaliter accipiendus est, ita ut generatio ex propria sua et distinctiva ratione tendat ad aliquid, quod perfectam sui principii similitudinem exhibeat. Iamvero intellectio ex propria sua et distinctiva ratione terminatur ad verbum tamquam ad perfectam obiecti sui repraesentationem vel similitudinem intentionalem ita, ut v. g. quando homo se ipsum intelligit, verbum sic formatum quodammodo sit alter ipse. Verbum quidem creatum multum deficit a perfecta similitudine, quia esse tantum intentionale et accidentale habet. Verumtamen quo perfectior est intellectio, eo perfectius ex ipsa natura et insita tendentia huius operationis erit verbum: quare mere insistendo in ipsa linea intellectualis processionis, intellectio infinita producet Verbum infinite perfectum in ipsa ratione repraesentationis vel similitudinis, Verbum igitur non accidentale, sed substantiale, non essentia diversum ab obiecto et principio intellectionis, sed eiusdem essentiae atque substantiae, ita ut relate ad suum obiectum et principium sit vere alterum ipsum non tantum intentionaliter sed etiam realiter; quare in verbo, quod divinae intellectionis terminus est, esse intentionale et reale unum idemque sint necesse est. Quae cum ita sint, Verbum divinum ex propria et distinctiva ratione intellectionis in similitudinem naturae a Patre procedere satis manifesto intelligitur. Aliter vero omnino res se habet, quod processionem in voluntate attinet. Etenim voluntas ex formali sua ratione nequaquam obiecti, quod amat, in se similitudinem producit: vel amor non ut imago vel repraesentatio rei amatae, sed ut motus in ipsam rem amatam procedit. Amor igitur relate ad suum obiectum et principium non ut alterum ipsum procedit, quare manendo in linea amoris procedentis nullo pacto cernitur origo, quae in similitudinem naturae sit. Terminus igitur amoris Patris et Filii eandem quidem cum Patre et Filio habet naturam divinam, quia in

Deo nihil, quod accidens sit, immanenter procedere potest; sed non procedit processione, quae ex propria sua et distinctiva ratione in similitudinem naturae tendat; ergo Spiritus Sanctus non generatur.

10. *Aliam adhuc eiusdem rationis explicationem proposuit Suarez hunc in modum:* Ipsa actualis intellectio est quasi formale constitutivum naturae divinae; Verbo autem divino formalissime communicatur ipsa intellectio divina ut intellectio est, quia per intellectionem tamquam Verbum procedit; ergo Verbo formaliter communicatur natura divina praecise sub ratione naturae ex vi suae processionis, atque ideo generatur. Ex altera vero parte amor divinus non est formale constitutivum naturae divinae, sed ad eam constitutam consequi concipitur, quamvis realiter cum eadem identicus sit. Quare Spiritus Sanctus, utpote qui tamquam Amor procedit ex vi suae processionis non accipit naturam divinam sub formali ratione naturae atque ideo non generatur. — Verum haec explicatio merito impugnari videtur a Ruiz (disp. 8. sect. 5 ss.); quia intellectio non magis est formale constitutivum naturae divinae, quam volitio vel amor: scilicet utraque potius attributum est divinam essentiam vel naturam consequens. Conferantur, quae in tractatu de Deo uno de essentia Dei metaphysica disputata sunt.

11. ***3. Solutione obiectionum confirmatur.*** — Iam ipsa quaestione soluta restat, ut *argumenta quaedam considerentur, quae contra opponuntur vel opponi possunt;* quorum solutione explicatio proposita adhuc magis confirmatur et in sua luce ponitur. Itaque:

Opponitur primo: In processione Spiritus Sancti, quaecunque rationem formalem generationis constituunt, nihil eorum deesse videtur; etenim procedit tamquam vivens a vivente; praeterea procedit a principio coniuncto scilicet a Patre et Filio, qui ipsum immanenter producunt; denique in similitudinem naturae procedit, quia tamquam amor divinus immanenter procedens necessario naturam divinam habet. *Et confirmatur,* quia creata generatio, a qua conceptus divinae generationis abstractus est, semper habetur, quandocunque substantia vi-

vens a vivente vitali modo procedit. Ergo. — *R.* Spiritus Sanctus procedit quidem similis in natura principio suo, non autem in similitudinem naturae procedit, ut iam dictum est: atque solum idcirco non generatur. Nimirum Spiritus ex necessitate naturae divinae quidem procedit consubstantialis principio suo, quia in divinitate, quominus quidquam accidentale vel etiam finitum immanenter procedat, plane repugnat: verumtamen quod consubstantialis suo principio procedit, id nequaquam est per modum proprium et specialem processionis suae, quo haec in se formaliter constituitur et ab aliis distinguitur; sed relate ad hunc modum se habet quodammodo materialiter; nam amor procedens, ut est formaliter amor, non dicit similitudinem cum suo principio. Itaque tum in processione Filii tum in ea Spiritus Sancti terminus productus principio consubstantialis est ideoque divinam naturam comprehendit, sed alter et alter terminus sub alia et alia ratione ab actione producente attingitur; atque hoc sufficit, ut altera et altera productio aliam et aliam rationem formalem habeat. Quod Suarez exemplo ex creaturis sumpto apte illustrat: „Eadem entitas formae v. g. potest fieri per generationem et per creationem sub diversa formalitate; nam illae sunt actiones diversae et ad illas consequuntur in re producta diversae relationes: et tamen entitas facta eadem est. Distinguuntur ergo actiones, quia una dicitur attingere ens, in quantum ens, alia in quantum tale ens, et ideo magis per se fit per unam illarum actionum ipsa ratio entis, quam per aliam, quamvis in re non distinguantur ratio entis et talis entis. Quid ergo mirum, quod in divinis processionibus intelligi possit distinctio similis quasi formalis ex formalitate terminorum.“ (L. 11. c. 5. n. 12.)

Quod vero *rationem confirmantem* additam spectat, facile respondetur: In creatis ubicunque substantia vivens a vivente vitali modo procedit, generatio quidem est, sed simul etiam processio in similitudinem naturae exstat. Si vero haec formalissima ratio similitudinis ex vi ipsius processionis consequens forte ab hominibus non attendatur vel si tamquam separabilis ab ulla substantiae viventis ex vivente vi- 12.

tali processione non cognoscatur: id solutionem propositam nequaquam impedit; etenim tunc ad summum illud consequeretur, conceptum generationis simili ratione per revelationem redditum esse perfectiorem, qua per eandem revelationem perfectus est secundum plurium saltem theologorum opinionem conceptus hypostasis vel personae. Quod v. g. Cardinalis Franzelin de conceptu generationis plane asserit et urget. (Th. 31. ab initio.)

13. *Secundo opponitur vel urgetur praecedens difficultas:* Similitudo aeque ad amorem, quam ad intellectionem pertinere videtur: etenim amor inter amantem et amatum convenientiam quandam infert naturae seu indolis: in Deo igitur, in quo amor summam perfectionem assequitur, haec convenientia perfecta similitudo ideoque identitas naturae sit oportet. Imo vero ad quamvis productionem spectat, ut quod producitur, in similitudinem sui principii procedat; nam omne agens agit simile sibi. Ergo nullum constitutivum generationis in processione Spiritus Sancti deficit ideoque generari dicendus est. — *R.* ad primum, scilicet similitudinem spectare etiam ad amorem, cum *S. Thoma:* „Similitudo aliter pertinet ad verbum et aliter ad amorem: nam ad verbum pertinet, in quantum ipsum est quaedam similitudo rei intellectae, sicut genitum est similitudo generantis; sed ad amorem pertinet, non quod ipse amor sit similitudo, sed in quantum similitudo est principium (ratio) amandi. Unde non sequitur quod amor sit genitus, sed quod genitum sit principium amoris.“ (Ibid. ad 2.) — Alterum vero, nimirum: omne agens agit simile sibi, ad principium causalitatis pertinet ideoque ad processiones divinas applicari nequit, utpote quae verae effectiones non sunt neque igitur causam, sed principium solum habent. Insuper etsi omnis effectus suae causae aliqua ratione similis sit oportet, neque tamen omnis effectus suo principio secundum speciem vel naturam similis est; id autem sicut ad generationem requiritur, ita in processione amoris desideratur. Apposite iterum *S. Thomas*: „Cum autem ostensum sit, quod amatum in amante non est secundum similitudinem speciei, sicut intellectum in intelligente, omne autem quod procedit

ab altero per modum geniti procedit secundum similitudinem speciei a generante, relinquitur quod processus rei ad hoc quod sit in voluntate sicut amatum in amante non sit per modum generationis, sicut processus rei ad hoc quod sit in intellectu habet rationem generationis.“ (C. g. l. 4. c. 19.)

Tertio opponitur vel iterum eadem difficultas urgetur: **14.** Neque verbum intellectuale vi ipsius processionis simile procedit suo principio simile secundum speciem vel naturam; secus enim etiam verbum creatum secundum speciem vel naturam suo principio simile esse deberet; hoc autem absurdum est; ergo. — *R.* Verbum quodlibet ex natura sua in similitudinem sui obiecti procedit, utpote cuius est intentionalis expressio; haec autem similitudo in creaturis propter earum imperfectionem et limitationem perfecta esse nequit; Verbum igitur divinum ex propria sua ratione in perfectam similitudinem procedat necesse est; haec autem perfecta similitudo in divinitate nonnisi similitudinem vel identitatem naturae dicere potest. Amor vero in tota comprehensione suae rationis propriae vel formalis nulla ratione dicit assimilationem amoris procedentis ad principium suum. Ergo differentia essentialis inter verbum et amorem notata omnino subsistit.

Quarto opponitur: Nomen processionis generale est; si **15.** igitur Spiritus Sancti processio a ratione generationis deficere dicitur, alia ad quam pertineat species indicanda erit. Iamvero nulla specie processionis communicatur natura nisi generatione. Ergo. — *R.* iterum cum *S. Thoma:* „Deum nominare non possumus nisi ex creaturis. Et quia in creaturis communicatio naturae non est nisi per generationem, processio in divinis non habet proprium vel speciale nomen nisi generationis. Unde processio, quae non est generatio, remansit sine speciali nomine; sed potest nominari spiratio, quia est processio spiritus.“ (Ibid. ad 3.)

Quinto denique opponitur: Intellectus et voluntas in Deo **16.** non distinguuntur nisi virtualiter, Spiritus Sanctus autem a Filio realiter distinguitur; ergo ratio, ob quam Spiritus Sanctus non generatur, in eo poni nequit, quod per voluntatem. Fi-

lius autem per intellectum procedat. — *R.* Natura divina unum atque simplex principium est, quo a Deo cuncta procedunt tum intra tum extra ipsum. Attamen in eadem natura divina secundum eorum quae procedunt diversitatem diversa attributa tamquam diversa principia formalia recte discernimus. Sic v. g. natura divina, quatenus misericordia est, principium est formale, quo miseretur et veniam impertitur; quatenus autem iustitia est, impios punit et iustos remunerat. Iamvero si horum attributorum distinctio virtualis sufficit, ut effectus realiter distincti ab eis procedant, pari ratione ab intellectu et voluntate divina virtualiter solum distinctis personae realiter distinctae procedere possunt; quod nisi concedatur, ipsum mysterium corruat necesse est.

Corollaria quaedam.

17. ***1. Alia discrimina inter generationem et processionem a theologis notata magis secundaria sunt atque ad essentialem differentiam explicatam accedunt.*** — Praeter differentiam essentialem explicatam plura alia praesertim tria discrimina inter processionem Filii atque eam Spiritus Sancti a SS. Patribus et theologis notata sunt etiam ad explicandum cur Filii quidem processio rationem generationis habeat, non autem ea Spiritus Sancti. Quae discrimina breviter consideranda sunt.

Primum igitur discrimen S. Thomas refert his verbis: „Sicut processio, quae est per modum naturae, non praeexigit aliam processionem, ita nec processio quae est per modum intellectus: processio autem, quae est per modum voluntatis, de necessitate praeexigit processionem quae est per modum intellectus.“ (De pot. q. 10. a. 2. ad 11.) — Sane ex hoc discrimine elucet quidem, processionem per voluntatem eatenus deficere a ratione generationis, quia secus ac haec aliam processionem supponit; insuper etiam ostenditur, processionem Filii in aliquo cum generatione convenire, scilicet in eo, quod illa sicut haec aliam processionem in eadem re non praeexigit; verumtamen hac ratione proprietas essentialis vel constitutiva generationis non exhibetur, quia etiam creatio

non praeexigit aliam processionem neque tamen generatio est. Neque in hunc modum S. Thomas hoc discrimen intellexisse videtur.

Alterum discrimen exhibet *S. Augustinus* atque ex eo 18.
intelligi dicit, cur Spiritus Sanctus non dicatur natus esse: „Hic utcunque etiam illud intelligitur, quantum a talibus, quales nos sumus, intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus Sanctus: quoniam si et ipse Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur, quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorum nisi patris et matris. Absit autem, ut inter Deum Patrem et Deum Filium aliquid tale suspicemur." (De Trinit. l. 15. c. 27. n. 48.) Idem discrimen etiam *S. Anselmus* necnon *S. Thomas* notant: „Processio naturae est tantum ab uno, sicut ab agente, si sit perfectum agens. Nec obstat, quod in animalibus generatur aliquid ex duobus, scilicet ex patre et matre. Nam solus pater agens, mater vero patiens. Similiter autem processio intellectus est ab uno solo; sed amicitia, quae est amor mutuus, procedit ex duobus ad invicem se amantibus." (L. c.) — Sed etiam hoc discrimen internam et essentialem differentiam inter generationem et processionem non afficit, sed potius indicium est, alteram quidem esse alteram vero non esse generationem. Neque aliter hoc discrimen Doctores citati intellexisse videntur.

Tertium discrimen notatur ab *Alexandro Halensi* atque 19.
ab ipso aliisque adhibetur ad reddendam rationem, ab quam prima quidem non autem altera processio in divinitate rationem generationis habeat. Hoc discrimen in eo est, quod Filius accipit communicatam a Patre naturam divinam adhuc foecundam seu cum potentia, ut adhuc alia processione communicetur, Spiritus Sanctus autem accipit naturam divinam ultra iam non communicabilem. Quare sub hoc respectu Filius quidem in similitudinem naturae procedere ideoque generari intelligitur, non vero Spiritus Sanctus. — Etiam hoc discrimen recte sane exhiberi atque in re subsistere intelligitur; verumtamen neque ipso essentialis vel constitutiva proprietas generationis exhibetur. Etenim *primo* non solum

generatione natura foecunda communicatur, sed etiam creatione. *Praeterea* si amor procedens sicut verbum ex formali sua et propria ratione imago expressa sui principii esset, sine dubio et ipse generari merito diceretur, quamvis etiam tunc naturam divinam iam non communicabilem acciperet. *Denique* etiam illud prae oculis habeandum est, Filium naturam divinam adhuc communicabilem quidem accipere, communicabilem vero non generatione, sed alia processione; generatione autem creata communicatur natura foecunda iterum generatione. Quare etiam hoc tertium discrimen magis secundarium et externum est. Itaque haec tria discrimina subsistunt quidem et recte notantur; attamen ad essentialem differentiam accedunt, secundaria sunt neque proprietates constitutivas generationis attingunt.

20. ***2. Spiritus Sanctus non est Patris Filiique imago.*** — Rationem assertionis duplicem reddit *S. Thomas*, alteram positivam vel externam, alteram internam ex natura rei derivatam: *Primo:* „Doctores Graecorum communiter dicunt Spiritum Sanctum esse imaginem Patris et Filii; sed doctores Latini soli Filio attribuunt nomen imaginis. Non enim invenitur in canonica scriptura nisi de Filio; dicitur enim Coloss. 1, 15.: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae;* et ad Heb. 1, 3.: *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius . . .*" — *Secundo:* „Sicut Spiritus Sanctus, quamvis sua processione accipiat naturam Patris, sicut et Filius, non tamen dicitur natus; ita licet accipiat speciem similem Patris, non dicitur imago; quia Filius procedit ut Verbum, de cuius ratione est similitudo speciei ad id a quo procedit; non autem de ratione amoris; quamvis hoc conveniat amori qui est Spiritus Sanctus, in quantum est amor divinus." (S. th. 1. p. q. 35. a. 2.)

21. Itaque ratio eadem est, propter quam a ratione Filii deficit. Nimirum cum imago, ut supra (th. 5. n. 32.) iam explicatum est, proprie sit perfecta similitudo ad exemplar expressa ex vi actionis vel quasi-actionis, qua exprimitur, Spiritus Sanctus non est imago Patris et Filii, quia non vi ipsius suae processionis formaliter exstat similitudo perfecta

Patris et Filii: procedit enim tamquam amor Patris et Filii; amor autem ut dictum est, ex propria sua ratione non dicit assimilationem, sed impulsum. Ergo.

Quod autem Patres graeci Spiritum Sanctum vocant imaginem Patris et Filii non facit seriam difficultatem; etenim ut recte respondet *S. Thomas:* „Doctores Graecorum communiter utuntur nomine imaginis pro perfecta similitudine.“ (Ibid. ad 1.) Reipsa hunc sensum prae se ferunt testimonia Patrum graecorum a Petavio hac in quaestione allata. (L. 7. c. 7.)

3. In Deo processiones reales tantum duae 22.
sunt nec plures esse possunt. — Facile constat de duplici assertione, quae in hoc corollario ponitur:

1) Duae sunt in Deo processiones reales. — Haec assertio ad fidem spectat, utpote qua constat Filium a Patre et Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere. Atqui processio, quae ab una sola persona est, sane distinguitur ab ea, quae est a duabus. *Praeterea* altera processio est per intellectum, altera vero per voluntatem. Ergo duae sunt in Deo processiones tum realiter tum formaliter distinctae. Et quidem realiter distinctae sunt, quia ad terminos realiter distinctos tendunt. *Deinde* autem etiam formaliter distinguuntur, i. e. in ipsa ratione processionis distinctae sunt, cum altera sit generatio vera et proprie dicta, altera vero ab hac ratione deficiat.

2) Neque possunt esse plures, quam duae. — Quam 23.
assertionem *S. Thomas* sic probat: „Processiones in divinis accipi non possunt nisi secundum actiones, quae in agente manent. Huiusmodi autem actiones in natura intellectuali et divina non sunt nisi duae scilicet intelligere et velle. Nam sentire, quod etiam videtur esse operatio in sentiente, est extra naturam intellectualem, neque totaliter est remotum a genere actionum, quae sunt ad extra; nam sentire perficitur per actionem sensibilis in sensum. Relinquitur igitur, quod nulla alia processio possit esse in Deo, nisi Verbi et Amoris.“ (S. th. 1. p. q. 27. a. 5.) — Neque vero possunt esse plures processiones sive per intellectum sive per voluntatem; quod

spectata processione per intellectum iam supra probatum est (th. 5. n. 47.), considerata vero processione per voluntatem eadem ratione patet. Apposite *S. Thomas:* „Deus uno simplici actu omnia intelligit, et similiter omnia vult. Unde in eo non potest esse processio verbi ex verbo, neque amoris ex amore; sed est in eo solum unum verbum perfectum et unus amor perfectus; et in hoc eius perfecta foecunditas manifestatur." (Ibid. ad 3.)

24. *Opponi tamen potest* hoc modo: Potentia divina infinita est atque intra Deum necessario operatur; potentia vero infinita necessario operans etiam necessario infinitum producit; ex quo consequitur, in Deo unam tantum processionem esse, cum infinita vis per infinitum terminum exhauriatur. Si autem nihilominus processiones multiplicantur, in infinitum multiplicantur necesse est. — *R. primo*: Haec ratio, si valeret, etiam probaret, processione in Deo supposita nihil iam creari posse; ergo nimium ideoque nihil probat. *Praeterea* vero per processiones immanentes in Deo non aliud et aliud infinitum vel non altera et tertia substantia procedunt, sed altera et tertia persona; quae personae procedentes ideo infinitae sunt, quia eandem numero substantiam infinitam accipiunt. Personae autem divinae plures esse possunt, quia in eadem substantia relationum oppositione constituuntur et ab invicem distinguuntur; quod inferius accuratius explicatur. Neque autem plures quam duae procedere possunt ex ratione declarata.

25. ***4. Processiones divinae non sunt immediate a natura sed per intellectum et voluntatem.*** — Ut iam supra dictum est, Durandus contra communem theologorum consensum contendit, processiones divinas esse immediate a natura divina, non vero per intellectum et voluntatem. Quae opinio Durandi merito a theologis notatur tamquam temeraria saltem atque errori proxima. Et reipsa eandem alienam a modo loquendi scripturae, a doctrina Patrum atque Doctorum ideoque falsam esse, ex tota praecedente tractatione satis constat; sed etiam rationibus theologicis refutatur atque totam oeconomiam mysterii destruere ostenditur. Et *primo* quidem in illa sententia nulla ratio reddi

potest. cur altera illarum processionum sit prior altera. *Praeterea* item explicari nequit, cur altera sit generatio, altera vero nequaquam, cum utraque dicatur esse immediate per naturam atque necessaria et substantialis eiusdem communicatio. *Deinde* pariter nulla ratio redditur, cur duae tantum processiones sint, non autem plures. *Tandem* non explicatur, cur altera sit ab una persona, altera vero a duabus. *Denique* neque ratio ulla redditur, cur Filius quidem, non vero Spiritus Sanctus sui principii imago sit.

Postremo cum *Suarez* argumentum aliquod a priori **26.** contra eandem opinionem urgeri potest: „Est ratio a priori iuxta materiae capacitatem, quia in omni genere rerum productio vel communicatio naturae fit per operationem propriam, seu accommodatam tali naturae, in re autem pure intellectuali propria operatio est actus intellectus vel voluntatis: cum ergo Deus sit in gradu pure intellectuali, productio, quae intra illum est, per actum intellectus vel voluntatis esse debet. Et declaratur, nam iuxta opinionem Durandi illae divinae productiones non essent per modum actuum vitalium sed per modum naturalium actionum, qualis est calefactio ab igne et illuminatio a sole: unde etiam non essent per modum actuum immanentium, sed per modum actuum transeuntium; haec autem sunt inconvenientia, quia divina productio debet intelligi summo et perfectissimo modo, productio autem vitalis est perfectior non vitali et actus immanens transeunte. Imo inde etiam sequeretur, Verbum non esse proprie Filium, quia non quaecunque res genita, sed illa quae procedit per vitalem generationem Filius appellatur. Et similiter Filius Dei ex vi processionis non esset in sinu Patris, sed solum identice propter unitatem substantiae.“ (L. 1. c. 5. n. 6.)

Argumenta vel obiectiones Durandi iam supra soluta **27.** sunt. (Th. 5. n. 68. ss.) Illud solum hoc loco addere iuvat, principalem rationem Durandi, scilicet actionem generativam propriam esse Patri, intellectionem autem communem tribus personis, aperte contra ipsum retorqueri posse; nam idem quod de intellectione valet etiam de essentia; qua ratione vero haec difficultas positive solvatur, iam dictum est. (L. c.)

28. ***5. Essentia divina non procedit.*** — Videri posset cum persona altera et tertia etiam essentiam divinam procedere, quia scilicet aeque ac Pater non procedens etiam personae procedentes Filius et Spiritus Sanctus cum natura sive essentia divina prorsus identificantur: „Quaelibet trium personarum est illa (una summa) res, videlicet substantia, essentia seu natura divina." (*Concil. Lateran.*) Ergo cum Filius et Spiritus procedant, etiam essentia procedere videatur. Nihilominus ad fidem pertinet personas quidem, at non essentiam procedere; quod *Concilium Lateranense* sollemniter declaravit: „Illa res (sc. essentia divina) non est generans neque genita nec procedens; sed Pater est qui generat, et Filius qui gignitur et Spiritus Sanctus qui procedit." Cum haec veritas in praecedentibus saltem implicite iam contineatur, quibusdam rationibus solum confirmatur:

1) *Ex naturae vel essentiae divinae unitate.* — Si cum personis divinis etiam essentia divina procederet, Filius a Patre necnon Spiritus Sanctus a Patre Filioque non solum secundum subsistentiam sed etiam secundum essentiam sive naturam distincti essent; nam id quod procedit, ab eo a quo procedit, realiter distinctum est. Ergo si essentia divina procederet, cum personis ipsa essentia quoque multiplicaretur atque Tritheismus consequeretur. Atqui tres personae divinae unam numero essentiam habent atque ideo unus Deus sunt. Ergo.

29. 2) *Ex aseitate divina.* — Quod procedit, non est a se; ergo si essentia divina procederet, a se non esset, sed ab eo, a quo procedit: qui autem in eiusmodi natura, quae non est a se, subsistit, pariter non est absolutus sed ab alio pendet. Ergo si etiam ipsa essentia procederet, persona procedens non esset verus Deus.

3) *Ex immanentia processionum.* — Si essentia divina v. c. cum Filio procederet, Pater Filium generans naturam a sua natura distinctam communicaret; quo posito generatio Filii iam non operatione immanente sed transeunte absolveretur; sicut etiam generatio humana, etsi actionem immanentem includat vel supponat, operatione transeunte perficitur

atque terminum externum habet. Quare, si essentia procederet, personae divinae in se invicem non essent, quemadmodum in se sunt potentia vitalis eiusque actus: sed solum quadam coniunctione unum essent, qualem v. g. abbas Ioachim finxit. Atqui divinae personae prorsus in se invicem sunt, ut ipse Christus dicit: *Pater in me et ego in Patre* (Ioan. 10. 38.) — Restat ut aliquae obiectiones, quae fieri possunt, breviter expediantur:

Et primo quidem hunc in modum opponi potest: Secun- **30.**
dum fidei symbolum Deus de Deo procedit atque sane tum Filius tum Spiritus Sanctus procedit; Deus autem sua divinitas est, atque vicissim ex definitione Concilii Lateranensis initio citata essentia divina „veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctus"; ergo sicut Deus procedit i. e. Filius et Spiritus Sanctus, ita etiam essentia divina procedere dici potest. — *R.* cum *S. Thoma:* „Ad veritatem locutionum non solum oportet considerare res significatas, sed etiam modum significandi. Licet autem secundum rem sit idem Deus, quod Deitas, non tamen est idem modus significandi utrobique. Nam hoc nomen Deus, quia significat divinam essentiam ut in habente, ex modo suae significationis naturaliter habet, quod possit supponere pro persona: et sic ea, quae sunt propria personarum, possunt praedicari de hoc nomine Deus, ut dicitur, quod Deus est genitus vel generans. Sed hoc nomen essentia non habet ex modo suae significationis, quod supponit pro persona, quia significat essentiam ut formam abstractam. Et ideo ea, quae sunt propria personarum, quibus ab invicem distinguuntur, non possunt essentiae attribui. Significaretur enim, quod esset distinctio in essentia divina, sicut est distinctio in suppositis." (S. th. 1. p. q. 39. a. 5.) Verba autem Concilii Lateranensis adducta in sensu identico sumenda sunt non autem in sensu formali; etenim quamvis essentia et personae re idem sint, ratione tamen differunt. Nihil autem repugnat, quominus de eiusmodi conceptibus obiective diversis contradictoria enuntientur. Quare sicut iustitia quidem punit, misericordia autem non punit; ita etiam non essentia sed Pater generat, atque non essentia sed Filius gignitur.

31. *Opponunt secundo hoc Augustini dictum*: „Pater et Filius simul una sapientia, quia una essentia, et singillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia." (De Trinitate l. 7. c. 2.) — *R. S. Thomas:* „Ad exprimendam unitatem essentiae et personae sancti Doctores aliquando expressius locuti sunt quam proprietas locutionis patiatur. Unde huiusmodi locutiones non sunt extendendae sed exponendae, ut scilicet nomina abstracta exponantur per concreta vel etiam per nomina personalia; ut cum dicitur: essentia de essentia vel sapientia de sapientia, sit sensus: Filius qui est essentia et sapientia est de Patre, qui est essentia et sapientia. In his tamen nominibus est quidam ordo attendendus: quia ea quae pertinent ad actum, magis propinque se habent ad personas, quia actus sunt suppositorum. Unde minus impropria est ista: Natura de natura, vel sapientia de sapientia, quam: essentia de essentia." (L. c.) *Ceterum* addi potest, *S. Augustinum* ipsum satis clare sensum sententiae obiectae a se intentum indicasse. Paulo ante enim dixit: „Quemadmodum (Filius dicitur) lumen de lumine et utrumque unum lumen; sic intelligatur sapientia de sapientia et utrumque una sapientia: ergo et una essentia, quia hoc est bi esse, quod sapere." (L. c. c. 1.) Itaque sensus senten tiae obiectae est: Filius, qui est essentia divina, de Patre est, qui idem est essentia divina ita tamen, ut utriusque non alia et alia, sed eadem sit essentia. — *Denique* merito notat *Kleutgen,* eiusmodi dicta etiam tropice accipi posse, cum saepe per tropum abstracta pro concretis, iustitia e. g. pro iustis, luxuria pro luxurioris nominentur (n. 956.; cf. *Suarez,* l. 6. c. 7. n. 13.)

32. *Tertio opponitur:* Quando persona humana generatur, etiam natura generatur humana; ergo cum persona divina generatur, etiam generatur natura divina. — *R.* Per se non humanitas sed homo generatur, quemadmodum etiam homo non humanitas generat; sed per accidens etiam natura humana generatur, quia cum alio homine etiam alia numero diversa natura existere incipit. Divina autem generatione altera solum persona, non vero altera numero distincta natura generatur ideoque natura divina neque per accidens procedit.

5. Deus Pater non procedit ideoque tamquam nomine proprio ingenitus et principium totius divinitatis recte appellatur. 33. — Tria hae sententia asseruntur, quae secundum ordinem probanda sunt:

1) Deus Pater non procedit. — Secundum revelationis doctrinam Filius et Spiritus Sanctus a Patre procedunt; ergo Deus Pater a Filio vel Spiritu Sancto sane non procedit, cum evidenter repugnet quominus quidquam sit principium et principiatum relate ad idem. Si igitur Pater nihilominus procederet, ab alia adhuc persona divina aut ab essentia divina procedere dicendus esset. Hac autem ratione in divinitate non trinitas solum, sed quaternitas esset: quod cum professione christiana universa prorsus pugnat. Apposite *Epiphanius:* „Divinitas in Trinitate manet et praedicatur, nec ad eam ulla fit accessio.“ (Haer. 64, c. 8.) Quaternitatem vero in divinitate consequi, si praeter tres personas alia insuper tamquam principium Patris poneretur, sane manifestum est; idem autem consequeretur, si ab essentia procedere poneretur; in eo enim casu essentia et Pater se haberent ad invicem tamquam principium principiatum ideoque realiter distinguerentur. Ceterum absonum est, essentiam non subsistentem concipere tamquam principium quod processionis. Ergo Pater manifesto non procedit.

2) *Pater tamquam nomine proprio ingenitus vocatur.* — 34. Nomen *ingenitus* triplici sensu sumi potest et sumitur: Et *primo* quidem idem significat ac increatum sive non factum, quo sensu tribus personis divinis commune est. Cum haec significatio subest, graece scribendum est ἀγένητος a verbo γίγνομαι. *Secundo* significat illud, quod non est ortum generatione; qua significatione non solum de Patre, sed etiam de Spiritu Sancto praedicari potest, utpote qui non generatur sed spiratur. In hac significatione graece scribendum est ἀγέννητος (a verbo γεννάω), quod tamen ipsi Patres graeci non semper servare videntur. Denique *tertia* significatione omnem prorsus originem negat et ita sumptum tamquam nomen proprium Deo Patri tribuitur, ut iam antiqui ecclesiae doctores docuerunt atque concilia statuerunt.

Ita v. g. *Basilius:* „Qui verus et solus Pater est, ex nullo alio est; hoc autem ex nullo esse idem est atque ingenitum esse." (Adv. Eunom. l. 1. n. 15.) Et *Concilium Toletanum XI.:* „Et Patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur; ipse enim a nullo originem ducit." Et rursus: „Hic etiam Spiritus Sanctus nec ingenitus creditur, ne aut si ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus, aut si genitum, duos Filios praedicare monstremur."

Alio nomine, sed eodem sensu Pater etiam *innascibilis* vocatur.

35. *3) Pater etiam singulari ratione principium vocatur.* — Nomen principii similiter ac nomen causae est quoddam relativum secundum dici, quia significat absolutum, ad quod consequitur relatio. Etenim „relativa quaedam sunt imposita ad significandum ipsas habitudines relativas, ut dominus et servus, pater et filius, et huiusmodi: et haec dicuntur *relativa secundum esse.* Quaedam vero sunt imposita ad significandus res, quas consequuntur quaedam habitudines, sicut movens et motum, caput et capitatum, et alia huiusmodi: quae dicuntur *relativa secundum dici.*" (*S. Thomas,* s. th. 1. p. q. 13. a. 7. ad 1.) Eiusmodi igitur relativum secundum dici est principium in creaturis, quia directe significat rem aliquam et in obliquo vel consequenter relationem ad principiatum. Pariter eiusmodi relativum secundum dici est Deus tamquam principium creaturarum; etenim Deus conceptus tamquam principium creaturarum menti directe sistit ipsam substantiam divinam, quatenus causa est entium creatorum, in obliquo vero vel consequenter significat relationem ad creaturas; atque hoc modo nomen principii Deo tributum sumitur essentialiter. Sed in divinitate principium etiam personaliter sumitur; solus enim Pater est principium Filii atque Pater et Filius soli Spiritus Sancti principium sunt; in hac autem acceptione idem nomen principii non manet relativum secundum dici, sed evadit relativum secundum esse, quia sic sumptum nihil dicit nisi relationem constitutivam personae, a qua altera persona divina procedit.

Quibus de ratione principii notatis intelligitur, Deum 36. Patrem speciali prorsus modo etiam prae ceteris personis divinis principium esse. Et *primo* quidem speciali modo principium est relate ad creaturas; etenim quamvis etiam Filius et Spiritus Sanctus principium creaturarum sint, id ipsum tamen cum natura divina a Patre habent, Pater autem a nullo accipit. *Secundo* etiam intra ipsam divinitatem Pater speciali modo principium est; nam generat Filium et spirat Spiritum Sanctum, ipse vero a nullo procedit: etsi autem etiam Filius principium sit Spiritus Sancti, hoc ipsum iterum simul cum natura divina a Patre communicatum habet, cum Pater a nullo acceperit. Quare Pater merito speciali prorsus modo et tamquam nomine proprio principium vocatur; cum enim Filius et Spiritus Sanctus sint principium de principio ipse est principium simpliciter, principium sine principio, ἀρχὴ ἄναρχος, fons atque origo totius divinitatis.

4) *Denique nomen Pater, quatenus ad intra dicitur,* 37. *maxime proprium et personale est primae personae; quatenus autem ad extra dicitur, per posterius dicitur atque tribus personis divinis commune est et Patri solum appropriatur.* — Nomen *Patris* duplici modo in divinis adhibetur: *primo* significat relationem realem ad intra, scilicet primae personae ad alteram, ut v. g. in hac sententia: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur* (Eph. 3, 14. 15), qua ratione sumptum nomen personale est; *secundo* significat etiam relationem ad extra, ut v. g. in oratione dominica: *Pater noster, qui es in coelis* (Matth. 6, 9.), quo modo sumptum nomen essentiale et tribus personis commune est.

a) Ut nomen aliquod sit maxime proprium et personale, tria in eius significatione comprehendantur necesse est: *Primo* personam significet necesse est non secundum eius accidentales vel contingentes qualitates, ut v. g. imperator, pontifex, philosophus, mathematicus, sed secundum ipsum constitutivum personale. *Secundo* requiritur, ut significet personalem characterem non vage et generaliter, sed prorsus determinate, seu secundum ipsam eius individuam et distinctivam rationem.

Tertio denique necesse est, ut individuum hunc et personalem characterem significet non ex arbitraria conventione, ut v. g. nomina Paulus, Andreas, Titus, sed ex primitiva et nativa sua significatione atque manifestando ipsam internam characteris personalis rationem. Iamvero haec tria inveniuntur in nomine Patris relate ad primam personam divinam. Etenim *primo* personam primam significat secundum ipsum personalem characterem: nam prima persona, qua Pater est etiam persona est vel per ipsam paternitatem in ratione personae constituitur. *Secundo* significat personalem characterem omnino clare et determinate secundum individuam eius rationem, qua ab omnibus aliis personis essentialiter distinguitur. *Tertio* denique eundem significat ex nativa sua et primitiva significatione. Nulla autem alia persona eo persona est, quo est pater; ut manifeste patet in patre humano, qui per accedentem solum qualitatem pater postea evasit. Nulla item persona humana nomine designari potest, quo ipsa eius individua et distinctiva ratio clare et determinate atque secundum nativam vocis vim exprimatur; etenim, cum rationes individuantes ipsas diversarum personarum non cognoscamus, atque individua diversa solum ex signis externis atque contingentibus discernamus, etiam diversas personas humanas solum nominibus prorsus arbitrariis denominare atque ab invicem discernere valemus, ut facile apparet quoad omnes appellationes, quibus personas designamus. Quae cum ita sint, manifestum est, nomen Patris, quatenus designat relationem intra Deum, esse nomen maxime proprium et personale.

38. b) Sed sumitur hoc nomen in divinitate etiam ita, ut dicat relationem ad extra et sic essentiale et tribus personis commune est. Qua ratione vero Deus ad extra pater dicatur et quomodo haec significatio posterior sit altera, praeclare explicat *S. Thomas:* „Per prius dicitur nomen de illo in quo salvatur tota ratio nominis perfecte, quam de illo, in quo salvatur secundum aliquid: de hoc enim dicitur quasi per similitudinem ad id, in quo perfecte salvatur, quia omnia imperfecta sumuntur a perfectis. Et inde est, quod hoc nomen *leo* per prius dicitur de animali, in quo tota ratio leonis sal-

vatur, quod proprie dicitur leo, quam de aliquo homine in quo invenitur aliquid de ratione leonis, ut puta audacia vel fortitudo vel aliquid huiusmodi; de hoc enim per similitudinem dicitur. Manifestum est autem . . . quod perfecta ratio paternitatis et filiationis invenitur in Deo Patre et in Deo Filio: quia Patris et Filii una est natura et gloria. Sed in creatura filiatio invenitur respectu Dei, non secundum perfectam rationem, cum non sit una natura creatoris et creaturae, sed secundum aliqualem similitudinem, quae quanto perfectior fuerit, tanto propinquius acceditur ad veram filiationis rationem. Dicitur enim Deus alicuius creaturae pater *propter similitudinem vestigii* tantum, utpote irrationalium creaturarum secundum illud Iob 38, 28.: *Quis est pluviae pater? Vel quis genuit stillas roris?* Alicuius vero creaturae, scilicet rationalis *secundum similitudinem imaginis* secundum illud Deuter. 32, 6.: *Numquid ipse est pater tuus, qui possedit te et fecit et creavit te?* Aliquorum vero est pater *secundum similitudinem gratiae,* qui etiam dicuntur filii adoptivi, secundum quod ordinantur ad haereditatem aeternae gloriae per munus gratiae acceptum secundum illud Rom. 8, 16. 17.: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei; si autem filii, et haeredes.* Aliquorum vero *secundum similitudinem gloriae,* prout iam gloriae haereditatem possident secundum illud Rom. 5, 2: *Gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.* Sic igitur patet, quod per prius paternitas dicitur in divinis, secundum quod importatur respectus personae ad personam, quam secundum quod importatur respectus Dei ad creaturam." (S. th. 1. p. q. 33. a. 3.) — Ipsa re satis explicata nonnullae exceptiones solvendae restant:

Primo igitur excipitur: Ingenitum et genitum substantia **39.**
differunt; quare si nomen ingeniti proprium Patris est, Pater et Filius substantia differunt. Quod argumentum Ariani usque ad nauseam repetiverunt et variarunt. — *R. d.* anteced.: si ingenitum intelligatur increatum et genitum creatum, ea substantia differunt *c.* si vero proprio sensu accipiuntur ut quod est genitum et quod non genitum est *n.* Sic Adam et Eva, quamvis geniti non sint, non tamen a filiis suis ceteris-

que posteris substantia differunt. Similiter igitur Pater et Filius non substantia sed subsistentia vel relatione substantiali differunt et ita quidem, ut substantiam non solum specie, sed numero eandem habeant.

40. *Secundo excipitur:* Si Pater fons aut principium totius divinitatis dicitur, divinitas aut intelligitur natura divina aut personae divinae; iamvero nequit intelligi natura divina, quia haec principium nullum habet; neque personae divinae intelligi possunt, quia secus Pater sui ipsius principium esset; quod absonum est. Ergo Deus Pater non debet dici fons aut principium totius divinitatis. — *R.* Sensum dicti illius declarat *confessio Toletana*, utpote quae post verba: „ipse enim a nullo originem ducit" haec subiungit: „ex quo et Filius nativitatem et Spiritus Sanctus processionem accepit; fons ergo ipse et origo est totius divinitatis." Itaque in illo dicto divinitas significat personas divinas, quemadmodum humanitas aliquando non naturam humanam sed personas humanas simul sumptas sive gentem humanam significat. Neque Deus Pater ideo dicitur principium suiipsius, quemadmodum nec Adam, quando protoparens generis humani vocatur.

41. *Tertio excipitur:* „Omne quod dicitur in divinis per prius dicitur de Deo, quam de creaturis. Sed generatio per prius videtur dici de creaturis quam de Deo; verior enim ibi videtur esse generatio, ubi aliquid procedit ab alio distinctum, non secundum relationem tantum, sed etiam secundum essentiam. Ergo nomen patris, quod a generatione sumitur, non videtur esse proprium alicuius divinae personae." *R.* „Nomen generationis et paternitatis, sicut et alia nomina, quae proprie dicuntur in divinis, per prius dicuntur de Deo quam de creaturis quantum ad rem significatam, licet non quantum ad modum significandi. Unde et Apostolus dicit ad Ephes. 3, 14. 15.: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur.* Quod sic apparet: manifestum est enim quod generatio accipit speciem a termino, qui est forma generati; et quanto hic fuerit propinquior formae generantis, tanto verior et perfectior est generatio; sicut generatio univoca est

perfectior quam non univoca: nam de ratione generantis est, quod generet sibi simile secundum formam. Unde hoc ipsum, quod in generatione divina est eadem numero forma generantis et geniti, in rebus autem creatis non est eadem numero, sed specie tantum, ostendit quod generatio et per consequens paternitas per prius sit in Deo quam in creaturis. Unde hoc ipsum, quod in divinis est distinctio geniti a generante secundum relationem tantum, ad veritatem divinae generationis et paternitatis pertinet." (*S. Thomas*, s. th. 1. p. q. 33. a. 2. ad 4.)

Scholion.

Recapitulatio. — Quae in tota hac de processionibus 42.
divinis quaestione exposita sunt, uno conspectu exhibere abs re non fuerit. Audiatur itaque *S. Thomas* (?) totam hanc doctrinam in *compendio theologiae* breviter comprehendens:

„Quia Deus seipsum intelligit, omne autem intellectum in intelligente est, oportet Deum in seipso esse, sicut intellectum in intelligente. Intellectum autem prout est in intelligente est verbum quoddam intellectus. Oportet igitur in Deo ponere Verbum eius . . .

Considerandum est autem, quod cum in nobis sit aliud esse naturale et intelligere, oportet quod verbum in nostro intellectu conceptum, quod habet esse intelligibile tantum, alterius naturae sit quam intellectus noster, qui habet esse naturale. In Deo autem idem est esse et intelligere. Verbum igitur Dei, quod est in Deo, cuius Verbum est secundum esse intelligibile, idem esse habet cum Deo, cuius est Verbum. Et per hoc oportet, quod sit eiusdem essentiae et naturae cum ipso et quod omnia, quaecunque de Deo dicuntur, Verbo Dei conveniant . . .

Sicut autem intellectum est in intelligente in quantum 43.
intelligitur, ita et amatum esse debet in amante in quantum amatur. Movetur enim quodammodo amans ab amato quadam intrinseca motione. Deus autem sicut intelligit seipsum, ita necesse est, quod seipsum amat. Bonum enim intellectum secundum se amabile est. Est igitur Deus in seipso tamquam amatum in amante . . .

44. Sicut autem intelligere est suum esse, ita et eius amare. Non igitur Deus amat seipsum secundum aliquid suae essentiae superveniens, sed secundum suam essentiam. Cum igitur amet seipsum secundum hoc, quod ipse in seipso est ut amatum in amante, non est Deus amatus in Deo amante per modum accidentalem, sicut et res amatae sunt in nobis amantibus accidentaliter, sed Deus est in seipso ut amatum in amante substantialiter. Ipse ergo Spiritus Sanctus, quo nobis insinuatur divinus amor, non est aliquid accidentale in Deo, sed est res subsistens in essentia divina, sicut Pater et Filius . . .

45. Est commune in omni intellectu, quod oportet id quod in intellectu concipitur, ab intelligente quodam modo procedere in quantum intelligens est, et sua processione ab ipso quodammodo distinguitur, sicut conceptio intellectus, quae est intentio intellecta, distinguitur ab intellectu intelligente; et similiter oportet, quod affectio amantis per quam amatum est in amante, procedat a voluntate amantis, in quantum est amans. Sed hoc proprium habet intellectus divinus, quod cum intelligere eius sit esse ipsius, oportet quod conceptio intellectus quae est intentio intellecta, sit substantia eius; et similiter est de affectione in ipso Deo amante. Relinquitur ergo, quod intentio intellectus divini, quae est Verbum ipsius, non distinguitur a producente ipsum in hoc quod est secundum substantiam, sed solum in hoc quod est secundum rationem processionis unius ex alio; et similiter est de affectione amoris in Deo amante, quae ad Spiritum Sanctum pertinet . . . Cum autem intellectum sit in intelligente et amatum in amante, diversa ratio eius quod est esse in aliquo, utrobique consideranda est. Cum enim intelligere fiat per assimilationem aliquam intelligentis ad id quod intelligitur, necesse est id quod intelligitur in intelligente esse secundum quod eius similitudo in eo consistit. Amatio autem fit secundum quandam motionem amantis ab amato. Amatum enim trahit ad seipsum amantem. Igitur non perficitur amatio in similitudine amati, sicut perficitur intelligere in similitudine intellecti, sed perficitur in attractione amantis ad ipsum amatum. Traductio

autem similitudinis principalis fit per generationem univocam, secundum quam in rebus viventibus generans Pater, et genitus Filius nominatur. In eisdem etiam prima motio fit secundum speciem. Sicut igitur in divinis modus ille, quo Deus est in Deo ut intellectum in intelligente exprimitur per hoc quod dicimus Filium qui est Verbum Dei, ita modum. quo Deus est in Deo, sicut amatum in amante exprimimus per hoc, quod ponimus ibi Spiritum qui est amor Dei . . .

Secundum quod intellectus actu intelligit, est in ipso id **46.**
quod intelligitur. Hoc igitur quod est intellectum esse in intelligente, procedit ex virtute intellectiva et hoc est verbum ipsius. Similiter etiam id quod amatur, est in amante secundum quod amatur actu. Quod autem aliquid actu ametur, procedit et ex virtute amativa amantis et ex bono amabili actu intellecto. Hoc igitur, quod est amatum esse in amante ex duobus procedit, scilicet ex principio amativo et ex intelligibili apprehenso, quod est Verbum conceptum de amabili. Cum igitur in Deo seipsum intelligente et amante Verbum. sit Filius; is autem, cuius est Verbum, sit Verbi Pater, ut ex dictis patet, necesse est, quod Spiritus Sanctus, qui pertinet ad amorem secundum quod Deus in seipso est ut amatum in amante, ex Patre procedat et Filio . . .

Ex omnibus autem quae dicta sunt, colligi oportet quod **47.**
in divinitate quendam ternarium ponimus, qui tamen unitati et simplicitati essentiae non repugnat. Oportet enim concedi Deum esse ut existentem in sua natura, et intellectum, et amatum a seipso. Aliter autem hoc accidit in Deo et in nobis: quia enim in sua natura homo substantia est, intelligere autem et amare eius non sunt eius substantia, homo quidem secundum quod in natura sua consideratur, quaedam res subsistens est: secundum autem quod est in suo intellectu, non est res subsistens, sed intentio quaedam rei subsistentis, et similiter secundum quod est in seipso ut amatum in amante. Et sic ergo in homine tria quaedam considerari possunt, id est, homo in natura sua existens, et homo in intellectu existens, et homo in amore existens, et tamen hi tres non sunt unum, quia intelligere eius non est eius esse,

similiter autem et amare, et horum trium unus solus est res quaedam subsistens, scilicet homo in natura sua existens. In Deo autem idem est esse, intelligere et amare. Deus ergo in esse suo naturali existens et Deus existens in intellectu, et Deus existens in amore suo unum sunt, unusquisque tamen eorum est subsistens. Et quia res subsistentes in intellectuali natura personas Latini nominare consueverunt, Graeci vero hypostases, propter hoc in divinis Latini dicunt tres personas, Graeci vero tres hypostases, Patrem scilicet et Filium et Spiritum Sanctum . . .

48. Processio autem in Deo ad exterius non terminata non potest accipi nisi aut secundum operationem intellectus, prout procedit Verbum, aut secundum operationem voluntatis, prout procedit amor. Non igitur potest esse aliquid divina persona procedens nisi vel ut Verbum quod dicimus Filium, vel ut Amor quod dicimus Spiritum Sanctum. Rursus cum Deus omnia uno intuitu per suum intellectum comprehendat, et similiter uno actu voluntatis omnia diligat, impossibile est esse in Deo plura Verba aut plures Amores. Si igitur Filius procedit ut Verbum et Spiritus Sanctus procedit ut Amor, impossibile est esse in Deo plures Filios vel plures Spiritus Sanctos. Item perfectum est, extra quod nihil est; oportet autem tam Filium, quam Spiritum Sanctum esse simpliciter perfectum cum uterque eorum sit Deus. Praeterea illud per quod aliquid subsistens est hoc aliquid et ab aliis distinctum, impossibile est quod numero multiplicetur, eo quod individuum de pluribus dici non potest; sed filiatione Filius est haec persona divina in se subsistens, et ab aliis distincta sicut per principia individuantia Sortes est haec persona humana. Sicut ergo principia individuantia, quibus Sortes est hic homo non possunt convenire nisi uni, ita etiam filiatio in divinis non potest nisi uni convenire; et simile est de relatione Patris et Spiritus Sancti; impossibile est igitur in divinis esse plures Patres aut plures Filios aut plures Spiritus Sanctos." (L. c. cc. 37. 41. 45. 46. 48. 49. 50. 52. 56.) Conferatur etiam c. 47., ubi S. Thomas declarat, cur tertia persona speciali modo sanctus vocetur.

Quaestio tertia.

De relationibus divinis sive de personarum divinarum differentia.

Articulus primus.

De relationum divinarum existentia.

Thesis 13. Dogma fidei est, in Deo esse relationes reales ad intra.

Declaratio.

1. Quaestionis argumentum et divisio. — Quaestioni de processionibus divinis absolutae recto ordine succedit alia illa de relationibus divinis. Etenim quamvis nullus ordo realis sit in divinis inter processiones et relationes, utpote quae secundum rem saltem idem sunt; attamen, quia secundum modum nostrum intelligendi ab invicem distinguuntur, secundum eundem etiam ordo aliquis apparet; scilicet sub hoc respectu processiones sive origines priores sunt relationibus earumque fundamenta constituunt. Insuper tractatio de relationibus divinis ad aliqualem personarum divinarum earumque ab invicem differentiae et cum invicem convenientiae intelligentiam manuducit, quia videlicet eaedem personae praecise per relationes originis in seipsis constituuntur et ab invicem realiter distinguuntur. Quae cum ita sint, recto prorsus ordine hoc loco poni intelligitur quaestio notata de relationibus divinis atque personarum divinarum per easdem constitutione atque distinctione. Omnia autem, quae tractanda sunt, commode ad quatuor articulos revocantur: 1.

Articulus primus: De relationum divinarum existentia.

Articulus secundus: De relationum divinarum cum essentia identitate et ab invicem distinctione.

Articulus tertius: De personarum divinarum per relationes constitutione.

Articulus quartus: De relationibus divinis tamquam actibus notionalibus.

2. **2. *Argumenti gravitas.*** — Porro summa est huius de relationibus divinis quaestionis gravitas, utpote quae cardo quasi est et lapis lydius totius tractationis de ss. Trinitate atque clavem praebet ad aliqualem huius altissimi mysterii intelligentiam aperiendam necnon ad obiectiones praecipuas Rationalistarum solide et efficaciter solvendas. Revera ex distinctione inter rationem absoluti et rationem relativi in Deo tum SS. Patres tum subsequentes magni ecclesiae doctores omnem fere intelligentiam mysterii atque difficultatum solutionem derivarunt, imprimis S. Augustinus atque S. Thomas, quorum uterque profundissime hoc mysterium scrutatus est. Exemplo sit haec *Augustini* expositio: „Est ibi aliquid ineffabile, quod verbis exprimi non possit, ut et numerus sit et numerus non sit. Videte enim, si non quasi apparet numerus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus Trinitas. Si tres, quid tres? Deficit numerus. Ita Deus nec recedit a numero, nec capitur numero. Quia tres sunt, tamquam est numerus: si quaeris, quid tres, non est numerus. Unde dictum est: *Magnus Dominus noster et magna virtus eius, et sapientiae eius non est numerus* (Ps. 146, 5). Ubi cogitare coeperis, incipis numerare: ubi numeraveris, quid numeraveris, non potes respondere. (De nomine personae ex creaturis ad Trinitatem translato cf. de Trinit. l. 7. n. 7.—12.) Pater, Pater est; Filius, Filius est; Spiritus Sanctus, Spiritus Sanctus est: quid sunt isti tres, Pater et Filius et Spiritus Sanctus? Non tres dii? non. Non tres omnipotentes? non. Non tres mundi creatores? non. Ergo omnipotens Pater? omnipotens plane. Ergo et Filius non omnipotens? plane et Filius omnipotens. Ergo et Spiritus Sanctus non omnipotens? et ipse omnipotens. Tres ergo omnipotentes? non, sed unus omnipotens. Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt. Quia enim Deus Pater ad se est Deus simul cum Filio et Spiritu Sancto, non sunt tres

dii; quia ad se est omnipotens simul cum Filio et Spiritu Sancto, non sunt tres omnipotentes; quia vero non ad se est Pater, sed ad Filium; nec Filius ad se est, sed ad Patrem; nec Spiritus ad se, in eo quod dicitur Spiritus Patris et Filii, non est quid dicam tres, nisi Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum Deum, unum omnipotentem. Ergo unum principium." (In Ioan. tractat. 39. n. 4).

3. De relationibus generatim. — Cum igitur 3.
tanta sit doctrinae de relationibus divinis gravitas, eadem imprimis accurate atque solide excolatur oportet; quem in finem explicationem brevem relationum generatim praemittere expedit:

1) Notio relationis. — Quae rei alicui conveniunt citra respectum ad alia, absolute sive ad se dicuntur; quae vero alicui rei conveniunt per respectum ad alia, relative sive ad aliud dicuntur. Formalis igitur relationis ratio est ad aliud se habere; quare relatio definiri potest: habitudo unius ad alterum. Tria igitur ad omnem relationem requiruntur: subiectum quod refertur; terminus ad quem refertur; respectus, quo refertur. Porro si respectus reale habet fundamentum in re relata, relatio realis dicitur et est vel etiam inhaerens; si autem eiusmodi fundamentum deficit, relatio rationis est, vel mere assistens. Atque hac divisione in relationem realem et relationem rationis tamquam essentiali proprietate relatio differt ab aliis generibus, ut substantiae et quantitatis, quae sane non ita dividuntur; quamvis enim v. g. quantitatem concipere possim in natura rerum non existentem, neque tamen eam de subiecto existente praedicare possum sine falsitate; oppositum vero de relatione rationis obtinet. Ratio est; quia cetera praedicamenta ponunt aliquid in re i. e. subiectum ipsum sive eiusdem modificationem, relatio autem nihil dicit nisi respectum. Apposite S. Thomas: „Considerantum est, quod solum in his, quae dicuntur *ad aliquid*, inveniuntur aliqua secundum rationem tantum, et non secundum rem, quod non est in aliis generibus: quia alia genera, ut quantitas et qualitas, secundum propriam rationem significant aliquid alicui inhaerens. Ea vero, quae dicuntur *ad aliquid*, significant secundum propriam rationem solum respectum ad

aliud. Qui quidem respectus aliquando est in ipsa natura rerum, utpote quando aliquae res secundum suam naturam ad invicem ordinatae sunt, et invicem inclinationem habent; et huiusmodi relationes oportet esse reales . . . Aliquando vero respectus significatus per ea quae dicuntur *ad aliquid,* est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis unum alteri; et tunc est relatio rationis tantum." (S. th. 1. p. q. 28. a. 1.). Et alibi item: „In hoc differt *ad aliquid* ab aliis generibus, quod alia genera ex propria sui ratione habent, quod aliquid sint, sicut quantitas aliquid ponit et similiter est de aliis. Sed *ad aliquid* ex propria sui generis ratione non habet, quod ponat aliquid, sed ad aliquid; unde inveniuntur quaedam *ad aliquid,* quae nihil sunt in rerum natura, sed in ratione tantum, quod in aliis generibus non contingit." (Quodlib. 9. a. 4.).

4. 2) *Relatio non est realis eodem, quo est relatio.* — Quae assertio ex notione proposita consequitur. Cum scilicet cetera praedicamenta positivam realitatem dicant ratione propriae notae sui generis, relatio nonnisi ratione alterius notae distinctae realitatem infert. Et re quidem vera, si concipis substantiam, ens concipis, quod est in se, atque ideo positivam realitatem ponis; item si concipis accidens, v. g.: quantitatem vel qualitatem, ens in alio concipis hoc aliud perficiens atque eo ipso positivam realitatem concipis. At vero si relationem concipis, non eo ipso ponis aliquid in re nec realitatem concipis, sed merum respectum, merum *ad aliud.* Relatio igitur ut dictum est, non est realis, quia dicit praecise *ad aliquid,* sed quia dicit *ad aliquid,* vel respectum, qui fundamentum habet in subiecto, cui attribuitur. Quare accurate distinguatur oportet *esse ad* relationis ab *esse in* eiusdem; per *esse ad* relatio habet quod relatio est, per *esse in,* quod realis est. Apposite iterum *S. Thomas*: „Quamvis relationi ex hoc, quod ad alterum dicitur, non debeatur, quod sit res quaedam: est tamen res aliqua, secundum quod habet fundamentum in eo quod refertur." (In 1. d. 26. a. 2. ad 3.). Et alibi: „Quamvis *ad aliquid* ex ratione sui generis non habeat, quod ponat aliquid, non tamen etiam habet ex ipsa generis ratione, quod nihil ponat, quia sic nulla relatio esset aliquid in rerum na-

tura. Habet autem relatio, quod sit aliquid reale ex eo, quod relationem causat." (Quodlib. 9. a. 4.).

Neque igitur inter haec duo ulla concipienda est compositio sive physica sive metaphysica; etenim *esse in* et *esse ad* non sunt duo, quae se invicem perficiant, cum scilicet relatio ut est merum *esse ad* nihil realitatis ponat. Quare *esse in* et *esse ad* duo quasi aspectus eiusdem rei sunt.

3) Relatio, ut dicit ad aliquid, non postulat determinate 5.
identificari sive cum accidente sive cum substantia, sed ab utroque praescindit. — Nimirum aliqua sunt, quae ex formali sua ratione substantiam dicunt, ut v. g. animal rationale vel arbor. Alia sunt, quae ex formali sua ratione accidens ponunt, ut v. g. quantitas vel qualitas, utpote quae ex conceptu suo ita inferunt aliquid perfectivum substantiae inhaerens, ut aliter concepta rationem suam essentialen amittant. Denique iterum alia sunt, quae ex formali sua ratione determinate nec substantiam nec accidens inferunt, sed ab utroque abstrahunt atque per utrumque verificari possunt; quales sunt v. g. intellectio et volitio. Iamvero ad hoc tertium genus pertinet relatio, quia *esse ad* ex formali sua ratione, cum dicat merum respectum, non postulat magis inesse vel identificari cum accidenti quam subsistere vel identificari cum substantia.

Quae cum ita sint, non repugnat, quominus in Deo re- 6.
lationes inveniantur, sane non inhaerentes quidem, sed subsistentes, quamvis ita revera esse non quidem ex ratione, sed ex sola revelatione constare possit; in Deo igitur duo solum praedicamenta verificari possunt, scilicet praedicamentum substantiae et praedicamentum relationis. Apposite S. *Augustinus:* „In rebus creatis atque mutabilibus, quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur, omnia enim accidunt eis, quae vel amitti possunt vel minui, ut magnitudines et qualitates, et quod dicitur ad aliquid, sicut amicitiae, propinquitates, servitudines et si qua huiusmodi . . . In Deo autem nihil quidem secundum accidens dicitur, nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim *ad aliquid,* sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, quod non est accidens . . . Quamobrem, quamvis

diversum sit Patrem esse et Filium esse, non est tamen diversa substantia, quia haec non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relativum, quod tamen relativum non est accidens.“ (De Trinit, l. 5. n. 5.). Et *S. Thomas:* „Oportet omnem imperfectionem removeri ab eo, quod in divinam praedicationem venit. Sed in unoquoque novem praedicamentorum duo invenio, scilicet rationem accidentis et rationem propriam illius generis, sicut quantitatis vel qualitatis. Ratio autem accidentis imperfectionem continet, quia esse accidentis est inesse, et dependere et compositionem facere cum subiecto; unde secundum rationem accidentis nihil potest de Deo praedicari. Si autem consideremus propriam rationem cuiuslibet generis, quodlibet aliorum generum, praeter *ad aliquid* importat imperfectionem. Quantitas enim habet propriam rationem in comparatione ad subiectum; est enim quantitas mensura substantiae, qualitas dispositio substantiae, et sic patet in omnibus aliis; unde eadem ratione removentur a divina praedicatione secundum rationem generis, sicut removebantur per rationem accidentis. Si autem consideremus species ipsorum, tunc aliqua secundum differentias completivas important aliquid perfectionis, ut scientia, virtus et huiusmodi; et ideo ista praedicantur de Deo secundum propriam rationem speciei, et non secundum rationem generis. *Ad aliquid* autem, etiam secundum rationem generis, non importat aliquam dependentiam ad subiectum, imo refertur ad aliquid extra, et ideo etiam secundum rationem generis in divinis invenitur. Et propter hoc tantum remanent duo modi praedicandi in divinis, scilicet secundum substantiam et secundum relationem.“ (In 1. d. 8. q. 4. a. 3.).

7. *4) Relationes divinae substantiales essentialiter differunt a relationibus creatis.* — Quae assertio ex praecedentibus explicationibus manifesto consequitur. Et *primo* quidem creatae relationes accidentariae sunt atque ad subiectum in se constitutum accedunt; divinae autem relationes substantiales sunt atque ad subiectum in se constituendum spectant. — Unde *secundo* relationes creatae (saltem praedicamentales) etiam spectato subiecto suo contingentes sunt atque eodem essentia-

liter integro adesse vel abesse possunt; relationes autem divinae absolute necessariae sunt non minus ac ipsa essentia divina. — *Tertio* relationes creatae fundamentum postulant a se distinctum tum logicum tum ontologicum; relationes autem divinae eiusmodi fundamentum a se distinctum habere nequeunt. Nimirum fundamentum logicum relationum creatarum est aliquid absolutum et distinctum a relationibus iisque notius ideoque nobis relationem notificat, qua v. g. generatio se habet ad relationem paternitatis; divinae autem relationes etiam ipsae quidem pro nostro modo concipiendi fundamentum logicum exhibent, scilicet origines, verum hoc fundamentum nihil est extra rationem relationis, verum ipsa relatio est significata tantum alio modo, cum origines in ipsa ratione relationis includantur et vicissim. Quare relationes divinae secundum rei veritatem sibimetipsis etiam fundamentum logicum sunt. Deinde fundamentum ontologicum relationis creatae est causa propter quam in subiecto exstat; qua ratione v. g. actio generandi est etiam fundamentum ontologicum relationis paternitatis. Iamvero relationes divinae substantiales nec eiusmodi fundamentum ontologicum proprie loquendo habere possunt; neque enim ad subiecta constituta et inter se distincta accedunt neque eadem ad invicem referunt, sed ipsa subiecta relata constituunt atque referunt ad se invicem necnon ab invicem distinguunt; se ipsas igitur ponunt atque simul sunt id, quod atque id quo refertur.

Quare relationes divinae substantiales proprie loquendo 8.
neque transcendentales sunt neque praedicamentales. Et *primo* quidem non sunt transcendentales; etenim eae relationes creatae transcendentales vocantur, quibus subiectum aliquod vi essentiae suae ad aliud refertur ut v. g. scientia ad suum obiectum, creatura ad creatorem, materia prima ad formam et vicissim forma ad materiam, potentia ad actum et substantia ad accidens et vicissim, atque alia; quare relationes transcendentales exstare possunt, etsi terminus realiter non existat; denique transcendentales vocantur, quia in omnibus generibus inveniuntur etiam in genere substantiae, quamvis ad instar accidentium concipiantur. Iamvero relationes divinae non referunt

essentiam vel non vi essentiae referuntur; sed personae vel relationes divinae substantiales seipsis referuntur atque praeter essentiam divinam esse concipiuntur; praeterea terminum existentem habent atque postulant; denique neque accidentia sunt; neque ut talia concipi possunt, sed ipsam substantiam divinam constituunt. — *Secundo* vero divinae relationes neque praedicamentales sunt; etenim relationes praedicamentales adveniunt subiecto in suo esse constituto, plerumque fundamentum distinctum habent a subiecto suo, contingenter se habent ad suum subiectum, terminum existentem postulant atque peculiare praedicamentum accidentale constituunt; atqui praeter existentiam termini nihil horum invenitur in relationibus divinis; etenim non sunt accidentales, sed substantiales, neque contingenter adveniunt essentiae divinae neque fundamentum habent a subiecto distinctum. Verumtamen relationes divinae magis quodammodo se habent ad instar relationum praedicamentalium, quia relationi praedicamentali non videtur esse essentiale reipsa esse accidens vel distinctum a subiecto, quamvis ita concipiantur; sed eo maxime differunt relationes divinae, quod necessariae prorsus sint, subiecta sua constituant, quamvis de essentia divina non sint sive in conceptu nostro essentiae divinae neque implicite contineantur.

9. *5) Sola distinctio per oppositionem relativam in neutrum oppositorum defectum perfectionis inducit.* — Etenim omnis alia distinctio locum habet per affirmationem in uno et negationem in altero alicuius formalitatis absolutae; omnis autem formalitas absoluta ponit aliquid; quare vi talis distinctionis uni saltem extremorum aliqua perfectio denegatur. Verum non idem locum habet in distinctione duorum vel plurium per oppositionem relativam; nam, ut dictum est, relatio ut relatio non ponit *aliquid,* sed tantum *ad aliquid,* quod non est reale secundum esse ad, sed secundum esse in; quare opposita relativa non distinguuntur secundum aliquid, quod una habet altera non habet, sed praecise tantum secundum respectus oppositos. Verumtamen haec distinctio per oppositionem relativam realis est, siquidem opposita et oppositio inter eadem independenter a quavis mentis consi-

deratione exstat; quamvis enim opposita non secundum *esse in* adeoque non in eo, quo perfecta sunt, ab invicem distinguantur, attamen, quae realia et perfecta sunt, per realem non fictam oppositionem distinguuntur. Apposite *S. Thomas:* „Omnis distinctionis formalis principium est aliquà oppositio, ut largo modo sumatur oppositio, secundum quod etiam imperfectum et perfectum oppununtur, in quantum in uno est negatio vel privatio alterius. In omnibus autem oppositionibus alterum est ut perfectum, alterum ut imperfectum praeter relationem, quod patet per se in affirmatione et negatione, et privatione et habitu. Patet etiam in contrarietate, quia secundum Philosophum semper alterum contrariorum est sicut nobilius, et alterum sicut vilius et sicut privatio, ut album et nigrum, frigidum et calidum . . . Et ideo nulla talis distinctio potest esse in divinis, ubi est omnimoda perfectio. In relativis autem neutrum est sicut privatio alterius, vel defectum aliquem importans. Cuius ratio est, quia in relativis non est oppositio secundum id qnod relativum *in aliquo* est, sed secundum id, quod *ad aliud* dicitur. Unde, quamvis una relatio habeat annexam negationem alterius relationis in eodem supposito, non tamen ista negatio importat aliquem defectum, quia defectus non est nisi secundum aliquid, quod in aliquo natum est esse,. unde cum id quod habet oppositionem relativam ad ipsum, secundum rationem oppositionis non ponat *aliquid,* sed *ad aliquid*, non sequitur imperfectio vel defectus; et ideo sola talis oppositio competit distinctioni personarum." (In 1. d. 26. q. 2. a. 2.). — Quae cum ita sint, tum SS. Patres tum concilia tum doctores ecclesiae sancte semper et studiose servaverunt atque inculcarunt principium: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.*

Atque his satis explicata propria relationum ratione ipsa thesis demonstratio iam instituitur bipartita:

1. Una numero substantia divina duplicem rationem habet distinctam, scilicet rationem tum absoluti tum relativi.
2. Relationes divinae reales sunt.

Demonstratio.

1. p. Substantia divina rationem habet tum absoluti tum relativi adeoque in Deo relationes ad intra exstant.

10. Haec veritas quidem iam supra in ipsa expositione mysterii demonstrata est (th. 1. n. 36. ss.); verum, quia ita fundamentalis est, ut ex ea maxime aliqualis intelligentia mysterii pendeat atque derivetur, hoc loco pauca quaedam in eiusdem explicationem ac confirmationem addere iuvat:

1. Ex conciliis. — Haec duplex divinitatis ratio, scilicet absoluti et relativi a conciliis proponitur atque urgetur fere omnibus, quae de ss. Trinitate egerunt. Exemplo sit *Concilium Lateranense IV.* ita definiens: „Una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctes, tres simul personae ac singillatim quaelibet earundem; et ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas, quia quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia seu essentia seu natura divina, quae sola est universorum principium . . . Et illa res non est generans neque genita nec procedens, sed est Pater, qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit; ut distinctiones sint in personis et unitas in natura“ (cap. *Damnamus*). Similiter *Concilium Toletanum XI.,* postquam notavit, „non recte dici posse, ut in uno Deo sit Trinitas“ (ne scilicet compositio inferatur) continuo subdit: „In relativis vero personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Sanctus Spiritus ad utrosque refertur; quae cum relative tres personae dicantur, una tamen natura per substantiam creditur. Nec sicut tres personas, ita tres substantias praedicamus, sed unam substantiam, tres autem personas. Quando enim Pater est, non ad se, sed ad Filium est: et quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est; similiter et Spiritus Sanctus non ad se, sed ad Patrem et Filium relative refertur, in eo quod Spiritus Patris et Filii praedicatur. Item cum dicimus: Deus, non *ad aliquid* dicitur, sicut Pater ad Filium, vel Filius ad Patrem, vel Spiritus Sanctus ad Patrem et Filium, sed *ad se* specialiter dicitur Deus“ (Symbol. concil. Tolet. XI.).

Iamvero in his evidenter continetur: *primo*, eandem **11.** unam summam rem, sc. substantiam divinam habere formalem rationem absoluti (i. e. soluti a relatione); etenim sub formali ratione essentiae ad se solum est et dicitur, nec generat nec generatur nec procedit, adeoque nullam relationem ad intra habet nec ullam distinctionem; *secundo* autem evidens est eandem unam summam rem habere simul formalem rationem relativi vel potius relativorum, quae ad invicem sint et dicantur: scilicet sub hac ratione est Pater generans et Filius genitus et Spiritus Sanctus procedens. Quare evidenter una eademque summa res substantia divina sub formali ratione absoluti est unum. una essentia, unus Deus; sub formali autem ratione relativi est tres subsistentes sive tres personae, qui sub sola hac formali ratione relativorum sibi opponuntur atque ab invicem realiter distinguuntur.

2. ***Ex SS. Patrum doctrina.*** — Eadem ac con- **12.** ciliorum etiam SS. Patrum manifesta est doctrina. Nimirum ea, quae de Deo praedicantur ad duo capita revocare solent, quorum unum complectatur ea, quae *ad se* dicuntur, alterum vero ea, quae *ad aliud* praedicantur. Atque ad primum quidem caput ea spectant omnia, quae Deo secundum naturam et essentiam competunt ideoque tribus communia atque unum idemque in iis sunt; ad alterum autem relativa pertinent, ut quod Pater appellatur aut Filius aut Spiritus Sanctus et similia. Audiatur v. g. *Augustinus:* „Et propterea non eo Verbum, quo sapientia, quia Verbum non ad se dicitur. sed tantum relative ad eum, cuius Verbum est, sicut Filius ad Patrem. Sapientia vero eo, quo essentia, et ideo, quia una essentia, una sapientia. Quoniam vero et Verbum sapientia est, sed non eo Verbum, quo sapientia; Verbum enim relative, sapientia vero essentialiter intelligitur, id dici accipiamus, cum dicitur Verbum, ac si dicatur nata sapientia ut sit Filius et imago. Et haec duo, cum dicuntur, id est nata sapientia, in uno eorum, quod nata est, et Verbum et imago et Filius intelligatur, et in his omnibus nominibus non ostendatur essentia, quia relative dicuntur; at in altero, quod est sapientia, quoniam et ad se dicitur, seipsa enim sapiens est,

essentia demonstretur“ (De Trinit. l. 7. c. 2.). Et alibi iterum: „Sed ideo simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est excepto quod relative quaeque persona ad alteram dicitur. Nam utique Pater habet Filium, nec tamen ipse est Pater. In quo ergo ad seipsum dicitur, non ad alterum, hoc est, quod habet; sicut ad seipsum dicitur vivens, habendo utique vitam et eadem vita ipse est“ (De civit. Dei l. 11. c. 10.). — Praeclare etiam *S. Bernardus*: „Alia illa sunt profecto vocabula, quae non ad seipsos dicuntur, sed ad alterutrum, et ideo est cuique suum, et non commune cum altero. Nam qui Pater est, Filius non est; et qui Filius est, Pater non est, quoniam non quod ad se, sed quod ad Filium Pater est, Patris nomine designatur; et item nomine Filii, non quod ad se Filius, sed quod est ad Patrem exprimitur. Non sic potentia, non sic sapientia, neque alia multa, quae ad se dicuntur Pater et Filius, non singulariter alter respectu alterius“ (Ep. 190.). — Idem docent Patres graeci, ut v. g. *Gregorius Naz.*: „Neque Filius est Pater, quippe unus est Pater, sed hoc quod est Pater; neque Spiritus Sanctus est Filius, eo quod ex Deo est; unus est enim unigenitus; sed hoc quod est Filius. Tria haec sunt unum deitate et unum hoc est tria proprietatibus“ (Or. 31. n. 9.). Proprietates vero has relativas esse paulo ante significaverat: „Differentia relationis mutuae differentem ipsorum fecit appellationem“. Pariter *Gregorius Nyssenus*: „Demonstrat (sc. Salvator in forma baptismi) satis esse, si in Patris et Filii et Spiritus Sancti appellatione permaneamus, ad eius quod essentialiter est, perceptionem; quod quidem et unum est et non unum. Nam essentiae ratione est unum; ideo in unum nomen (qui baptizant in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti) respicere Dominus lege sua constituit; sed proprietatibus notionalibus hypostaseon in Patris et Filii et Spiritus Sancti fidem discernitur indivise distinctum et inconfuse unitum“ (Cont. Eunom. l. 1.). Denique *S. I. Damascenus*: „Una enim est essentia, una bonitas, una potestas, una voluntas, una facultas, una auctoritas; una, inquam et eadem, non tres inter se similes sed una plane eademque trium personarum motio . . . Unum

quippe idemque omnino sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus; nisi quod Pater ingenitus est, Filius genitus, et Spiritus Sanctus processit . . . Unum quippe Deum cognoscimus; in solis proprietatibus nimirum paternitatis, filiationis, et processionis, atque quantum ad causam et causatum (intellige sensu improprio pro principio et principiato), ac hypostasis perfectionem, hoc est existendi modum, distinctionem intellegimus" (De fide, l. 1. c. 8. n. 40.).

3. Ex theologorum consensione. — Etiam theo- 13.
logi communiter hanc duplicem rationem obiectivam in divinitate distinguunt eamque urgent et inculcant tamquam verum totius mysterii cardinem. Ita imprimis ipse *S. Thomas* saepenumero; v. g.: „Alia est ratio substantiae et relationis et utrique respondet aliquid in re, quae Deus est, non tamen aliqua res diversa, sed una et eadem . . . Licet relatio non addat supra essentiam aliquam rem sed solum rationem, tamen relatio est aliqua res, sicut etiam bonitas est aliqua res in Deo, licet non differat ab essentia nisi ratione, et similiter est de sapientia. Et ideo sicut ea quae pertinent ad bonitatem vel sapientiam, realiter Deo conveniunt, ut intelligere et alia huiusmodi; ita etiam id, quod est proprium realis relationis scilicet opponi et distingui realiter in divinis invenitur" (De pot. q. 8. a. 2. ad 2. et 3.; cf. S. th. 1. p. q. 28. a. 2.).

Eadem ratione rem declarat *Caietanus* modo loquendi 14
forte aliquantum singulari: „In Deo secundum rem sive in ordine reali est una res non pure absoluta nec pure respectiva nec mixta aut composita aut resultans ex utraque, sed eminentissime et formaliter habens quod est respectivi, imo multarum rerum respectivarum (i. e. trium personarum vel quatuor relationum), et quod est absoluti. Ita in ordine formali seu rationum formalium secundum se, non quoad nos loquendo, est in Deo unica ratio formalis non pure absoluta nec pure respectiva, non pure communicabilis nec pure incommunicabilis, sed eminentissime ac formaliter continens et quidquid absolutae perfectionis est et quidquid Trinitas respectiva exigit . . . Pater non intelligit essentiam et paterni-

tatem ut duo obiecta formalia secundum se, sed ut unum formaliter et multa virtualiter, non ita quod in illa summa re atque ratione formali paternitas et essentia sint virtualiter, sed ita quod sint formaliter et realiter, sed distinctio earum est virtualiter, quia ita ibi sunt, ac si essent distinctae, et rursus quia ita exercet munus utriusque, ac si essent distinctae" (In 1. q. 39. a. 1.).

15. Pariter *Suarez:* „Est ibi una res vere absoluta et vere relativa sine distinctione inter se, quia ut sic non involvunt oppositionem nec repugnantiam; quia non est de ratione rei absolutae, ut secundum nullam rationem possit habere respectum, sed solum, ut quatenus absoluta, eum non dicat" (De Trinit. 8. 4. c. 3. n. 19.). — Denique eandem veritatem inculcat *Franzelin* propria thesi statuta: „Una summa res, quae Deus est, simul habet tum rationem absoluti, quod est una essentia divina, tum rationem relativorum ad invicem, qui realiter inter se distinguuntur; internae enim relationes divinae tum omnes tum singulae ex doctrina fidei sunt realiter ipsa infinita essentia Dei" (Thesis 21.).

Totam autem hanc doctrinam de duplici ratione unius eiusdemque substantiae divinae in scriptura contineri i. e. in ipsa veritate revelata unius eiusdemque Dei in tribus personis subsistentis, ex superiore tractatione manifestum est.

2. p. Relationes divinae ad intra reales sunt.

16. ***1. Ex nominibus primae et secundae personae.*** — Secundum manifestam scripturae et traditionis doctrinam supra iam propositam prima persona divina vere et realiter est Pater, altera autem item vere et realiter Filius est; quare in divinitate vere et realiter tum naturalis paternitas tum naturalis filiatio inveniuntur. Atqui tum paternitas realis tum filiatio naturalis verae sunt atque reales relationes, cum independenter a quavis mentis consideratione rem naturae dicant. Ergo in divinitate relationes reales exstant. — Profecto paternitas et filiatio omnes illas tres proprietates habent, quae in omni et sola inveniuntur relatione, prout ab ente absoluto distinguitur: scilicet, quae realiter relativa sunt,

simul sunt natura et cognitione ita, ut converti possint. Pater enim nec esse nec concipi potest sine Filio, neque Filius sine Patre. Apposite *Athanasius:* „Vox ista Patris ad Filium refertur . . .; qui enim Deum Patrem vocat, statim Filium concipit et agnoscit“ (orat. 1. cont. Arian. n. 33.). Et *Cyrillus A.:* „Nomina relativa significare se invicem, altero alterius cognitionem mutuo pariente . . . Nomen igitur relativum est Pater et similiter Filius . . . Nam si Pater non est, quia per naturam genuit, neque Filium subsistere concedat quisquam. Filius enim est, quoniam genitus est;. et si Filius non est ut genitus, neque Pater erit secundum debitam et consequentem ratiocinationem. Pater quidem, quia genuit. Igitur et simul subsistere et simul perire invicem utrumque verum est, et uno subsistente subsistet utique et illud, propter quod dicitur et est, quod est“ (De ss. Trinit. dial. 4.; cf. thesaur. assert. 11.). — Denique has ipsas relationes paternitatis et filiationis reales esse etiam inde confirmatur, quia tum subiectum tum terminus reales sunt, tum quod nostro modo concipiendi quodammodo fundamentum est relationum paternitatis et filiationis, scilicet generatio activa et passiva, in divinitate realiter invenitur.

2. ***Ex processionibus divinis.*** — Cum ex prae- 17.
cedenti ratione solum paternitatem et filiationem relationes reales esse constet, hoc argumento etiam spiratio activa necnon spiratio passiva relationes reales esse demonstrantur. Nimirum, ut ex praecedenti doctrina de processionibus divinis constat, duplex in divinitate processio realis, altera per intellectionem ex solo Patre, altera per dilectionem ex Patre et Filio exstat. Atqui inter principium et terminum harum processionum, sive inter eum, qui procedit, et eum a quo procedit, necessario realis relatio exstat mutua; i. e. non solum terminus ad principium, sed etiam principium ad terminum realiter refertur. Etenim creaturarum processio ex Deo, quia ex parte Dei prorsus libera est non autem naturaliter necessaria, in creaturis quidem non vero in ipso Deo realem respectum ponit; processio autem divinarum personarum naturalis et necessaria est atque in foecunditate na-

turae divinae fundatur; quare non solum in termino relate ad principium, sed etiam in principio relate ad terminum realem respectum ponit. Hinc igitur non solum relationes Filii ad Patrem et Spiritus Sancti ad Spiratorem, sed etiam relationes Patris ad Filium necnon Spiratoris ad Spiratum vel Spiritum omnino reales sunt.

18. **3. *Ex SS. Patrum doctrina.*** — SS. Patres tum graeci tum latini in praedicandis relationibus divinis realibus penitus consentiunt. *Et Graeci quidem* imprimis contra Eunomianos unitatem essentiae divinae in diversis personis subsistentis defendentes iterum iterumque inculcant nomina ingeniti et geniti non essentiam significare, sed relationes. Sic v. g. *Gregorius Naz.*: „Pater non est nomen essentiae, o viri acutissimi, neque actionis, sed relationem eam indicat, quam habet Pater ad Filium, vel Filius ad Patrem“ (Or. 29. n. 16.). Et alibi idem Eunomianis sciscitantibus, quid Spiritui Sancto desit ad hoc, ut sit Filius, ita respondet: „Deesse nihil dicimus. Non enim Deo quidquam deest. Verum radiationis, ut ita dicam, mutuaeque eorum relationis differentia diversa quoque ipsis nomina procreavit. Neque enim Filio aliquid deest ad hoc ut sit Pater (neque enim defectus est filiatio), nec propterea tamen Pater est. Alioquin eadem ratione Patri aliquid deerit ad hoc ut sit Filius; nec enim Pater Filius est. Sed haec defectum procul dubio undequaque non arguunt, nec essentiae submissionem. Quin potius ex his verbis, *quod genitus non sit, et quod genitus, et quod procedat,* hoc effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus appelletur, atque ita inconfusa trium personarum distinctio in una divinitatis natura conservetur. Neque enim Filius est Pater, sed est id quod Pater; nec Spiritus Sanctus est Filius, sed est id quod Filius; tria haec unum, si divinitatem spectas, et unum tria, si proprietatum (relativarum) rationem habeas, ut nec unum Sabellio faveat nec tria pestiferae divisioni, quae hac tempestate (apud Eunomianos) viget“ (Orat. theol. 5. c. 9.). — Atque *Gregorius Nyssenus*: „Quod si quis nostram doctrinam calumnietur, ac si eo, quod nullum discrimen secundum naturam admittat, permixtionem et con-

fusionem hypostasium introducat: hoc contra criminatores respondebimus, nos sic naturam diversitatis expertem confiteri, ut non negemus differentiam, qua unus principium est, alius a principio, quippe qua solummodo alterum ab altero differre concipimus" (Ad Adlabium: quod non sint tres dii). — Tandem *J. Damascenus* in hoc Nysseni testimonium sic animadvertit: „Haec igitur omnia (absoluta) communiter in tota divinitate accipienda sunt; distinctim autem, quod principio caret, et quod a principio est, ac postremo ingenitum, genitum et procedens; quae quidem non eiusmodi sunt, ut naturam denotent, sed *mutuam inter se personarum relationem* ac existendi modum" (De fide l. 1. c. 10.).

Patres latini eandem doctrinam proponunt et urgent. **19.** Audiatur v. g. *Hilarius*: „Non habet fides apostolica duos deos, quia nec duos Patres habeat nec duos Filios. Confitendo Patrem confessa Filium est; credens in Filium credidit et in Patrem, quia et nomen Patris habet in se Filii nomen . . . Non demutatur autem per nativitatem natura, ne secundum similitudinem generis sui eadem sit . . . Naturam diversam deputet ad utrumque, qui nesciat Patrem et Filium quod sint unum praedicatos . . . Nec duos deos Dei ex Deo veritas perficit, nec singularem Deum Dei patitur nativitas necnon unum sunt, qui invicem sunt. Invicem autem sunt, cum unus ex uno est" (De Trinit. l. 7. n. 31.). — Copiose in hac doctrina exponenda et inculcanda versatur imprimis *Augustinus* in libro 5. de Trinitate, ex quo haec adnotare sufficit: „In Deo autem nihil quidem secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est; nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid sicut Pater ad Filium et Filius ad Patrem, quod non est accidens: quia et ille semper Pater et ille semper Filius; et non ita semper quasi ex quo natus est Filius, aut ex eo quod nunquam desinat esse Filius, Pater non desinat esse Pater; sed ex eo, quod semper natus est Filius, nec coepit unquam esse Filius. Quod si aliquando esse coepisset aut aliquando esse desineret Filius, secundum accidens diceretur. Si vero, quod dicitur Pater, ad seipsum diceretur, non ad

Filium; et quod dicitur Filius, ad seipsum diceretur, non ad Patrem: secundum substantiam diceretur et ille Pater, et ille Filius; sed quia et Pater non dicitur Pater nisi ex eo, quod est ei Filius, et Filius non dicitur nisi ex eo, quod habet Patrem, non secundum substantiam haec dicuntur; quia non quisque eorum ad seipsum, sed ad invicem atque ad alterum ista dicuntur: neque secundum accidens, quia et quod dicitur Pater, et quod dicitur Filius, aeternum atque incommutabile est eis. Quamobrem quamvis diversum sit Patrem esse et Filium esse, non est tamen diversa substantia; quia hoc non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relativum: quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile" (L. c. c. 5.). — Denique *S. Anselmus* haec notat: „Haec sola causa pluralitatis est in Deo, ut Pater et Filius et Spiritus Sanctus dici non possint de invicem, sed alii sint ab invicem, quia duobus modis est Deus de Deo. Quod totum potest dici relatio; nam quoniam Filius existit de Deo nascendo, et Spiritus Sanctus procedendo, ipsa diversitate nativitatis et processionis referuntur ad invicem ut diversi et alii ab invicem" (Liber de processione Spiritus Sancti contra Graecos c. 1.). Et alibi: „Nihil prohibet dicere duas personas, Patrem et Filium, esse duas res, si tamen intelligatur cuiusmodi sint res. Non enim sic sunt Pater et Filius duae res, ut in his duabus rebus intelligatur eorum substantia, sed earum relationes" (De fide Trinit. c. 3.).

Quibus omnibus testimoniis, sicuti aliis multis, sive explicite affirmatur sive implicite includitur vel supponitur, relationes divinas immanentes esse omnino reales.

20. ***4. Ex conciliorum declarationibus.*** — Eandem doctrinam ex conciliorum quoque declarationibus certissimam esse, iam ex iis, quae supra adducta sunt, satis constat. Quare pauca tantum hic expresse adducere satis est. Itaque iam *Concilium Toletanum XI.* (675.) declaravit: „In relativis . . . personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Sanctus Spiritus ad utrosque refertur; quae cum relative tres personae dicantur, una tamen natura vel substantia creditur . . . Quod enim Pater est, non ad se, sed ad

Filium est; et quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est; similiter et Spiritus Sanctus non ad se, sed ad Patrem et Filium relative refertur; in eo, quod Spiritus Patris et Filii praedicatur . . . — In relatione enim personarum numerus cernitur; in divinitatis vero substantia, quid numeratum sit, non comprehenditur. Ergo in hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt, et in hoc numero carent, quod ad se sunt." *Concilium autem Florentinum* expressis verbis celeberrimum principium stabilivit: „Omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio" (Decret. pro Iacobitis). Itaque ex conciliorum doctrina omnis numerus et omnis distinctio in Trinitate ex parte relationum est; cum igitur numerus et distinctio realis sit, profecto etiam relationes reales sint oportet.

5. Ex unanimi theologorum consensu. — Cum 21.
traditionis doctrina hac in re tam manifesta sit, sane mirum non est, quod etiam theologi penitus consentiant. Sic *S. Thomas* declarat: „Sententiam fidei sequentes oportet dicere in divinis relationes reales esse." (De pot. q. 8. a. 1.; cf. S. th. 1. p. 9. 28. a. 1). Et *Toletus:* „In Deo Paternitas et aliae relationes originis sunt reales. Haec conclusio est de fide." (In 1. p. l. c.). Item *Suarez:* „Inter catholicos extra controversiam est, esse inter Personas Trinitatis relationes reales." (L. 5. c. 1. n. 1.), Necnon *Ruiz* declarat, „errorem esse dicere relationes Dei ad intra non esse reales" (Disp. 9. s. 6. n. 14) atque addit, ita sentire omnes theologos scholasticos. Denique Bannez eandem doctrinam dicit esse „certissimam secundum fidem catholicam." (In 1. q. 28. a. 1.).

Scholion.

Obiectiones quaedam solvuntur. — Ad majorem 22.
rei dilucidationem et confirmationem argumenta quaedam solvere iuvat, quae in oppositum fieri possunt:

1) Cum omnia creata ex interna sua ratione relativa sint, Deus essentialiter absolutus est ita, ut praecise in oppositione ad creata ipsum absolutum vocetur; atqui ipsum absolutum omnem relationem excludit; ergo in Deo relationes reales esse nequeunt. — *R.* Deus ipsum absolutum est, qua-

tenus est penitus independens et ab omni ordine ad ens a se diversum solutus; quare naturali ratione relationes reales ad extra quidem, non autem relationes reales ad intra excluduntur. „Id quod necesse est per se esse, non refertur ad aliquid quod sit extraneum ab ipso: nihil tamen prohibet quin referatur ad aliquid intra ipsum.“ (S. Thomas, de Pot. q. 8 a. 1. ad 10.).

23. 2) *Si in Deo relationes reales sunt, aliae non erunt nisi relationes originis. Atqui origo creaturarum ex Deo nullam ponit relationem realem in ipso, utpote qui per creationem non mutatur; non magis autem ac per creationem Deus mutatur per generationem vel spirationem; ergo sicuti creatio non ponit in Deo relationem realem, ita nec generatio nec spiratio.* — *R.* n. paritatem: quae profecto omnino deest. Etenim sicut omnis effectus ad causam suam, ita creaturae maxime ad Deum realiter referuntur, utpote a quo magis quam ullus effectus ab alia causa, scilicet secundum totum suum esse et operari, essentialiter dependent. Deus autem ad creaturas non realiter refertur, quia nullo pacto ad hunc effectum ex natura sua ordinatur neque hunc effectum producendo ullo modo perficitur vel mutatur. Aliter vero prorsus res se habet in operationibus divinis immanentibus; etenim Deus Pater naturali necessitate generat Filium; et Pater cum Filio pariter ex necessitate naturae spirat Spiritum Sanctum; atque ideo quamvis generatio et spiratio in Deo non inferant mutationem, nihilominus Deus, si non generaret vel non spiraret, non esset idem Deus, sed essentialiter alius vel potius nullus. Quare, cum creatio nullam in Deo inferat relationem realem, generatio tamen et spiratio in divinitate reales relationes ponunt. Apposite *S. Thomas:* „Sicut Deus non mutatur in productione suae creaturae, ita non mutatur in productione sui Verbi: sed tamen creatura non attingit ad essentiam et naturam divinam; unde essentia divina non communicatur creaturae. Et propter hoc relatio Dei ad creaturam non fit propter aliquid quod sit in Deo, sed solum secundum id quod fit ex parte creaturae. Sed Verbum producitur ut coessentiale ipsi Deo, et ideo secundum id quod in Deo est, refertur Deus

ad suum Verbum, non solum secundum id, quod ex parte Verbi est. Tunc enim est relatio realis ex parte unius et non ex parte alterius, quando relatio consequitur per id quod est ex uno et non per id quod est ex alio.“ (De pot. q. 8. a. 1. ad 3.).

Articulus secundus.

De relationum divinarum ab essentia divina et ab invicem distinctione

Thesis 14. Relationes divinae ad intra ab essentia quidem non realiter, sed virtualiter tantum distinguuntur; ab invicem vero, quatenus sibi opponuntur, realiter differunt.

Declaratio.

1. De variis circa hanc quaestionem erroribus atque opinionibus. 1. — Demonstrata et vindicata existentia relationum ad intra earum ratio interna vel habitudo imprimis ad essentiam divinam necnon inter se explicanda venit. Circa hanc autem quaestionem decursu temporum varii errores et opinationes diversae propositae sunt.

Et *primo quidem notandus est error eorum, qui contenderunt, relationes divinas ab essentia realiter distingui citra omnem mentis considerationem.* Atque hunc errorem professus esse videtur *Gilbertus Porretanus,* docens personas divinas singulas non deitatem esse, sed deitate Deum esse, qua doctrina personas divinas ab ipsa natura divina realiter distinxisse videtur; ex doctrina enim sic intellecta sane quaternitas in divinitate consequitur, quod Gilberto theologi opponere solebant, maxime *S. Bernardus,* ut v. g. his verbis: „Non est ergo in Deo, nisi Deus. Quid? inquiunt (Porretani) negas Deum habere divinitatem? Non, sed quod habet, hoc est. Negas divinitate Deum ésse? Non, sed non alia quam quae ipse est. Aut si tu aliam invenisti, adiuvet me Trinitas Deus, adversus illam tota me contumacia erigo. Quaternitas orbem disterminat, non signat deitatem. Deus Trinitas est, Deus trium singula personarum. Si quartam

divinitatem adiicere placet, interim ego hanc, quae Deus non est, persuasi, mihi minime adorandam.“ (De considerat. l. 5. c. 7.)

2. Ad hunc errorem *secundo quadantenus accedit opinio Durandi,* qui essentiam divinam et relationem v. g. paternitatis ab invicem realiter distingui contendit tamquam rem et modum eius. Ipse suam sententiam ad haec capita revocat: Primum est, quod „differentia essentiae et relationis in divinis non est pure et praecise secundum rationem. Secundum est, quod non est dicendum simpliciter, quod differant realiter. Tertium est, quod necessarium est dicere, quod differant aliquo modo realiter, saltem secundum quid et cum determinatione.“ Qualis autem sit haec determinatio declarat verbis: „Quod differunt sicut res et modus habendi rem“ (In 1. d. 33. q. 1. n. 23. ss.).

Necnon tertio cognata esse videtur etiam opinio Scoti. Scilicet hic theologus statuit inter essentiam et relationes intercedere distinctionem, quam vocat formalem. Quaenam vero huius distinctionis formalis ratio interna sit, ita declarat: „Ratio, qua formaliter suppositum est incommunicabile et ratio essentiae ut essentia habent aliquam distinctionem praecedentem omnem actum intellectus creati et increati“ (In 1, d. 2. q. 7.). Cum vero nihilominus de mente Scoti circa hanc distinctionem formalem dubitetur, a schola eiusdem ita explicatur, ut virtuali quidem distinctione maior, reali autem minor adeoque media inter utramque inveniatur. Realis enim distinctio exstat, quando distincta extra mentem concipientem reipsa actu distincta sunt; virtualis autem distinctio non est nisi in intellectu concipiente, fundamentum autem habet in re, quia quod reipsa unum idemque est distinctis autem notionibus concipitur, haec diversa virtute continet. Iamvero Scotistae formaliter distincta ea dicunt, quae in ipsa re citra omnem mentis considerationem actu quidem distincta sunt, neque tamen ut res a re, sed ut formalitas a formalitate differunt.

3. *Quarto denique notandus est error Arianorum et Anomaeorum, qui opinationibus modo recensitis e diametro opponitur.* Etenim hi omnia, quae de Deo praedicantur, re et

ratione idem esse asseruerunt atque adeo omnem etiam virtualem distinctionem inter essentiam et relationes v. g. paternitatis negaverunt. Quare realem distinctionem, quae secundum fidem catholicam inter Personas vel relationes divinas viget ad diversitatem essentiae seu naturae transtulerunt atque adeo ipsum mysterium Trinitatis e medio tulerunt. Certissime enim negata omni distinctione etiam virtuali inter essentiam et paternitatem, iam sine aperta contradictione asseri nequit, Filium unum Deum cum Patre atque nihilominus realiter ab eodem distinctum esse. Quod manifeste apparet ex hoc argumento Arianorum, quod *haereticorum arcem ac murum* appellavit Gregorius Naz. (or. 31. n. 23,) et Augustinus *validissimum machinamentum* (De Trinit. l. 5. c. 3.): Ingenitum esse nulla ratione a deitate distinguitur; ergo qui non est ingenitus, Deus non est; atqui Filius non est ingenitus; ergo Filius non est Deus. — Quare SS. Patres ad evertendam hanc haereticorum arcem in suis contra Arianos libris hanc rationis distinctionem copiose exposuerunt atque strenue defenderunt, ut v. g. Gregorius Naz. l. c. et in aliis orationibus; Basilius et Gregorius Nyssenus in libris contra Eunomium; Epiphanius, haer. 76.; Cyrillus A. in Thesauro; Augustinus, de Trinit. l. 5. praesertim; et alii. (cf. Petavius, de Deo l. 1. c. 7—11.; de Trinitate l. 5. c. 1—3.).

2. Doctrina catholica. — Inter has omnes opi- 4.
niones vel errores sibi oppositos atque se invicem destruentes media intercedit doctrina catholica, quae distinctionem realem omnem inter essentiam et relationes removet, virtualem autem ponit necnon relationes sibi oppositas realiter ab invicem distingui asserit. Ad hanc doctrinam declarandam et recte concipiendam conferunt, quae *Petavius* circa eandem contra Arianos et Anomaeos notat: „Tametsi aliter in Deo res habeat, atque eam cogitando concipimus, sitque unum quiddam et simplicissimum quod multiplici notione partimur, non sunt tamen confundendi invicem ac promiscue habendi vel interiores illi conceptus animi, vel eae voces quibus a nobis explicantur. Etenim quamvis una sit ademque res in Deo, non solum divinitas et iustitia, vel

misericordia et iustitia, sed etiam divinitas et paternitas, vel cum deitate Filii proprietas quae filiatio dicitur: nemo tamen cum paternitatem intelligit vel vocabulo exprimit, divinitatem animo concipit ac significat, neque subiectas unicuique vocabulo notiones permiscere catholico licet. Arianorum et Anomaeorum impia scelerataque vox illa est, qui nomina omnia quibus utrumque declaratur, ipsam significare naturam et essentiam volebant, ut, eo concesso, quidquid in personis differentiae est in naturam conferrent. — Contra quos eorumque principem sectae et opinionis Eunomium, par eximium fratrum Basilius et Gregorius Nyssenus luculenta oratione disputant. Quorum ille, quae vis sit intelligentiae ac notionis, qua rem eandem in plura cogitando dividimus, erudite explicat; cum quidem Eunomius ea, quae κατ ἐπίνοιαν, hoc est cognitione et intelligentia, vel reipsa coniuncta secernimus vel divisa copulamus, solo constare verborum sono dixisset, cum eoque dissolvi et evanescere, neque quidquam illis in se ipsa respondere solidum ac verum. Cui Basilius occurrit taleque commentum non ἐπίνοιαν esse dicit, sed παράνοιαν. Neque vero subtilem istam intelligentiae vim qua particulatim veluti conciduntur ea quae videntur uniusmodi, merum figmentum parere, sed rerum ipsarum naturis esse consentaneum" (De Deo, l. 1. c. 7.). Hucusque Petavius.

5. Insuper vero quattuor cum *S. Thoma* (In 1. d. 2. q. 1. a. 3.) notanda sunt ad omnem ambiguitatem ab hac quaestione removendam: *Primo* ratio secundum quam, sicuti alias perfectiones divinas, ita essentiam et relationes distinguimus, nihil aliud est nisi illud ipsum, quod intellectus de Deo concipit vel repraesentat; vel breviter est ipse conceptus obiectivus. *Secundo* haec ratio in ipso Deo est, non acsi ipsa nostra conceptio sit extra animam nostram, sed in quantum extra animam nostram est aliquid in Deo, quod respondet conceptioni animae sicut significatum signo. *Tertio* rationes igitur illae obiective diversae, essentia et relationes, revera sunt in Deo tamquam in obiecto, quod eminenter easdem verificat, vel quatenus iisdem in Deo aliquid respondet ipsis repraesentatum. *Quarto* denique de eadem re et de Deo

maxime plures rationes obiective diversas concipere possumus, quia de re aliqua, licet una solum perfecta, plures tamen possunt esse similitudines vel repraesentationes imperfectae. Quare fundamentum distinctionis rationis simul est ex parte Dei et ex parte intellectus nostri. „Ista pluralitas rationum contingit ex hoc, quod res quae Deus est, superat intellectum nostrum. Intellectus enim noster non potest una conceptione diversos modos perfectionis accipere; tum quia ex creaturis cognitionem accipit, in quibus sunt diversi modi perfectionum secundum diversas formas; tum quia hoc, quod in Deo est unum et simplex plurificatur in intellectu nostro." Et ratio ulterior est, quia „ipse Deus nostrum intellectum excedit. Quod autem Deus excedat intellectum nostrum est ex parte ipsius Dei propter plenitudinem perfectionis eius, et ex parte intellectus nostri, qui deficienter se habet ad eam comprehendendam. Unde patet, quod pluralitas istarum rationum non tantum est ex parte intellectus nostri, sed etiam ex parte ipsius Dei, in quantum sua perfectio superat unamquamque conceptionem nostri intellectus. Et ideo pluralitati istarum rationum respondet aliquid in re, quae Deus est: non quidem pluralitas rei, sed plena perfectio, ex qua contingit, ut omnes istae conceptiones ei aptentur" (*S. Thomas* l. c.). Cf. etiam de Deo uno, th. 12.

Iam haec doctrina integra secundum diversas suas partes in hac thesi probanda et defendenda est; et in 1. quidem thesis parte probatur, nullam quamcunque distinctionem realem intercedere inter essentiam atque relationes ad intra; in 2. parte ostenditur, vigere distinctionem rationis ratiocinatae sive virtualem, atque, cuius indolis sit, magis explicatur; in 3. denique parte demonstrandum est, relationes divinas, quatenus sibi opponuntur, realiter ab invicem differre. 6.

Demonstratio.

1. p. **Nulla est quaecunque realis distinctio inter essentiam divinam et relationes.**

1. Probatur ex Concilio Lateranensi IV. — 7.
In hoc enim concilio contra abbatem Ioachim haec definitio

edita est: „Una quaedam summa res est . . . quae veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctus; tres simul personae ac singulatim quaelibet earundem; et ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas, quia quaelibet trium personarum est illa res videlicet substantia, essentia seu natura divina . . . et illa res non est generans neque genita nec procedens, sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in personis et unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud, sed id quod est Pater, est Filius et Spiritus Sanctus idem omnino, ut secundum orthodoxam et catholicam fidem consubstantiales esse credantur."

8. Nimirum *primo* si relationes divinae ab essentia realiter distinguerentur, in Deo consequeretur quaternitas vel etiam maior pluralitas rerum distinctarum; scilicet realiter distinctae essent ab invicem essentia, paternitas, filiatio, spiratio passiva necnon spiratio activa; atqui in Deo solummodo Trinitas est realiter distinctorum; ergo. — *Praeterea* cum essentia dicatur esse Pater et Filius et Spiritus Sanctus, impossibile est relationes paternitatis, filiationis, spirationis passivae ab essentia divina realiter distinguantur ratione ulla; nam quae ratione quacunque realiter distinguntur sive realiter adaequate identica non sunt, de invicem praedicari non possunt.

9. ***2. Ex principio in hac de Trinitate doctrina celebrato.*** — Est principium Patribus sollemne et a conciliis sancitum: In *Deo omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio;* atqui nulla est oppositio inter essentiam divinam et relationes divinas; ergo essentia divina cum quacunque relatione divina realiter unum est; adeoque relationes divinae ab essentia divina realiter non distinguuntur.

10. ***3. Ex adoratione proprietatum personalium.*** — Est argumentum *S. Thomae:* „Omnis res, quae non est divina essentia, est creatura. Sed relatio realiter competit Deo. Si ergo non est divina essentia, erit creatura; et ita ei non erit adoratio latriae exhibenda, contra quod in praefatione cantatur; ‚Et in personis proprietas, et in essentia

unitas, et in maiestate adoretur aequalitas" (S. th. 1. p. q. 28. a. 2.).

4. *Ex propria relationum ratione.* — Est ite- **11.**
rum argumentum S. Thomae, quo utitur S. Doctor ad refutandam opinationem Gilberti Porretani. Scilicet distincta duplici ratione relationum creatarum: altera secundum quam referunt sive secundum *esse ad*, altera secundum quam insunt subiecto sive secundum *esse in*, *S. Thomas* pergit ita argumentans: „Si igitur consideremus etiam in rebus creatis relationes secundum id quod relationes sunt sic inveniuntur esse assistentes, non intrinsecus affixae, quasi significantes respectum quodammodo contingentem ipsam rem relatam, prout ab ea tendit in alterum. Si vero consideretur relatio secundum quod est accidens, sic est inhaerens subiecto, et habens esse accidentale in ipso. Sed Gilbertus Porretanus consideravit relationem primo modo tantum. Quidquid autem in rebus creatis habet esse accidentale, secundum quod transfertur in Deum, habet esse substantiale; nihil enim est in Deo ut accidens in subiecto; sed quidquid est in Deo, est eius essentia. Sic igitur ex ea parte, qua relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subiecto, relatio realiter existens in Deo habet esse essentiae divinae, idem omnino ei existens. In hoc vero, quod *ad aliquid* dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam, sed magis ad suum oppositum. Et sic manifestum est, quod relatio realiter existens in Deo est idem essentiae secundum rem, et non differt nisi secundum intelligentiae rationem, prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiae. Patet ergo quod in Deo non est aliud esse relationis et essentiae, sed unum et idem" (L. c.).

5. *Ex simplicitate divina.* — De fide est, per- **12.**
sonas divinas, cum unaquaeque vere Deus sit, summe simplices esse; atqui reali distinctione posita inter essentiam divinam et relationes personae divinae summe simplices non essent; ergo. *Minor patet,* quia essentia divina et relatio v. g. paternitatis, si realiter distinguerentur, sane unirentur et se invicem complerent et perficerent ad personam Patris

constituendam; id autem veram infert compositionem. Quare Gilbertus Porretanus, cum poneret, relationes personas constituentes esse tres res inter se et ab essentia realiter distinctas, defendit pariter, Deum, cum deitate et relatione constet, simplicem non esse, sed simplicem tantum Deitatem esse, qua Deus est.

13. *6. Ex SS. Patrum doctrina.* — SS. Patribus firmissime persuasum fuisse de absoluta divinitatis simplicitate non obstante proprietatum relativarum pluralitate, iam demonstratum est in tractatu de Deo uno (thesis 16. n. 15. ss.). Quare satis erit, hoc loco duo testimonia addere rem praesentem propius spectantia. Alterum est *Maximi* et refertur ab *Euthymio in Panoplia:* „Unus Deus, quoniam una divinitas simplex et supersubstantialis, et participationis et divisionis expers. Eadem unitas et trinitas, tota unitas eadem, et tota trinitas eadem; unitas tota secundum essentiam eadem, et trinitas tota secundum personam eadem. Pater et Filius et Spiritus Sanctus ipsa divinitas est. Et in Patre et Filio et Spiritu Sancto est; ipsa divinitas tota in toto Patre ipsa est, et totus in ipsa tota Pater est, et tota in toto Filio est ipsa, et totus in ipsa tota est Spiritus Sanctus. Non enim ex parte divinitas est in Patre, nec Pater ex parte Deus est. Neque ex parte in Filio divinitas est, nec Filius ex parte Deus est. Neque ex parte in Spiritu Sancto divinitas est, nec Spiritus Sanctus ex parte Deus est. Nam neque divinitas secari potest, neque Pater aut Filius aut Spiritus Sanctus Deus est imperfectus“ (Par. 1. tit. 2.). — Alterum est *S. Bernardi:* „Personarum proprietates non aliud quam personas, ipsasque non aliud quam unum Deum, unam divinam substantiam, unam divinam naturam, unam divinam et summam maiestatem fides catholica confitetur. Numera ergo, si potes, aut sine substantia personas, quae ipsa sunt; aut sine personis proprietates, quae ipsae sunt. Aut si dividere quis conetur vel personas a substantia vel proprietates a personis, nescio quomodo Trinitatis se profiteri cultorem possit, qui in tantam rerum numerositatem excesserit“ (Ad Eugen. l. 5. c. 8.).

Notandum autem est, his argumentis non solum Gilberti Porretani, sed etiam Durandi necnon Scoti opinationes esse exclusas; quod facile liquet singulis argumentis ad easdem opinationes applicatis. Iure merito autem applicari non solum ad sententiam Durandi, sed etiam ad eam Scoti refutandam, hac consideratione intelligitur: Ratio formalis sive formalitas, quam Scotus et Scotistae urgent, illud est in re, quod definitioni respondet, quare etiam ab ipso Scoto quidditas appellatur. Itaque si id, quo divina persona est divina sive divinitas, et illud, quo eadem persona est praecise persona seu personalitas, ante quamvis mentis considerationem actu distincta sunt, profecto necessario sequitur, has rationes formales seu quidditates esse realiter plures atque adeo ut rem a re distinctas. Hoc autem posito sane in Deo non trinitas, sed quaternitas esset; praeterea vera resultaret compositio necnon sequerentur cetera incommoda argumentis notata. 14.

2. p. Relationes ab essentia divina virtualiter distinguuntur.

Haec assertio, cum iam in 1. parte thesis praecedentis 15.
contineatur, minus longa demonstratione, quam ulteriore aliqua explicatione indiget. Itaque:

1. Illatione ex praecedentibus probatur. — Substantia vel essentia ad se dicitur, relatio autem ad alterum; atqui ratio formalis eius, quod ad se dicitur, omnino diversa est a ratione formali eius, quod ad alterum dicitur; ergo essentia divina et relationes divinae aliam et aliam rationem dicunt vel menti sistunt ideoque ratione ratiocinata sive virtualiter ab invicem distinguuntur.

2. Distinctio eadem magis explicatur. — Cum 16.
haec inter essentiam et relationes divinas distinctio gravissimum momentum habeat ad mysterium defendendum magisque intelligendum, nonnulla adhuc circa hanc distinctionem notanda et consideranda sunt:

1) Distinctio inter essentiam et relationes aliter et magis ac distinctio inter diversa attributa absoluta in ipso Deo fundamentum habet. — Apposite *Suarez:* „Breviter dicendum est, in hoc mysterio et materia, de qua agimus, intra Deum

ipsum sufficiens fundamentum inveniri, ut nos ratione distinguamus communia a propriis, quia ad hoc sufficit ipsa realis distinctio personarum in suis proprietatibus, cum unitate in natura communi. In quo est aliquod discrimen inter hanc distinctionem relationis et essentiae, et distinctionem plurium attributorum inter se vel ab essentia, conferendo illas distinctiones inter se. Nam licet utraque sit tantum distinctio rationis: tamen in attributis distinctio rationis frequentius sumitur per habitudinem vel proportionem ad effectus, vel proprietates habentes actualem distinctionem in creaturis. Dico autem *frequenter* et non *semper*, quia inter voluntatem et intellectum divinum etiam concipimus distinctionem rationis ex his tantum, quae intra Deum invenimus, scilicet ex reali distinctione personarum per voluntatem et intellectum procedentium" (L. 4. c. 4. n. 16.).

17. 2) *Etiam alia differentia exstat inter distinctionem relationum ab essentia et distinctionem essentiae ab attributis absolutis vel horum attributorum inter se.* — Quam differentiam egregie declarat *S. Thomas:* „Scientia non dividitur contra substantiam nisi ex genere suo, prout est qualitas... Sed, sicut supra dictum est, nulla ratio communis alicuius praedicamenti manet in divinis, nisi relationis. Et ideo id, quod dicitur *ad aliquid* in divinis, habet aliam rationem a ratione substantiae, et alium modum praedicandi condivisum contra substantiam. Sed scientia et bonitas et huiusmodi, quae sunt in aliis generibus et dicuntur de Deo, non habent rationem communis generis per quam dividuntur contra substantiam: imo loco illius rationis communis, qualitatis vel quantitatis, venit ibi ratio substantiae; unde dicitur alia ratio esse scientiae, et alia substantiae in divinis, non quasi condivisa contra rationem substantiae; sed sicut ratio speciei est alia a ratione generis, in quantum addit rationem differentiae supra rationem generis. Unde ita in divinis est alia ratio scientiae et substantiae, sicut in creaturis est alia ratio scientiae et qualitatis, quod non est simpliciter aliud. Et ideo, sicut in creaturis dicitur, quod eodem est qualis et sciens, ita in divinis dicitur quod eodem est substantia et sciens: non tamen quod eodem sit substantia et Pater, cum relatio, quae per se substantiae condividitur, secundum ra-

tionem generis et modum significandi in divinis salvetur" (In 1. d. 33. q. 1. a. 1. ad 5.). Itaque essentia divina de formali sua ratione dicit vel implicite includit quidquid in Deo absolutum est, relationes autem de formali sua ratione non dicit nec implicite includit.

3) Quare distinctio illa proprie neque virtualis maior 18.
sive stricte praecisiva neque virtualis minor sive late praevisive, sed media quodammodo intra utramque est. — Et *primo* quidem distinctio inter essentiam divinam et paternitatem v. g. non est virtualis minor, qualis v. g. invenitur inter ens et bonitatem. Nam quae ita tantum distinguuntur, tam essentialiter connexa sunt, ut se invicem implicite vel indeterminate includant atque nunquam separata inveniantur; atqui essentia divina secundum nostrum modum concipiendi nec implicite nec indeterminate continet v. g. paternitatem, imo vero in Filio et Spiritu Sancto a paternitate separata invenitur; quare neque de essentia divina paternitas praedicari potest; oppositum autem plane obtinet quoad ens et bonitatem, cum scilicet ens vel implicite vel indeterminate bonitatem contineat, ab ea separari nequeat adeoque eam semper sibi tamquam praedicatum vindicet. — Neque tamen *secundo* eadem distinctio inter essentiam et relationes v. g. paternitatis virtualis maior est, qualis v. g. est inter animalitatem et rationalitatem. Etenim, quae ita distinguuntur, eorum utrumque est penitus extra rationem alterius atque spectato utroque termino separata existere necnon omnino non existere possunt; quare, cum existunt et unita vel identica sunt, se invicem tamen perficere concipiuntur; atqui paternitas quidem divina est penitus extra rationem essentiae atque essentia divina in Filio et Spiritu Sancto separata est a paternitate; atvero essentia divina et relationes divinae necessario existunt, necessario etiam essentia divina identica est realiter cum paternitate et filiatione et spiratione passiva; necnon paternitas in sua ratione includit essentiam divinam, atque ab ea separari nequit; quare neque se invicem perficere concipiuntur, praesertim quia paternitas tamquam relatio ut talis perfectionem non ponit.

Quae cum ita sint, distinctio inter essentiam divinam et relationes prorsus sui generis est et media quodammodo invenitur inter distinctionem virtualem minorem atque distinctionem virtualem maiorem.

3. p. **Relationes divinae, quatenus sibi invicem opponuntur, realiter distinguuntur.**

19. ***1. Probatur ex conciliorum decretis.*** — Huc spectant v. g. haec *Concilii Lateranensis IV.*: „Haec sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates discreta, primo per Moysen et sanctos Prophetas aliosque famulos suos iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem“ (cap. Firmiter). Scilicet proprietates personales nihil sunt nisi relationes oppositae, ut inferius luculentius constabit. Item ad rem pertinet celebre adagium a *concilio Florentino* sancitum: „omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio“. Denique ad rem quoque sunt, quae testatus est in eodem concilio *Ioannes Latinorum theologus:* „Est vero secundum Doctores tam Graecos quam Latinos sola relatio, quae multiplicat personas in divinis productionibus; quae vocatur relatio originis, ad quam duo tantum spectant: a quo alius et qui ab alio“ (cf. *Harduin* 9, 203.); cum quibus consonat haec *Bessarionis* Graecorum theologi professio: „Quod personalia nomina Trinitatis relativa sunt, nullus ignorat“ (Ibid. 339.). Iamvero ex his evidens eruitur argumentum: Secundum concilia in divinitate solae relationes faciunt pluralitatem sive trinitatem personarum; atqui quae trinitatem faciunt, realiter ab invicem distinguantur oportet: secus enim Trinitas non realis esset, sed rationis tantum, qui est error Sabellii; ergo relationes divinae realiter distinguuntur; et quidem nonnisi relationes oppositae realiter distinguuntur, quia ut *concilium Florentinum* decrevit: omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.

20. ***2. Ex ratione theologica.*** — Evidens argumentum etiam eruitur ex processionibus sive originibus, quorum veritas iam probata est. Scilicet origines vel processiones in-

volvunt sane relationes oppositas principii et principiati; atqui eiusmodi relationes oppositae non possunt esse sibi realiter identicae: neque enim idem potest esse sub eodem respectu principium et principiatum. Ergo relationes divinae, quatenus sibimet oppositae sunt, realiter distinguuntur. Quod etiam magis valet, quia relationes divinae sunt relationes subsistentes; etenim relationes subsistentes non sunt solum id, quo aliquid refertur; sed ipsum illud quoque sunt, quod refertur; quare non tantum relata distincta supponunt, verum ipsam distinctionem etiam formaliter ponunt. — Ad hanc rationem redit argumentum, quod facit *S. Thomas:* „De ratione relationis est respectus unius ad alterum, secundum quem aliquid alteri opponitur relative. Cum igitur in Deo realiter sit relatio . . ., oportet quod realiter sit ibi oppositio. Relativa autem oppositio in sui ratione includit distinctionem. Unde oportet, quod in Deo sit realis distinctio, non quidem secundum rem absolutam, quae est essentia, in qua est summa unitas et simplicitas, sed secundum rem relativam" (S. th. 1. p. q. 28. a. 3.).

Confirmatur, quia, ut supra ostensum est, nulla distinctio in Deo esse potest praeter eam, quae per oppositos respectus habetur, cum omnis alia imperfectionem involvat.

Corollaria.

In praecedentibus veritates quaedam transeunter propo- **21.**
sitae vel indigitatae sunt, quas paulo accuratius evolvere ad maiorem rei intelligentiam acquirendam iuvat:

1. Relationes divinae non sunt de ratione essentiae, essentia vero est de ratione relationum divinarum. — Ex iis, quae exposita sunt in secunda parte manifestum est, quid iudicandum sit circa quaestionem, de qua theologi plures longas disputationes instituerunt, scilicet num relationes divinae sint de essentia divinitatis sive naturae divinae, vel ut alii loquuntur de conceptu vel ratione essentiae, et vicissim num essentia sit de ratione relationum vel proprietatum personalium. Nimirum haec quaestio magis de nomine vel modo loquendi, quam de re esse videtur, cum

de re dissensio vix esse queat. — Etenim *primo* ex ipsa revelatione certum est, ex interna foecunditate naturae divinae per intellectionem divinam necessario prorsus produci verbum substantiale, et per amorem divinum pariter produci amorem subsistentem; in his autem iam continentur vel implicantur relationes divinae. Iam ad hanc necessariam relationum cum essentia connexionem exprimendam sane dici potest, relationes esse de essentia divinitatis. — *Secundo* certum est item ex naturali ratione naturam divinam personaliter subsistere; ex revelatione autem, non ex ratione novimus, naturam divinam ex interna sua perfectione subsistere non per subsistentiam absolutam, sed per tres subsistentias relativas sive per relationes subsistentes. Iam ad hanc habitudinem exprimendam, iterum dici potest subsistentiam et consequenter relationes divinas esse de essentia divinitatis. — *Tertio* pariter certum est, conceptum essentiae divinae, prout haec a nobis contradistinguitur a relationibus, neque explicite neque implicite continere relationes; atque hoc valet tum revelatione mysterii supposita tum praesertim non supposita: secus enim ex conceptu essentiae relationes inferre possemus, quod profecto falsum est. *Praeterea* propria in Divinitate de conceptu vel de ratione communium non sunt; profecto enim singulae personae sunt verus Deus ideoque singulis competit quod de ratione essentiae divinae est: atqui singulari personae non competit habere relationem tum Paternitatis, tum Filiationis, tum Spirationis passivae: ergo relationes divinae non sunt de conceptu essentiae divinae. Apposite *S. Thomas*: „Communia absolute dicta secundum ordinem intellectus nostri sunt priora, quam propria, quia includuntur in intellectu propriorum, sed non e converso. In intellectu enim personae Patris includitur Deus, sed non convertitur" (S. th. 1. p. q. 33. a. 3. ad 2.). *Denique* essentia divina habet summam simplicitatem et unitatem adeoque omnem distinctionem prorsus excludit. Ergo de conceptu essentiae ea esse nequeunt, quae necessario distinctionem involvunt: atqui relationes ex interna sua ratione postulant distinctionem; ergo relationes de conceptu vel de ratione essentiae non sunt.

Apposite iterum *S. Thomas:* „De ratione relationis est respectus unius ad alterum, secundum quem aliquid alteri opponitur relative. Cum igitur in Deo realiter sit relatio, oportet quod realiter ibi sit oppositio. Relativa autem oppositio in sui ratione includit distinctionem. Unde oportet, quod in Deo sit realis distinctio, non quidem secundum rem absolutam, quae est essentia, in qua est summa unitas et simplicitas, sed secundum rem relativam" (S. th. 1. p. q. 28. a. 3.). — *Quarto* denique relationes divinas in conceptu suo includere implicite saltem essentiam divinam, si quidem ut relationes subsistentes concipiantur, iterum manifestum est; quare hoc sensu essentia dicenda est esse de ratione relationum; si vero merum *esse ad* consideretur, in hoc conceptu essentia contineri non videtur; sed merum *esse ad* vix concipi potest, vel saltem eiusmodi conceptu non concipitur relatio divina. Opponi contra hoc ultimum posset, essentiae divinae convenire esse in tribus, id autem relationi nulli convenire; atvero esse *in tribus* est praedicatum non essentiale, sed notionale.

2. In Deo praeter relationes originis aliae relationes reales esse nequeunt; quare quatuor solum relationes divinae reales numerantur. — 22.
Duo asseruntur, quorum alterum ex primo consequitur:

1) In Deo praeter relationes originis aliae reales esse nequeunt. — In Deo esse relationes reales originis ex ipsis nominibus personarum divinarum manifestum est, atque ex praecedente tractatione constat. Sed nec aliae esse possunt; quod duplici ratione constat.

Et *primo* quidem hoc ex eo sequitur, quod relatio quaevis realis in Deo subsistens est sive realiter identica cum substantia divina. Relatio accidentalis, ut ipsum nomen dicit, ad subiectum et terminum iam in se constitutos et ab invicem distinctos accedit ideoque illud est, quo subiectum et terminus ad invicem referuntur, non autem ipsum, quod refertur. Longe alia autem est ratio relationis subsistentis. Haec enim non accedit ad subiectum iam constitutum, sed ipsum potius constituit; quare etiam non aliud refert ad terminum praeter se ipsam. Sicut autem ex ipsa sua ratione non praesupponit nec refert aliud

tamquam subiectum, sed semetipsam refert; ita nec terminum relationis praesupponit, sed eundem primo importat ac quodammodo contraponit; relativa enim simul sunt ac se invicem postulant. Iamvero relatio, quae subiectum constituit ac semetipsam refert necnon terminum secum affert, quae est relatio subsistens reciproca, ordinem originis contineat necesse est; nam in eiusmodi relatione subiectum tamquam principium, terminus vero tamquam principiatum se habere conspiciuntur. Unde quaevis relatio subsistens non solum est relatio originis sive in origine fundata; verum etiam nihil nisi ipsa origo est sive active sive passive significata, atque respicit terminum *qui ab ipsa* vel *a quo ipsa*. Quare in Deo nequeunt esse aliae relationes reales praeter eas, quae ad origenes sive processiones spectant.

23. *Secundo* probatur argumento, quod adhibet *S. Thomas*: „Relatio omnis fundatur vel supra quantitatem, ut duplum et dimidium, vel supra actionem et passionem, ut faciens et factum, pater et filius, dominus et servus, et huiusmodi. Cum autem quantitas non sit in Deo, est enim sine quantitate magnus, ut dicit Augustinus . . ., relinquitur, quod realis relatio in Deo esse non possit, nisi super actionem fundata. Non autem super actiones secundum quas procedit aliquid extrinsecum a Deo, quia relationes Dei ad creaturas non sunt realiter in ipso . . . Unde relinquitur, quod relationes reales in Deo non possunt accipi nisi secundum actiones, secundum quas est processio in Deo non extra, sed intra" (l. c. a. 4.). — Neque contra hoc argumentum excipi potest, relationes reales fundari non tantum super quantitatem molis, sed etiam super quantitatem virtutis et perfectionis, ut v. g. relationes similitudinis et aequalitatis, ideoque eiusmodi relationes a Deo non excludi; nam aequalitatem et similitudinem inter divinas personas non esse relationes reales, sed rationis tantum merito hoc loco notat *S. Thomas* et alibi ostendit hac ratione: „In divinis personis nihil est considerare nisi essentiam, in qua communicant, et relationes, quibus distinguuntur. Aequalitas autem utrumque importat, scilicet distinctionem personarum (quia nihil sibi ipsi dicitur aequale).

et unitatem essentiae, quia ex hoc personae sunt sibi invicem aequales, quod sunt unius magnitudinis et essentiae. Manifestum est autem, quod idem ad se ipsum non refertur aliqua relatione reali; nec iterum una relatio refertur ad alteram per aliquam aliam relationem. Cum enim dicimus quod paternitas opponitur Filiationi oppositio non est relatio media inter paternitatem et filiationem, quia utroque modo relatio multiplicaretur in infinitum. Et ideo aequalitas et similitudo in divinis personis non est aliqua realis relatio distincta a relationibus personalibus; sed in suo intellectu includit et relationes distinguentes personas et essentiae unitatem. Et propterea Magister dicit . . ., quod in his appellatio tantum est relativa" (S. th. 1. p. q. 42. a. 1. ad 4.). Itaque quamvis similitudo et aequalitas realiter vigeant inter divinas personas, neque tamen sunt relationes reales. Quae cum ita sint, relinquitur, in Deo non esse relationes reales, nisi relationes originis.

2) *Quare in Deo quattuor solum relationes reales inveniuntur.* — Haec assertio ex praecedenti infertur hoc argumento *S. Thomae:* „Relationes reales in Deo non possunt accipi nisi secundum actiones, secundum quas est processio in Deo non extra, sed intra. Huiusmodi autem processiones sunt duae tantum . . .; quarum una accipitur secundum actionem intellectus, quae est processio Verbi; alia secundum actionem voluntatis, quae est processio amoris. Secundum quamlibet autem processionem oportet duas accipere relationes oppositas, quarum una sit procedentis a principio et alia ipsius principii. Processio autem Verbi dicitur generatio secundum propriam rationem, qua competit rebus viventibus. Relatio autem principii generationis in viventibus perfectis dicitur paternitas, relatio vero procedentis a principio dicitur filiatio. Processio vero amoris non habet nomen proprium . . .; unde neque relationes, quae secundum ipsam accipiuntur. Sed vocatur relatio principii huius processionis spiratio; relatio autem procedentis processio, quamvis haec duo nomina ad ipsas processiones vel origines pertineant et non ad relationes" (L. c.). **24.**

25. *Exceptio tamen aliqua* contra alteram assertionem fieri potest: videlicet: Cum spiratio activa a paternitate et filiatione realiter non distinguatur ideoque cum ipsis una sit res relativa, necessario consequi videtur, eandem spirationem esse etiam unam cum paternitate et filiatione relationem; quare tres tantum, non vero quatuor in Deo videntur esse relationes reales. — *R.* Etsi non realiter, formaliter saltem aliud est res respectiva et aliud relatio, cum illa subiectum habens respectum, haec autem ipsum respectum ad terminum dicat. Hinc nihil repugnat, quominus una eademque res respectiva vel idem subiectum plures possit habere respectus reales, praesertim quando plures termini reales respiciuntur. Iamvero ita est in praesenti. Etenim quamvis paternitas et filiatio et spiratio activa a parte rei non distinguantur ideoque una sint res non solum absoluta, sed etiam respectiva, attamen formaliter distinguuntur et terminos realiter distinctos respiciunt ideoque quamvis res respectiva una sit, plures tamen sunt relationes. — Ad idem fere redit haec declaratio, quam exhibet *Suarez:* „Responderi potest primo, (paternitatem et spirationem activam) esse unam (rem) respectivam, quae licet in se una sit, ex parte terminorum est duplex relatio, quia formaliter ac propriissime respicit plures terminos formaliter ac realiter distinctos et ad hoc significandum vocantur duae relationes. Vel certe dici aliter potest, quod sicut essentia et Paternitas sunt una res, non absoluta tantum, nec tantum respectiva, sed utramque rationem unite et simplicissime complectens: ita paternitas et spiratio sunt una res respectiva, duplicem tamen respectum ad terminos realiter distinctos simplicissime complectens, ratione quorum duplex relatio dicitur, tametsi una res sit" (L. 5. c. 7. n. 4.).

26. ***3. Origo sive processio atque relatio in divinis non solum realiter, sed etiam formaliter sunt simpliciter idem adeo, ut non differant nisi secundum modum significandi.*** — Etiam haec assertio in praecedenti doctrina iam continetur atque inde facile infertur. Itaque probatur:

1) *Ex differentia essentiali inter origines creatas et origines divinas.* — Etenim omnis origo creata sive substantialis sive accidentalis formaliter dicit operationem quandam sive transeuntem sive immanentem, prout terminus vel extra operantem progreditur vel intra ipsum manet; relatio vero ad ipsam originem consequitur atque in ea innititur; qua ratione v. g. paternitas se habet ad actum generationis. Nullo autem pacto origo creata potest esse relatio; nam relatio creata, utpote quae accidens est atque solum refert, terminum atque subiectum relationis praesupponit: origo autem increata terminum suum non praesupponit, sed potius ponit vel infert. — *Praeterea* omnis origo creata rationem habet effectionis atque transitum a non-esse ad esse vel ex potentia in actum infert: atqui illud, quo aliquid efficitur sive ex potentia in actum traducitur sive esse influitur, nequaquam relatio est, sed actio vel motio: ergo iterum origo creata nequit esse relatio.

Ex opposito autem res omnino aliter se habet in divinis originibus sive processionibus. Etenim *primo* divinae origines nequaquam habent rationem effectionis sive transitus ex potentia in actum, ut iam supra explicatum est (thes. 5. n. 48. ss.); et *praeterea* relationes divinae non sunt accidentales, sed substantiales sive subsistentes atque ideo in sua ratione ordinem originis formaliter includunt, ut in praecedenti assertione explicatum est. Apposite *S. Thomas:* „Oportet cognoscere originem alicuius ab alio ex motu. Quia enim aliqua res a sua dispositione removeatur per motum, manifestum fit hoc ab aliqua causa accidere. Et ideo actio secundum primam nominis impositionem importat originem motus. Sicut enim motus, prout est in mobili ab aliquo, dicitur passio; ita origo ipsius motus, secundum quod incipit ab alio et terminatur in id quod movetur, vocatur actio. Remoto igitur motu, actio nihil aliud importat quam ordinem originis, secundum quod a causa aliqua vel principio procedit in id quod est a principio. Unde cum in divinis non sit motus, actio personalis producentis personam nihil aliud est, quam habitudo principii ad personam, quae est a principio: quae quidem habi- 27.

tudines sunt ipsae relationes vel notiones. Quia tamen de divinis et intelligibilibus rebus loqui non possumus nisi secundum modum rerum sensibilium, a quibus cognitionem accipimus, et in quibus actiones et passiones, in quantum motum implicant, aliud sunt a relationibus, quae ex actionibus et passionibus consequuntur; oportuit seorsum significari habitudines personarum per modum actus et seorsum per modum relationum. Et sic patet, quod sunt idem secundum rem, sed differunt solum secundum modum significandi" (S. th. 1. p. q. 41. a. 1. ad 2.). Quae breviter comprehendi possunt hac ratione: Actio in creaturis dicit mutationem simul cum relatione; sed omnis mutatio exclusa est a divinis originibus; ergo ipsae solam relationem dicunt.

28. Quae cum ita sint, *origines divinae et relationes differunt solum,* ut *S. Thomas* dicit, *secundum modum significandi,* quia „origo significatur per modum actus, ut generatio; relatio vero per modum formae, ut paternitas" (ib. q. 40. a. 2.); vel iterum „origo active significata significatur ut progrediens a persona subsistente; . . . origo autem passive significata, ut nativitas, significatur ut via ad personam subsistentem, et nondum ut eam constituens" (ibid.) vel denique: „Origo alicuius rei non significatur ut aliquid intrinsecum, sed ut via quaedam a se vel ad rem; sicut generatio significatur quaedam ad rem genitam et ut progrediens a generante" (ibid.). Verum origo et relatio in divinis non tantum realiter, sed formaliter idem dicunt, quia ratio formalis relationis subsistentis includit, ut ostensum est, rationem formalem originis, sicut ratio formalis sapientiae divinae continet rationem substantiae; cum vero haec continentia sit implicita non explicita, origo et relatio ab invicem differunt sicut explicitum et implicitum, vel differunt secundum quid, non simpliciter

29. *2) Ex communi theologorum consensu.* — Doctrinam hac assertione statutam saltem quoad substantiam theologi communiter tradunt. Thomistae S. Thomam sequuntur; sed etiam aliarum scholarum theologi idem docent. Iam *Magister sententiarum* notat: „Generatio et nativitas aliis nominibus

sunt paternitas et filiatio" (1. d. 26.). Et *S. Bonaventura* dicit: „Gignere et gigni (in divinis) dicunt tantum relationes" (In 1. d. 27. in explicatione textus). Et *Suarez* refert, theologos communiter docere, origines „in se idem adaequate esse cum relationibus, licet ratione distinguantur, quia relationes ut formae permanentes vel assistentes, origines ut viae et quasi in fieri significantur" (L. 6. c. 1. n. 2.); atque nominatim adducit Durandum, Aegidium, Gabrielem (Biel) Capreolum, Scotum, Argentinam, Ferrariensem, Caietanum, Torrem. Ex recentioribus adducere satis est Cardinalem *Franzelin* th. 23. n. IV.; Cardinalem *Billot*, th. 9. coroll. *Kleutgen*, n. 1058.; *Stentrup*, th. 25.

Atque hic theologus quidem Suarii expositionem breviter **30.** resumens rem ita declarat ac demonstrat: „Itaque omnes theologi primo docent, originem passivam, quae est velut proprius actus passivus personae productae, esse in se adaequate idem cum relatione eiusdem personae productae. Et merito quidem. Nam origo passiva est ipse terminus productus, prout est in fieri. Atqui in divinis nulla dari potest distinctio inter terminum, prout est in fieri, et terminum, prout est in facto esse, tum quia Deus absolute simplex est, tum quia in Deo repugnat fieri, quod ullam imperfectionem dicit. Terminus autem prout in facto esse ipsa est relatio. Deinde, ut aliis idem explicemus verbis, origo passiva, quia via est ad terminum productum, huic proportionata est. Cum igitur terminus productus sit relatio, ipsi (i. e. origini passivae) quoque relativae ratio convenit seu satius est ipsamet relatio, prout in fieri. Iamvero nulla plane in divinis dari potest in re distinctio inter relationem prout in fieri et eandem prout in facto esse. — Praeterea unanimi consensione theologi statuunt, originem activam esse idem adaequate cum relatione personae producentis. Omnes nimirum tenent quod Magister sent. scribit 1. d. 26.: „Generatio et nativitas aliis nominibus sunt paternitas et filiatio." Hinc omnes docent generationem activam et passivam inter se realiter distingui. Imo hinc confirmant suam sententiam; quia nempe ex Patrum sententia personae non solum relationibus, sed etiam

originibus distinguuntur, necesse est, oppositas origines aeque inter se distingui, quam respondentes relationes, ideoque unamquamque originem idem cum respondente ipsi relatione esse. — Inferunt praeterea origines activas in re non distingui, cum adaequate idem sint cum relationibus personarum producentium. Constat vero has inter se realiter non distingui. Generatio nempe et spiratio non magis inter se opponuntur, quam paternitas et relatio spiratoris. Ergo non magis inter se distinguuntur, ideoque nec ab ipsis relationibus distinguuntur" (L. c.). — Atque haec quidem omnia vere dicuntur necnon ad rem explicandam conferunt; verum adaequatam rei explicationem non praebent. Etenim realem tantum inter origines et relationes respondentes identitatem evincunt, quae iam evidens est ex solo principio: „In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio." Atvero non tantum realiter, sed etiam formaliter identicae sunt relationes et origines; quare consideratio supra in primo argumento instituta demum perfectam rei declarationem exhibet.

Scholion.

31. ***Praecipua Rationalistarum sophismata examinantur et expediuntur.*** — Cum in praecedenti de relationibus divinis tractatione ipsum quasi centrum vel ipse cardo mysterii, quantum fieri potuit, maximam partem explicatus sit, opportunius iam atque securius et commodius examinantur et expediuntur praecipua Rationalistarum argumenta, quibus hoc mysterium expugnari vane contenderunt; etenim argumentis illis maxime realem relationum vel personarum divinarum distinctarum cum essentia identitatem impetiverunt. Ut autem haec sophismatum illorum solutio et refutatio rite ac solide instituatur, plura secundum ordinem exsequi iuvat:

1) Generalis quaedam de impugnatione mysteriorum consideratio. — Dogma SS. Trinitatis est mysterium stricte dictum sive veritas revelata superrationalis, cuius neque existentia naturali ratione demonstrari neque possibilitas eadem ratione naturali positive intelligi potest. Nihilominus non plane coeca

est humana ratio naturalis circa eiusmodi mysterium; verum ostendere valet, argumenta, quae opponuntur et repugnantiam evincere contenduntur, nequaquam scopum suum attingere, vel quia nituntur in principiis falsis aut non certis, vel quia principia certa, quibus innituntur, mysterio recte intellecto non repugnant. Atque haec est negativa intellectio vel probatio mysterii.

Talis autem mysterii defensio adversus omnem, quae fit **32.**
vel fieri queat, obiectionem et impugnationem institui potest. Veritas enim rationalis revelatae veritati nequaquam opposita esse potest, quia ex eodem fonte, scilicet prima veritate, utraque procedit atque idem verum simul et falsum esse non potest. Quare evidenter fieri nequit, ut ratio quidquam intelligat tamquam veritatem evidentem et evidenter simul oppositam mysterio cuipiam revelato; secus enim ratio nostra ipsa evidentia decepta falsum intelligeret ut verum et verum ut falsum; quod absurdum est. Apposite *S. Thomas:* „Cum enim fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, manifestum est, probationes, quae contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta.“ (S. th. 1. p. q. 1. a. 8.) Et alibi enucleatius: „Impossibile est, quod ea, quae per fidem nobis traduntur divinitus, sint contraria his, quae per naturam nobis sunt indita; oporteret enim alterum esse falsum; et cum utrumque sit nobis a Deo, Deus nobis esset auctor falsitatis, quod est impossibile . . . Sicut autem sacra doctrina fundatur super lumen fidei, ita philosophia super lumen naturale rationis. Unde impossibile est, quod ea quae sunt philosophiae, sint contraria iis, quae sunt fidei; sed deficiunt ab eis. Continent tamen quasdam similitudines eorum et quaedam ad ea praeambula, sicut natura praeambula est ad gratiam. Si quid autem in dictis philosophorum inveniatur contrarium fidei, hoc non est philosophiae, sed magis philosophiae abusus ex defectu rationis. Et ideo possibile est ex principiis philosophiae huiusmodi errorem refellere, vel ostendendo omnino esse impossibile, vel non esse necessarium. Sicut enim ea, quae fidei sunt, non possunt demonstrative probari, ita quae-

dam contraria his non possunt demonstrative ostendi esse falsa, sed potest ostendi non esse ea necessaria. Sic igitur in sacra doctrina philosophia possumus . . . uti . . . ad resistendum his, quae contra fidem dicuntur, sive ostendendo esse falsa sive ostendendo non esse necessaria" (In Boëth. de Trinit. provem. q. 2. a. 3.).

33. Quae cum ita sint, imprimis quidem omnibus obiectionibus vel difficultatibus generalis quaedam et indirecta solutio adhiberi potest, quae consistit in consideratione divinae eminentiae et perfectionis infinitae, quae infinite superat intellectum nostrum limitatum et imperfectum. Per talem enim considerationem evidenter perspicitur, in Deo ente infinito multa esse posse imo necessario esse, quae mentis nostrae finitae, a sensibus dependentis, analogice cognoscentis vires prorsus excedant ita, ut ab ea inveniri vel penitus intelligi non possint. Qua ratione in Deo plura esse etiam lumine naturali mentis nostrae cognoscimus et demonstramus, quae tamen, quomodo sint, penitus perspicere non valemus; v. g. quomodo scientia et amor divinus, quamvis absolute contingenter se habeant versus res a Deo distinctas existentes, neque tamen realiter differant ab essentia divina; necnon quomodo Deus cognoscat actus liberos creaturarum sive absolute existentes sive sub conditione exstituros. Iamvero si eiusmodi mysteria naturalia in Deo infinito necessario admittimus, profecto perabsurdum est negare, alia insuper mysteria divina nobis a revelatione divina proponi posse; necnon arrogantis stultitiae est asserere, per mentem humanam clare perspici repugnantiam sacrosanctae Trinitatis mysterii. Quaecum ita sint, facile intelligitur, quam aptissime in missa de SS. Trinitate haec referantur ex epistola ad Romanos: „*O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et quam investigabiles viae eius. Quis enim cognovit sensum Domini aut quis consiliarius eius fuit. Aut quis prior dedit illi et retribuetur ei? Quoniam in ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in saecula. Amen*" (c. 11.).

34. Neque haec generalis consideratio atque indirecta difficultatum solutio ullo modo tantum est appellatio ad super-

rationalitatem mysterii neque est declinatio vana evidentium argumentorum, quemadmodum Rationalistae vane calumniant; verum certa demonstratio est ex ipsa rei natura derivata, quam rationabile sit obsequium fidei nostrae in mysteria generatim atque in specie in mysterium SS. Trinitatis. *Etenim ex una parte* plane certa est existentia Dei necnon argumentis veris et peremptoriis demonstratur, ut constat ex tractatu de Deo uno; praeterea religio christiano-catholica pariter certis omnino atque splendidis argumentis demonstratur divinitus fundata et infallibilis veritatis magistra, ut certo constat ex theologia fundamentali; ulterius autem haec infallibilis magistra revelatae veritatis mysterium SS. Trinitatis proponit tamquam divinitus revelatum, ut patet ex hoc tractatu. *Ex altera vero parte* opponuntur quidem speciosa quaedam argumenta ex humana philosophia deprompta; verumtamen haec argumenta, cum certis veritatibus supernaturalibus opponantur, certo inefficacia sunt atque talia esse et defectu aliquo laborare etiam vere ostendi possunt, quamvis efficiant vel relinquant obscuritatem aliquam eiusmodi, ut mysterium clare perspici atque intelligi nequeat. Quae cum ita sint, rationabilis profecto apparet et est fides humilis et firma in SS. Trinitatem, atque deliberata eiusdem mysterii negatio non potest procedere nisi a mente, quae vane superbiat, sibi stulte fidat, atque semetipsam ponat centrum atque fontem omnis veritatis; quae omnia penitus absurda sunt. Quare etiam sophismata ratinalistica inde a saeculo 3. proposita atque saepe iisdem fere verbis repetita miseram haeresum ruinam non impediverunt neque firmam universalis ecclesiae in hoc sacrosanctum mysterium fidem ullatenus labefactarunt; verum potius subtilioris inquisitionis atque amplioris et profundioris intelligentiae exstabant occasio. — Iamvero haec omnia indirectam quidem, sed non ideo minus solidam vel minus veram constituunt refutationem obiectionum omnium, quae fieri possunt. Attamen hic sistendum non est theologiae imprimis scholasticae, utpote quae maxime fidei intellectum quaerit; sed ex ipsa intestina ratione mysterii eo, quo fieri potest, modo ostendendum est, qua

ratione cum principiis philosophicis non pugnet neque eadem ullo modo offendat.

35. 2) *Specialis quaedam consideratio circa internam rationem ipsius dogmatis SS. Trinitatis.* — Ad generales considerationes modo institutas specialem quandam circa internam SS. Trinitatis rationem addere iuvat, quo solutiones singulis obiectionibus mox adhibendae melius perspiciantur. Nimirum dummodo unum, quod rationi naturali quidem impervium est, constet ex revelatione, scilicet quemadmodum in nobis ita etiam in Deo esse immanentem productionem vel processionem per intellectionem et amorem, iam cetera omnia, quae dogma continet, non tantum probabiliter, sed necessario et certo logice consequuntur, ut facile elucet ex hoc ratiocinio: In Deo per intellectionem producitur verbum realiter distinctum, sicut in nobis: iamvero: *Primo* hoc verbum divinum nequit esse accidentale, tum quia quodvis accidens in Deo receptum repugnat tum quia intellectio divina est substantialis. — *Secundo* hoc verbum necessario infinitum est: etenim qualis intellectio est, tale verbum sit oportet: et praeterea si esset finitum, creatura esset et procederet per operationem non immanentem, sed transeuntem: ergo verbum divinum infinitum est et Deus atque eandem habet necessario substantiam et naturam, quam habet intelligens, qui intelligendo verbum exprimit. — *Tertio* idem verbum necessario aeternum quoque est, sicuti ipsa intellectio, per quam exprimitur. — *Quarto* processio huius Verbi rationem generationis habet, quia tamquam vivens a vivente coniuncto procedit in similitudinem naturae, quia scilicet est perfectissima expressio obiecti principalis divinae cognitionis i. e. essentiae divinae. — *Quinto* denique hoc Verbum realiter distinguitur a dicente non quidem per essentiam sed ut principiatum a principio. Qui autem ita distinguuntur per solam oppositionem relativam, cum eandem habeant naturam divinam, distinctae personae sunt. — Eadem autem ratione de Spiritu Sancto tamquam termino immanente amoris disserendum est. Itaque statuta semel in divinitate processione immanente, cetera omnia, quae doctrina catholica continet, logice consequuntur atque harmonice conspirant

Insignem autem harmoniam vigere etiam inter hoc principale et cetera religionis christianae mysteria, iam explicatum est in tractatu de vera religione. (Thes. 38. n. 5. ss.)

Cum haec sit indoles et ratio interna mysterii SS. Trinitatis, unum Rationalistis praestandum esset, ut scopum suum attingerent: scilicet demonstrare debent, intrinsecus repugnare, quominus in Deo processiones immanentes sint; atqui eiusmodi repugnantia non demonstratur, ut patet sola processione intellectuali considerata, cum de processione per amorem par sit ratio. Et *primo* quidem repugnantia non demonstratur ex ipsa natura intellectionis universim spectata; etenim in nostro intellectu verbum procedit et generatim fere facilius concipitur intellectio cum verbo, quam intellectio sine verbo. — Neque *secundo* demonstratur repugnantia eiusdem processionis ex intellectione, ut est divina et infinita; hinc enim consequitur quidem, verbum si quod procedit, nec esse finitum nec accidentale; consequitur etiam Deum Patrem non intelligere formaliter per verbum, cum esse et intelligere in Deo sint idem, atque adeo consequitur verbum in divinitate non procedere ex indigentia; nullo autem pacto consequitur verbum procedere non posse ex alia ratione i. e. ex interna faecunditate naturae divinae. — *Denique* non demonstratur illa eadem repugnantia ex unitate naturae divinae, quia inde solum constat principium Verbi et ipsum Verbum necessario habere eandem naturam et essentiam, non autem identitas personarum consequitur; consequitur etiam vel patet repugnantia productionis Verbi secundum naturam, nequaquam autem consequitur repugnantia productionis Verbi, quae dicit communicationem eiusdem naturae divinae per intellectionem sive processionem Verbi immanentis, substantialis, infiniti, quod quidem sub ratione verbi vel relativi distinguatur per oppositionem relativam a principio producente spectato sub formali ratione producentis et relativi manente identitate reali eiusdem naturae absolutae. — Itaque superrationalitas mysterii in eo potissimum invenitur, quod ratione naturali non valemus intelligere necessitatem Verbi et Amoris procedentis; sed posita ea processione omnia alia logice consequuntur. 36.

37. 3) *Ipsa argumenta rationalistica in forma proponuntur et solvuntur.* — Postquam praemissae considerationes institutae sunt, praecipuae obiectiones in forma solvendae sunt atque commodius et securius iam solventur. Itaque:

Argumentum primum: Distinctio personarum divinarum etiam ea, quae per oppositionem relativam habetur, divinae perfectioni repugnat; ergo a Deo excluditur. Probatur antecedens: Per oppositionem relativam unum relativum opponitur suo correlativo adeoque v. g. paternitas non est in Filio; atqui paternitas perfectio est; ergo Filio deest aliqua perfectio ideoque etiam per distinctionem in oppositione relativa fundatam imperfectio in divinitatem infertur. — *R. n.* anteced. Ad prob. *d.* mai. 1. p. Relativum opponitur suo correlativo secundum *esse ad* relationis *c.*: secundum *esse in sbd.* si relatio sit accidens et tantum illud, quo unum refertur ad aliud *c.*; si relatio est subsistens et illud ipsum quod refertur *n.* — *D.* etiam alteram partem mai.: Paternitas in Filio non est, quatenus non est in ipso *esse ad*, quo Pater Filio opponitur *c.*; quatenus desit Filio illud, per quod paternitas est perfectio *n.* — *D.* min.: Paternitas est perfectio ratione τοῦ *esse ad* Filium praecisive *n.* ratione identitatis cum divina essentia *c.* Et *n.* consequens et consequentiam. — Nimirum personae divinae non distinguuntur nisi secundum relationes ut tales; ergo tantum secundum *ad aliquid;* atqui *ad aliquid* ex propria sua ratione non ponit perfectionem, sed solum relationum oppositionem et distinctionem. Ergo personae divinae non opponuntur secundum rationem perfectionis; quare nulla est in una perfectio, quae non sit in altera. Apposite *S. Thomas:* „Vere ergo dicitur, quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius: nec sequitur: Paternitatem habet Pater; ergo paternitatem habet Filius. Mutatur enim *quid* in *ad aliquid.* Eadem enim est essentia et dignitas Patris et Filii: sed in Patre est secundum relationem dantis, in Filio secundum relationem accipientis.“ (S. th. 1. p. q. 42. a. 4.). Itaque breviter: Divinae personae non differunt in aliqua perfectione, sed tantum in modo habendi eandem absolutam perfectionem.

Argumentum secundum: Unum non est tria vel unum non est aequale tribus; atqui in Trinitate unum esset tria vel aequale tribus; ergo Trinitas in Deo esse nequit. — *R. d.* mai: Unum non est tria vel aequale tribus, si unitas et trinitas considerantur sub eadem ratione *c.* si considerantur sub diversa ratione *n.* *D.* min.: In Trinitate unum esset tria vel aequale tribus, ita, ut trinitas et unitas habeantur sub diversa ratione *c.* sub eadem ratione *n.* Et *n.* consequens et consequentiam. — Unum non esse tria vel aequale tribus simpliciter, in ipso hoc mysterio profitemur; etenim credimus unam essentiam esse tres personas; nemo autem somniatus est, esse unam essentiam et simul tres, tres personas vel hypostases et simul unam. 38.

Argumentum tertium: Pater est hic Deus; Filius est hic Deus; ergo Pater est Filius vel Pater et Filius realiter non distinguuntur. — Quod argumentum videtur esse syllogismus expositorius, cum terminus medius singularis sit; tales autem syllogismi evidenter sane concludunt, ut omnes concedunt v. g. quoad hunc alterum syllogismum: Cicero fuit orator; Cicero etiam fuit consul; ergo aliquis orator fuit consul. R. Syllogismus qui opponitur, revera expositorius non est, quia terminus medius non est sensu vero et logico singularis, sed potius particularis; etenim pluribus subiectis distinctis convenit, scilicet Patri et Filio et Spiritui Sancto; quare idem syllogismus eodem vitio laborat, ac hic alter: Petrus est homo i. e. aliquis habens naturam humanam; Paulus est homo i. e. iterum aliquis habens naturam humanam; ergo Petrus est Paulus. Quamvis enim natura divina non sit logice communis sicut natura humana, est tamen realiter communis. Quare syllogismus obiectus accurate in hac forma enunciandus esset: Pater est Deus i. e. aliquis habens naturam divinam: Filius est Deus i. e. aliquis habens naturam divinam; ergo Pater est Filius. Hac autem forma posita continuo perspicitur, syllogismum peccare contra regulam: Aut semel aut iterum medius generaliter esto. — Verum dici potest, hac solutione supponi id, quod in quaestione versatur: scilicet essentiam unam eandemque realiter communem esse posse tribus realiter distinctis; 39.

suppositum autem illud impossibile et contradictorium esse argumento instaurato ita probant:

40. *Argumentum quartum: Quae idem sunt cum uno eodemque tertio, etiam inter se idem sunt; atque relationes vel personae divinae idem sunt cum essentia divina; ergo etiam inter se idem sunt.* — *R.* Hoc argumentum adversariorum Achilles est; quare accurate examinari debet. Itaque in forma variis modis solvi post: *Primo d.* mai.: Quae adaequate identica sunt cum uno eodemque tertio, inter se identica sunt *c.*; quae inadaequate tantum identica sunt cum uno eodemque tertio, etiam inter se identica sunt *n.* *Cd.* min.: Personae singulae divinae adaequate identicae sunt cum essentia divina *n.*; inadaequate *c.* Et *d.* consequens: Identicae sunt adaequate inter se *n.*; inadaequate *c.* Nimirum Pater v. g. identicus est cum essentia divina, quatenus non est communicata generatione et spiratione sive identica cum Filio et Spiritu Sancto; sed Pater non est identicus cum essentia divina, quatenus eadem est communicata Filio et Spiritui Sancto: quare non consequitur, Patrem esse identicum cum Filio et Spiritu Sancto. — *R. secundo: D.* mai.: Quae idem sunt cum uno eodemque tertio incommunicabili, identica sunt inter se *c.*; quae idem sunt cum uno eodemque tertio communicabili, identica sunt inter se *n.* *D.* min. personae divinae idem sunt cum essentia divina, quae est communicabilis tamen realiter tribus *c.*; quae non sit communicabilis tribus *n.* Et *n.* consequens et consequentiam. Quae solutio in eodem principio innititur ac ea, quae supra syllogismo apparenter expositorio applicata est; scilicet terminus medius vel tertium commune, ut argumentum concludat, singulare incommunicabile sit oportet: essentia autem divina singularis quidem est, non autem incommunicabilis. Sed quia contendunt, id quidem immerito supponi atque ipso hoc argumento refutari, adhuc alio modo responderi potest. Itaque: — *R. tertio: D.* mai.: Quae idem sunt cum uno eodemque tertio, identificantur inter se sub ea ratione sub qua identificantur cum illo tertio *c.* identificantur inter se simpliciter *sbd.* si cum illo tertio idem sunt re et ratione *c.* si cum eodem tertio idem sunt re, non autem ra-

tione *sbd.* si ratio, sub qua differunt ab eodem tertio, est absoluta *c.*; si vero relativa est *sbd.* si relativam oppositionem non infert *c.* si vero eiusmodi oppositionem infert *n. Cd.* min. Relationes vel personae divinae cum essentia divina re idem sunt *c.* re et ratione *n.* Et *n.* consequens et consequentiam, vel etiam *d.* consequens: Personae divinae identicae sunt inter se secundum esse absolutum *c.* secundum esse relativum, ita ut non vigeat inter eas relativa oppositio *n.* Vel brevius eadem solutio sic proponi potest: Quae idem sunt cum uno eodemque tertio, identica sunt inter se quoad esse absolutum *c.* non possunt distingui oppositione relativa *n.*; *c.* min. et *d.* consequens: Personae divinae non distinguuntur inter se secundum esse absolutum *c.* neque secundum relativam oppositionem. *n.* Scilicet falso concipitur vel falso applicatur principium identitatis comparatae, quod iam accuratius explicandum est.

4) *Principium identitatis comparatae secundum veram suam vim et applicationem suam ad SS. Trinitatem explicatur.* — *Primo* considerandum est, principium identitatis comparatae, ut metaphysicum est, in hoc ipso mysterio servari, imo vero supponi. Etenim tantum supposito hoc principio dici potest, tres personas identicas esse in essentia vel in absolutis, quia unaquaeque cum essentia identica est, atque distingui solum in personalitatibus sive per oppositionem relativam; secus enim dicendum esset, tres deos esse et simul unum tantum. **41.**

Attamen *secundo* specialem difficultatem experimur in applicando hoc principio ad ss. Trinitatem, quia perspicere non valemus, qua ratione in ente infinito cum summa simplicitate sub uno respectu harmonice conspiret distinctio sub alio respectu; atque hinc provenit, quod abstractum, quod est essentia divina, in argumentationibus commutetur illegitime cum concreto, quod est singularis persona, v. g. Pater. Nimirum Pater non identificatur cum essentia divina, prout haec a nobis concepta abstrahit a concreto modo subsistendi, sed identificatur cum essentia divina, prout haec subsistit in Patre, non vero identicus est cum eadem essentia, prout est concrete **42.**

in Filio et Spiritu Sancto. — Quaeres, quo igitur sensu principium identitatis intelligendum et ad ss. Trinitatem applicandum sit? Respondeo:

43. *Tertio* principium identitatis comparatae evidens est hoc sensu: Quaecunque identica sunt cum uno eodemque tertio sub uno eodemque respectu, ea etiam inter se identica sunt sub eodem respectu; et ratio est, quia secus aperta contradictio incurreretur, scilicet de eodem secundum idem contradictoria verificarentur. Si v. g. ponamus A secundum rationem formalem esse B, et secundum eandem rationem esse etiam C, manifesto consequitur, B esse idem cum C secundum eandem rationem; secus enim idem sub eadem ratione cum duobus distinctis vel oppositis identicum adeoque a semetipso distinctum vel sibimetipsi oppositum esset, quod absurdum est. Atque hoc modo principium etiam in Trinitate omnino servatur: Pater scilicet est identicus cum divina essentia; Filius identicus est cum eadem essentia; ergo Pater et Filius in eadem essentia identici sunt. Itaque principium certissime valet hoc sensu: Quae re et ratione identica sunt cum uno eodemque tertio, etiam inter se identica sunt.

44. *Quarto* autem, si duo vel plura identica sunt cum uno eodemque tertio non re et ratione, sed re tantum, tum nondum apparet, eadem inter se non esse realiter distincta sub alio respectu vel eadem esse simpliciter identica. Si enim essent realiter distincta sub alio respectu, repugnantia vel contradictio supra notata non sequeretur. Revera in hoc casu pugna cum principio non apparet, nisi principium sumatur hoc sensu: Quaecunque cum uno eodemque tertio realiter identica sunt sub aliquo respectu, eadem etiam inter se identica sunt sub omni respectu vel simpliciter. Atqui principium, si hoc sensu sumatur, nequaquam evidens est, nisi fiat aliqua suppositio, scilicet extrema secundum nullam rationem magis inter se opponi, quam tertio comparationis opponuntur; si enim oppositio secundum rationem formalem inter extrema non habetur, nulla ratio est, ob quam dici queant realiter distincta, quia scilicet ratio formalis utriusque tunc in mutua identitate aeque salva manet ac in identitate cum termino

medio vel tertio comparationis. — Iamvero si haec restrictio adhibeatur, iterum valet principium, verum contra ss. Trinitatem applicari nequit, quia inter essentiam ex una parte et relationes sive Paternitatem et Filiationem et Spirationem ex altera parte nulla viget oppositio, viget autem inter relationes, i. e. paternitas et filiatio, spiratio activa et spiratio passiva sibi invicem opponuntur. — Excipi potest, hoc ipsum quod ponitur impossibile videri, scilicet quod unum idemque sit identicum pluribus sibi oppositis et realiter distinctis; etenim si illud commune identicum est cum primo extremorum, eo ipso non potest esse identicum cum altero extremo, quin desinat esse identicum cum primo extremo, utpote quod alteri extremo opponitur et ab eodem distinguitur. Verum neque haec exceptio efficax est:

Quinto enim haec exceptio valet, si extrema rationem **45.**
habeant absoluti, non autem valere ostenditur, si relativi rationem habeant. Valet, inquam, exceptio quoad absoluta, quia haec in ipsa sua realitate distinguuntur, eo scilicet, quod in uno est realitas, quae non est in altero: quare extremorum distinctorum unum negat realitatem alterius: eo ipso autem manifeste perspiciuntur non esse identica cum uno eodemque tertio absoluto, quia secus contradictoria de eodem vera essent. In hoc igitur sensu principium identitatis comparatae iterum metaphysicum est, verum contra ss. Trinitatem verti non potest, quia in ipsa unum absolutum identicum est cum tribus relativis realiter distinctis. — Non autem valet exceptio notata, si duo relativa identica cum eodem tertio, inter se vero per oppositionem relativam distincta esse ponantur. Etenim relative opposita non distinguuntur secundum aliquam realitatem, sed solum secundum oppositos respectus, qui praecise, in quantum dicunt merum *esse ad*, non ponunt quidquam in re, sed tantum referunt. Quare relativa opposita non eodem distinguuntur, quo sunt realia; realia enim sunt, quatenus cum uno eodemque tertio sunt identica; distinguuntur autem, quatenus ad invicem dicunt oppositionem, quam non dicunt adversus tertium illud unum idemque, cum quo identica sunt. Potest igitur unum absolutum esse identicum

pluribus relativis inter se oppositis et distinctis, quin semetipsum neget et in contradictionem incurratur. Atque hac ratione res se habet in ss. Trinitate: Pater et Filius et Spiritus Sanctus secundum realitatem suam idem sunt cum essentia divina, atque ab invicem non distinguuntur nisi secundum relationes oppositas, quae ut tales non dicunt realitatem atque reales non sunt, nisi quatenus idem sunt cum essentia divina. Quae cum ita sint, Pater et Filius et Spiritus Sanctus nequaquam eodem dicunt realitatem et eodem inter se distinguuntur; sed realitatem dicunt quatenus idem sunt cum essentia divina, et non distinguuntur inter se, nisi per oppositionem, quam ad invicem quidem, non vero ad essentiam divinam dicunt.

46. *Excipiat aliquis*: si ita est, personae divinae, cum ulla realitate non differant, simpliciter realiter non distinguuntur. — *Respondeo:* nego prorsus. Etenim distinguuntur per oppositos respectus independenter prorsus a nostra cogitatione, quia profecto independenter a nostra cogitatione Pater generat Filium, et Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum adeoque sibi opponuntur ut generans et genitus, ut spirator et spiratus; neque tamen haec oppositio ponit aliquid in re ut est respectus vel oppositio, verum realis est, quia est oppositio eorum, qui per suam cum essentia identitatem sunt reales, et quia in ipsa essentia illi respectus fundantur. Qua ratione res iterum recurrit ad illud ipsum, quod supra notatum est, scilicet num repugnet, in natura divina exstare processionem immanentem. Huic igitur repugnantiae demonstrandae adversarii incumbere debent, si quidquam efficere velint.

47. *Excipiat iterum aliquis,* haec omnia quidem speciosa videri, neque tamen iisdem omnem obscuritatem et caliginem dispelli. — *Respondeo:* id propositum non fuisse, quia secus ipsa ratio mysterii periret: sufficit prorsus ostendisse, non posse demonstrari ullam pugnam cum principio identitatis comparatae; atque hoc omnino effectum esse videtur. — Restat solum, ut quae de valore principii identitatis comparatae dicta sunt, breviter comprehendantur necnon brevis nota de eiusdem applicatione in creaturis subiiciatur. Itaque:

Sexto principium illud imprimis universaliter valet in hac **48.**
forma: Quae identificantur re et ratione cum uno eodemque tertio, etiam inter se identica sunt; vel, quod est idem: Quae identica sunt sub respectu aliquo cum uno eodemque tertio, inter se identica sunt sub eodem respectu. — Item valet in hac forma: Absoluta, quae identica sunt cum uno eodemque tertio, etiam inter se simpliciter identica sunt. — Denique non valet in hac forma: Quaecunque etiam relative opposita identica sunt cum uno eodemque tertio, etiam inter se simpliciter identica sunt. — *Porro quaeri potest,* num eiusmodi relative oppositorum identitas cum uno eodemque tertio in creaturis exstare possit? Respondetur negative, quia in creaturis relationes subsistentes esse nequeunt, atque ideo distinctio realis non esse potest nisi per absolutam entitatem. Quare principium identitatis comparatae in creaturis non restringitur illa distinctione inter absoluta et relativa. Quidam theologi opinati esse videntur, non constare de repugnantia relationum subsistentium creatarum atque ideo dixerunt, etiam in creaturis illam distinctionem necessariam esse posse atque ideo universalem principii sine eadem distinctione valorem etiam in creaturis ostendi non posse nisi forte per inductionem. Atque ita intelligendus esse videtur Suarez. Patet autem hunc theologorum dissensum non versari circa ipsum principium eiusque valorem metaphysicum, verum potius circa materiam, ad quam applicatur. Certum autem esse videtur, in creaturis exstare non posse relationes subsistentes et ideo in applicatione principii ad creaturas illam distinctionem inter absoluta et relativa negligi posse.

Tota haec principalis obiectionis solutio non est nisi evolutio vel explicatio eorum, quae brevius notat *S. Thomas:* „Argumentum illud tenet, quod quaecunque uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem, in his, quae sunt idem re et ratione, ut tunica et indumentum; non autem in his, quae differunt ratione. Unde ibidem dicit (philosophus in 3. physic.), quod licet actio sit idem motui, similiter et passio, non tamen sequitur, quod actio et passio sint idem, quia in actione importatur respectus, ut a quo est motus in mobili,

in passione vero, ut qui est ab alio. Et similiter licet paternitas sit idem secundum rem cum essentia divina, et similiter filiatio, tamen haec duo in suis propriis rationibus important oppositos respectus. Unde distinguuntur ab invicem." (S. th. 1. p. q. 28. a. 3. ad 1.). Cum quibus consonant, quae alibi notat: „Si aliqua duo sint idem, secundum id quod idem sunt, in quocunque est unum, est et alterum. Paternitas autem et essentia divina sunt idem secundum esse; et ideo sicut in Filio est esse essentiae, ita et in Filio est esse paternitatis, quia in divinis non est nisi unum esse. Sed paternitas habet aliquid, in quo non unitur cum essentia, scilicet rationem paternitatis, quae est alia a ratione essentiae; unde secundum illam rationem respectus potest esse in Patre et non in Filio, sed distinguere Patrem a Filio; unde in processu (i. e. in argumento obiecto) incidit fallacia accidentis. Neque oportet in his aliquid simile inquiri; quia in nulla re creata invenitur aliquid simile divinae simplicitati, ut habens sit id quo habetur; omnia enim similia, quae possent induci, vel de punctis vel de differentiis existentibus in genere, plus habent de dissimilitudine, quam de similitudine; et ideo magis abducunt a veritate quam in verum intellectum inducunt. Sicut enim dicit Boëtius, de Trinit. c. 2., „in his quae sine materia sunt, oportet non ad imaginationem deduci: quia hoc plurimum officit in divinis" (In 1. d. 33 q. 1. a. 1. ad 3.). Denique etiam haec concordant: „Commune est duplex. Quoddam enim commune est secundum rationem; et istud per additionem alicuius proprii contrahitur et determinatur; sicut genus per additionem differentiae, et species per materiam individuatur. Aliud est commune re, quod quidem manet indivisum; unde non oportet quod aliquo addito determinetur, sicut est essentia in tribus personis. Sed verum est, quod oportet de intellectu personae esse aliquam rationem, scilicet relationis, quae non est de intellectu essentiae; quae tamen relatio re ab ipsa essentia non differt; unde nec compositionem facit, nec in aliquo realiter personam ab essentia distinguit, sed personam a persona . . . Tres personae uniuntur in essentia, quae omnino secundum rem idem est unicuique illarum; tamen differt se-

eundum rationem ab unaquaque, prout persona includit in se intellectum relationis: quae relatio quamvis comparata ad essentiam ratione tantum differat ab ea, tamen comparata ad suum relatum, cui opponitur, realem distinctionem facit. Non enim relatio distinguit realiter nisi secundum oppositionem respectus quam habet. Illa autem oppositio non est ad hoc, in quo relatio habet esse, sed ad hoc ad quod dicitur; et ideo relatio non distinguitur realiter ab essentia et persona, in qua est, sed a persona alia ad quam dicitur" (Ibid. 34. q. 1. a. 1. ad 4. et 5.) cf. etiam S. Bonaventura in 1. d. 34. a. 1. q. 1.: Cardinalis Franzelin, th. 20.; Cardinalis Billot. th. 8.

Articulus tertius.

De personarum divinarum per relationes constitutione.

Thesis 15. **Personae divinae constituuntur et distinguuntur proprietatibus nequaquam absolutis, sed relativis; cum autem per origines constitui aliqua ratione dici queant, verius tamen per relationes constitui dicuntur.**

Declaratio.

1. Quid sint proprietates et notiones. — Cum hi termini cognati sint atque, praesertim quando de constitutione personarum divinarum agitur, saepius a theologis adhibeantur, ab initio obvia eorundem explicatio uno conspectu proponenda est: 1.

1) De proprietatibus. — In genere proprietas tamquam forma vel ratio significatur, quae alicui rei propria est ideoque eam ab aliis distinguit. Ergo proprietas personalis, si quidem sermo est de personis divinis, *ratio est, quae uni tantum personae convenit eamque ab aliis distinguit.* Cum autem in divinis omnia sint unum, ubi non obviat relationis oppositio, immediate consequitur, proprietates personales necessario coincidere cum relationibus, non quidem formaliter, cum alia et alia earum sit significatio, sed materialiter. Verum de hac re inferius.

2. Porro *eiusmodi proprietates personales in Deo esse certum ratumque est.* Quod iam patet ex praefatione *missae de SS. Trinitate:* „Ut in personis proprietas et in essentia unitas et in maiestate adoretur aequalitas.“ Praeterea *Concilium Lateranense IV.* declarat: „Haec SS. Trinitas secundum communem essentiam individua et secundum personales proprietates discreta.“ Denique idem ex ipso mysterio manifeste consequitur. Etenim cum personae divinae realiter ab invicem distinguantur, profecto unaquaeque ratione aliqua affecta sit oportet, quae ipsi sit propria et qua ab aliis distinguatur. Eiusmodi autem ratio praecise est proprietas personalis.

3. Deinde etiam certum est, *has proprietates recte a nobis in abstracto concipi,* quamvis in Deo non differat *id quod est* ab *eo quo est.* Etenim cum modus concipiendi concreta in Deo respondeat magis perfectioni et subsistentiae divinae, modus concipiendi abstracta magis simplicitatis divinae rationem habet. Quod praeclare notat *S. Thomas:* „Divinae simplicitati non praeiudicat, quod in divinis utamur nominibus concretis et abstractis, quia secundum quod intelligimus, sic nominamus. Intellectus autem noster non potest pertingere ad ipsam simplicitatem divinam, secundum quod est in re, considerandam, et ideo secundum modum suum divina apprehendit et nominat, id est, secundum quod inveniuntur in rebus sensibilibus, a quibus cognitionem accipit; in quibus ad significandum simplices formas nominibus abstractis utimur, ad significandum vero res subsistentes utimur nominibus concretis. Unde et divina ratione simplicitatis per nomina abstracta significamus, ratione vero subsistentiae et complementi per nomina concreta. Oportet autem non solum nomina essentialia in abstracto et in concreto significare, ut cum dicimus deitatem et Deum, vel sapientiam et sapientem, sed etiam personalia, ut dicamus paternitatem et Patrem.“ (S. th. 1. p. q. 32. a. 2.). Cum quibus consonant haec, quae alibi habet: „In concreto est duo considerare in rebus creatis, scilicet compositionem et perfectionem, quia quod significatur concretive, significatur ut per se existens, ut homo vel album. Similiter de ratione abstracti duo sunt, scilicet simplicitas et imperfectio, quia quod significatur in

abstracto, significatur per modum formae, cuius non est operari vel subsistere in se, sed in alio. Unde patet, quod sicut etiam est de aliis, quae de Deo dicuntur, neutra ratio secundum totum Deo competit; nec abstractum propter imperfectionem, nec concretum propter compositionem. Sed quantum ad aliquid utrumque vere dicitur, quia et concretum propter perfectionem et abstractum propter simplicitatem." (In 1. d. 33, q. 1. a. 2.).

Ulterius autem *hic modus concipiendi proprietates personales per modum formarum abstractarum necessarius est ad explicandum et defendendum mysterium SS. Trinitatis.* 4.
Cum enim fide certum sit, personas divinas simul unum esse et distinctas, sane quaeritur, in quo unum et in quo distinctae sint. Iamvero ad hanc quaestionem convenienter responderi nequit, nisi assignando proprietates in abstracto, quibus velut formis personae distinguantur, cum in essentia perfectam unitatem habeant. Sane responderi apte nequit, Patrem v. g. a Filio distingui semetipso, quia nempe Pater est. Hac enim ratione qui sunt distincti, exhibentur, non vero assignatur id, quo distinguuntur. Praeterea non exhibetur distinctio talis qualis est in divinitate, utpote quae est distinctio tantum secundum personalitates, cum in essentia perfectam unitatem habeant; verum potius illa responsione exhibetur distinctio, quae discretioni aequivaleat atque unitatem naturae excludat. Apposite iterum *S. Thomas:* „Cum enim confiteamur Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse unum Deum et tres personas, quaerentibus, quo sunt unus Deus, et quo sunt tres, sicut respondetur, quod sunt essentia vel deitate unum, ita oportuit esse aliqua nomina abstracta, quibus responderi possit, personas distingui; et huiusmodi sunt proprietates vel notiones in abstracto significantes, ut paternitas et filiatio. Et ideo essentia significatur in divinis ut quid, personae vero ut quis, proprietas autem ut quo" (S. th. 1. p. q. 32. a. 2.).

Praeterea dicendum est *proprietates esse omnino idem* 5.
cum personis. Quod *S. Thomas* sic declarat: „In divinis non differunt *quod est* et *quo est* . . . Sed Pater paternitate est Pater. Ergo Pater idem est, quod paternitas; et eadem ra-

tione aliae proprietates sunt idem cum personis . . . Circa hoc aliqui diversimode opinati sunt. Quidam enim dixerunt proprietates neque esse personas, neque in personis. Qui fuerunt moti ex modo significandi relationum, quae quidem non significant ut in aliquo, sed magis ut ad aliquid. Unde dixerunt, relationes esse assistentes . . . Sed quia relatio secundum quod est quaedam res in divinis, est ipsa divina essentia; essentia autem idem est quod persona, ut ex dictis patet . . . oportet quod relatio sit idem quod persona. — Hanc igitur identitatem alii considerantes, dixerunt proprietates quidem esse personas, non autem in personis; quia non ponebant proprietates in divinis nisi secundum modum loquendi . . . Necesse est autem ponere proprietates in divinis . . ., quae quidem significantur in abstracto ut quaedam formae personarum. Unde cum de ratione formae sit, quod sit in eo cuius est forma, oportet dicere proprietates esse in personis, et eas tamen esse personas; sicut essentiam esse in Deo dicimus, quae tamen est Deus.“ (S. th. 1. p. q. 40. a. 1.) — Ut vero rite intelligatur haec proprietatum cum personis identitas, addendum adhuc est cum eodem *S. Thoma*, proprietates, cum etiam cum essentia divina sint identicae, alio tamen et altiori modo esse identicas cum personis: „Proprietates dicuntur esse in essentia per modum identitatis tantum: in personis autem dicuntur esse per modum identitatis, non quidem secundum rem tantum, sed quantum ad modum significandi, sicut forma in supposito. Et ideo proprietates determinant et distinguunt personas, non autem essentiam“ (Ibid. ad 2.).

6. Denique *proprietates in Deo sunt non plures nec pauciores quam tres.* Etenim tres sunt tantum eiusmodi rationes, quarum unaquaeque alicui personae divinae ita propria est, ut in aliis non inveniatur, scilicet paternitas Patri, filiatio Filio, spiratio passiva Spiritui Sancto. — Nonnulli quidem theologi etiam innascibilitatem inter proprietates divinas ponunt, utpote quae soli Patri cum exclusione aliarum personarum divinarum convenit; verum innascibilitas proprie non differt a paternitate vel ex ea necessario resultat, et praeterea ali-

quid negativum dicit, cum proprietas ad instar formae positivae potius concipiatur. Alii iterum theologi etiam spirationem activam inter proprietates personales recensuerunt, utpote qua Pater et Filius a Spiritu Sancto distinguuntur et etiam plene in se constituuntur: verum haec, cum non uni sed duabus personis conveniat, a ratione proprietatis stricte dictae certe deficit. — Haec autem theologorum diversitas, ut manifestum est, non adeo versatur circa rem, quam circa modum loquendi vel definiendi: quare omnia in concordiam facile reducuntur dicendo: Proprietates in sensu stricto tantum tres sunt: paternitas, filiatio, spiratio passiva; proprietates in sensu minus stricto quatuor sunt: scilicet tribus modo recensitis additur innascibilitas; proprietates in sensu latiore quinque sunt; scilicet adhuc additur spiratio activa.

2) *De notionibus.* — Cum notio generatim illud sit, 7.
quo res aliqua nobis innotescit ut distincta ab aliis, in nostra quaestione notio nihil aliud intelligitur, quam ratio aliqua, qua divina persona a nobis cognoscitur et ab aliis distinguitur: hoc autem fit praecise per proprietates. Quare notiones connectuntur cum proprietatibus, imo ab iisdem proprie non distinguuntur nisi significatione vel modo significandi; scilicet notiones addunt respectum ad cognitionem nostram, quem proprietates ut tales non dicunt; quare notiones in Deo non sunt formaliter, sed tantum materialiter; quae videtur esse ratio, cur S. Thomas dicit, proprietates quidem in Deo esse, notiones autem in Deo esse ponendas. Insuper autem ad rationem notionis pertinere videtur, ut dignitatem aliquam dicat, cum scilicet sit manifestativa personae, utpote quod nomen personae dignitatis nomen est. Rem declarat magis *S. Thomas*: „Notio dicitur id, quod est propria ratio cognoscendi divinam personam. Divinae autem personae multiplicantur secundum originem. Ad originem autem pertinet *a quo alius* et *qui ab alio;* et secundum hos duos modos potest innotescere persona. Igitur persona Patris non potest innotescere per hoc, quod sit ab alio, sed per hoc, quod a nullo est; et sic ex hac parte eius notio est innascibilitas. Sed in quantum aliquis est ab eo innotescit dupliciter; quia in quantum Filius

est ab eo, innotescit notione paternitatis; in quantum autem Spiritus Sanctus est ab eo, innotescit notione communis spirationis. Filius autem potest innotescere per hoc, quod est ab alio nascendo, et sic innotescit per filiationem; et per hoc quod est alius ab eo sc. Spiritus Sanctus, et per hoc innotescit eodem modo sicut et Pater, sc. communi spiratione. Spiritus Sanctus autem potest innotescere per hoc, quod est ab alio vel ab aliis, et sic innotescit processione; non autem per hoc, quod alius sit ab eo, quia nulla divina persona procedit ab eo. Sunt igitur quinque notiones in divinis, scil. innascibilitas, paternitas, filiatio, communis spiratio, et processio. Harum autem tantum quattuor sunt relationes. Nam innascibilitas non est relatio nisi per reductionem. Quattuor autem tantum proprietates sunt. Nam communis spiratio non est proprietas, quia convenit duabus personis. Tres autem sunt notiones personales i. e. constituentes personas, scil. paternitas, filiatio et processio. Nam communis spiratio et innascibilitas dicuntur notiones personarum, non autem personales." (S. th. 1. p. q. 32. a. 3.).

8. Cum autem haec sit ratio notionum, sane consequitur, *etiam notiones vel esse relationes vel ad easdem reduci.* Quod etiam declarat adhuc expressius *S. Thomas:* „Quia in divinis personae solis relationibus distinguuntur, notiones autem sunt, quibus divinarum personarum distinctio innotescit, necesse est notiones aliqualiter ad relationem pertinere; sed earum quattuor verae relationes sunt, quibus divinae personae ad invicem referuntur; quinta vero ad relationem pertinet sicut relationis negatio; nam negationes ad genus affirmationum reducuntur, et privationes ad genus habituum, sicut non homo ad genus hominis et non album ad genus albedinis." (Comp. theol. c. 59.). Quod idem prae oculis habens *Augustinus* declarat, innascibilitatem sive *ingenitum esse* de Patre non dici secundum substantiam ideoque vere esse notionem: „Non ergo iam dicamus ingenitum, sed pro eo dicamus non genitum, quod tantum valet. Num ergo aliud dicimus quam non Filium? Negativa porro ista particula non id efficit, ut quod sine illa relative dicitur, eadem praeposita sub-

stantialiter dicatur; sed id tantum negatur, quod sine illa aiebatur, sicut in ceteris praedicamentis. Velut cum dicimus: homo est, substantiam designamus. Qui ergo dicit: non homo est, non aliud genus praedicamenti enuntiat, sed tantum illud negat. Sicut ergo secundum substantiam aio: homo est, sic secundum substantiam nego, cum dico; non homo est. Et cum quaeritur, quantus sit, et aio: quadrupedalis est, secundum quantitatem aio; qui dicit: non quadrupedalis est, secundum quantitatem negat . . . Et omnino nullum praedicamenti genus est, secundum quod aliquid aiere volumus, nisi ut secundum idipsum praedicamentum negare convincamur, si praeponere negativam particulam voluerimus. Quae cum ita sint, si substantialiter aierem dicendo: Filius; substantialiter negarem, dicendo: Non Filius. Quia vero relative aio, cum dico: Filius est, ad Patrem enim refero; relative nego, si dicam: non Filius est; ad Parentem enim eandem negationem refero, volens ostendere, quod ei parens non sit. At si quantum valet quod dicitur Filius, tantumdem valet quod dicitur genitus, sicut praelocuti sumus; tantumdem ergo valet, quod dicitur non genitus, quantum valet quod dicitur non Filius. Relative autem negamus dicendo: non filius; relative igitur negamus dicendo: non genitus. Ingenitus porro quid est, nisi non genitus? Non ergo receditur a relativo praedicamento, cum ingenitus dicitur." (De Trinit. l. 5. c. 7.)

Quaeri autem potest, cur in Patre quidem ponatur notio **9.** innascibilitatis neque vero in Filio notio inspirabilitatis neque in Spiritu Sancto notio ingenerabilitatis assignentur. — Respondetur triplicem huius rei rationem assignari posse: scilicet *primo* innascibilitas quidem, non autem inspirabilitas nec ingenerabilitas specialem dignitatem dicunt; illa enim innascibilitate Pater tamquam principium sine principio atque fons totius divinitatis exhibetur. *Praeterea secundo* cum pater humanus necessario ab alio sit sive per generationem sive per creationem, Deus Pater a nemine sive principium sine principio est; quare innascibilitas merito tamquam notio eius distinctiva assignatur. Cum vero ex altera parte nullus filius

spiretur et nullus spiritus generetur, ratio deest, ob quam inspirabilitas tamquam notio Filii et ingenerabilitas tamquam notio Spiritus Sancti assignentur. Insuper *tertio* illae negationes nihil proprie dicunt praeter origines et relationes, ideoque tamquam notiones ab his distinctae considerari nequeunt. *Quarto* denique multiplicando notiones sine solida ratione mysterium non notificaretur, verum potius obscuraretur.

Adhuc quaeri potest, cur Pater, cum propter oppositionem ad personam genitam dicatur ingenitus, non aeque propter oppositionem ad personam spiratam etiam inspiratus dicatur? — Respondetur cum *S. Thoma:* „Proprietas Patris, prout non est ab alio, potius significatur per remotionem nativitatis Filii, quam per remotionem processionis Spiritus Sancti; tum quia processio Spiritus Sancti non habet nomen speciale, tum quia etiam ordine naturae praesupponit generationem Filii. Unde remoto a Patre, quod non sit genitus, cum tamen sit principium generationis, sequitur consequenter, quod non sit procedens processione Spiritus Sancti, quia Spiritus Sanctus non est generationis principium, sed a genito procedens." (S. th. 1. p. q. 33. a. 4. ad 5.)

10. *Denique quaeri potest*, cur notio innascibilitatis in Patre ponatur, cum tamen sufficienter videatur innotescere ut distinctus a Filio per paternitatem, a Spiritu Sancto autem per spirationem activam. — Rationem iterum reddit praeclaram *S. Thomas:* „Sicut in creaturis invenitur principium primum et principium secundum, ita in personis divinis, in quibus non est prius et posterius, invenitur principium non de principio, quod est Pater, et principium a principio, quod est Filius. In rebus autem creatis aliquod principium primum innotescit dupliciter: uno quidem modo in quantum est principium primum per hoc quod habet relationem ad ea, quae ab ipso sunt; alio modo in quantum est primum principium per hoc quod non est ab alio. Sic igitur et Pater innotescit quidem paternitate et communi spiratione per respectum ad personas ab eo procedentes. In quantum autem est principium non de principio innotescit per hoc quod non est ab alio: quod pertinet ad proprietatem innascibilitatis, quam si-

gnificat hoc nomen *ingenitus.*" (S. th. 1. p. q. 33. a. 4.). Alia quaedam, quae notiones spectant atque quaeri possunt, commode videri possunt item apud S. Thomam, S. th. 1. p. q. 32. a. 3. ad 2. 3. 4. 5.

2. De ratione hypostasis et personae. — In hac **11.** quaestione de formali ratione, per quam personae divinae ab invicem distinguantur atque adeo in ratione personae constituantur, genuinam hypostasis et personae rationem supponendam atque continuo considerandam esse per se manifestum est. Porro ex declaratione harum notionum, quae iam proposita est ab initio huius tractatus et multo enucleatius in tractatu de Verbo Incarnato, hypostasis nihil aliud est nisi substantia individua sive substantia prima completa et tota in se atque persona nihil aliud, nisi rationalis naturae individua substantia sive substantia rationalis prima completa et tota in se; in hac vero definitione termino *individuus* excluditur omnis communitas τοῦ esse tum ea quae propria est universali, tum ea quae propria est essentiae realiter communi pluribus realiter distinctis, tum ea quae partis vel quasi partis est. Atque haec est ratio hypostasis et personae breviter definita, cum fusius explicata sit locis citatis. Addenda solum est notatio aliqua de modo loquendi: nimirum secundum modum loquendi antiquorum theologorum ab hypostasi solo nomine differt suppositum et subsistentia; verum posterioris aetatis scholastici terminum *subsistentia* saepe non concrete sed abstracte usurpant non ad significandam totam substantiam individuam, sed ad significandum illud ipsum, quo ultimo est perfecte individua et ab omnibus aliis distincta.

Iam cum haec sit ratio hypostasis et personae, continuo in- **12.** telligitur, essentiam divinam, ut tribus personis communis est et abstracta a proprietatibus personalibus concipitur, non esse hypostasin vel personam; etenim quamvis sit non universalis sed singularis, et quamvis sit nec pars nec quasi-pars; est tamen realiter communis vel identica cum tribus realiter distinctis atque ideo a perfecta illa individualitate deficit, qua ab omnibus aliis distinguatur atque tota in se constituatur. Pariter autem ex eadem definitione consequitur, eandem es-

sentiam divinam, quatenus non abstracta a proprietatibus concipitur, sed tamquam identica cum ipsis et per ipsas quodammodo determinata consideratur, hypostasin esse atque personam; vel apertum est, illos tres: Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, qui in eadem natura conveniunt, inter se autem realiter distinguuntur, vero sensu et perfecto hypostases esse atque personas. Nam in unoquoque horum substantia divina perfectam illam individualitatem habet, qua tota in se est atque ab omnibus aliis distinguitur.

13. ***3. Diversae de personarum divinarum constitutione theologorum sententiae.*** — Quae cum ita sint, iam quaeritur, quaenam vel quales sint proprietates, quibus personae divinae constituuntur et distinguuntur; vel quaeritur, quae nam sit ratio, quae in singulis personis ad essentiam communem accedat eamque perfecte individuam sive incommunicabilem sive totam in se et sibi atque ab omnibus aliis distinctam reddens eandem hypostasin et personam constituat. Ad hanc quaestionem in praesenti thesi respondendum est. Fuit autem hac in re aliqua dissensio inter theologos:

14. Et *Ioanis de Ripa quidem opinio fuit,* personas divinas per proprietates absolutas ab invicem distingui et constitui atque relationibus nonnisi ad invicem referri. Atque hanc opinionem probabilem habuisse videtur Scotus. *Fundamentum* autem vel rationem huius opinionis eius asseclae ex relationibus creatis sumpserunt, ad quarum instar relationes divinas concipimus. In creatis enim relatio nunquam per se et primo facit distinctionem extremorum, neque extrema constituit, sed ad ea constituta accedit; quare neque semetipsam refert, sed ipsa aliud refertur. Quae omnia potissimum cernuntur et valent in relationibus originis creaturarum. Cum igitur relationes divinae sint verae relationes originis, etiam in ipsis haec omnia locum habere videntur, cum scilicet eadem relationi convenire videantur, ut relatio est, non solum ut creata est. *Altera ratio* pro hac sententia derivari potest ex persona Patris. Nam Pater prius ratione generat, quam ad Filium referatur: refertur enim quia generat. Ut autem

generare possit iam debet esse persona, cum esse sit prius, quam producere. Quare persona Patris ut persona necessario est absoluta. Denique *tertia ratio* desumi potest ex personis procedentibus, Filio et Spiritu Sancto; etenim cum hae personae producantur, relate ad easdem principium valere debet, quod ad relationem in se non est motus vel productio. Verumtamen non obstantibus his rationibus certo tenendum est, personas divinas constitui et distingui proprietatibus non absolutis sed relativis; quod invictis argumentis demonstratur in 1. parte thesis.

Verum postquam demonstratum est, proprietates personas **15**
divinas constituentes et ab invicem distinguentes non esse absolutas sed relativas, adhuc quaeri potest, *num origines potius, an vero relationes divinas personas constituere dicendae sint.* Superflua quidem haec quaestio videri posset, cum origines et relationes, ut supra demonstratum est, non solum realiter, sed etiam formaliter adaequate idem sint. Verum, quamvis idem sint ea ratione, modo tamen nostro concipiendi atque etiam modo significandi differunt, ut pariter supra dictum est. Atque haec quidem differentia sufficit, ut quaestio illa non superflue tractetur, quamvis non de re, sed de modo nostro concipiendi versetur; etenim etiam modus concipiendi ad certas formas redigendus est. Praeterea eandem quaestionem inutilem non esse ostendit etiam exemplum duorum principum scholae S. Thomae et S. Bonaventurae, qui ambo hanc quaestionem tractaverunt, verum in ea solvenda in oppositas partes abierunt. Et S. Bonaventura quidem statuit, personas divinas per originis distingui et constitui; quam sententiam sic refert *S. Thomas:* „Cum tres personae divinae conveniant secundum essentiae unitatem, necesse est quaerere aliquid quo distinguantur ad hoc, quod plures sint. Inveniuntur autem in divinis personis duo secundum quae differunt, scilicet origo et relatio. Quae quidem, quamvis re non differant, differunt tamen secundum modum significandi; nam origo significatur per modum actus, ut generatio; relatio vero per modum formae ut paternitas. Quidam igitur attendentes quod relatio consequitur actum, dixerunt quod hypostases in divinis distinguuntur per originem, ut dicamus, quod

Pater distinguitur a Filio, in quantum ille generat et hic est genitus. Relationes autem sive proprietates manifestant consequenter hypostaseon sive personarum distinctiones, sicut et in creaturis proprietates manifestant distinctiones individuorum" (S. th. 1. p, q. 40. a. 2.).

16. Huic autem doctrinae idem *S. Thomas* opponit alteram ut meliorem: „Melius dicitur, quod personae seu hypostases distinguantur relationibus quam per originem. Licent enim distinguantur utroque modo, tamen prius et principalius per relationes secundum modum intelligendi. Unde hoc nomen *Pater* non solum significat proprietatem, sed etiam hypostasin; sed hoc nomen *genitor* vel *generans* significat tantum proprietatem: quia hoc nomen *Pater* significat relationem, quae est distinctiva et constitutiva hypostasis, hoc autem nomen *generans* vel *genitus* significat originem, quae non est distinctiva et constitutiva hypostasis." (Ibid.). Iamvero haec S. Thomae doctrina communis evasit inter theologos catholicos; eamque reipsa meliorem atque veriorem esse in 2. parte thesis ostenditur.

Demonstratio.

I. p.: Personae divinae per proprietates non absolutas sed relativas distinguuntur et constituuntur.

17. *1. Ex s. Scriptura.* — Nimirum in ss. litteris personae divinae saltem prima et altera nunquam exhibentur nisi nominibus relativis; praeterea eaedem ss. litterae clare nos edocent personas divinas convenire in una eademque essentia infinita; atque distinctionem earundum eo potissimum indicant, quod inter ipsasmet ordo est processionis et missionis. Atqui cum his connexum est, personas divinas non distingui atque constitui nisi per proprietates relativas. Ergo proprietates personales absolutae ad merae fictionis instar reiiciendae sunt.

18. *2. Ex SS. Patrum doctrina.* — Huc spectant multa SS. Patrum testimonia supra iam adducta; quare pauca hoc loco adnotare sufficit. Nimirum SS. Patres nunquam

alias proprietates adducunt nisi relativas, imo alias haud raro disertis verbis excludunt. Sic v. g. S. *Augustinus* scribit, „in Deo non esse nisi substantiam et relationem et, quidquid ad se et non ad aliud dicitur, ad essentiam pertinere“ (De Trinit. l. 5. c. 5.). Quibus paulo inferius addit: „Si quod dicitur Pater, ad se et non ad Filium diceretur, secundum substantiam diceretur, sed quia ad Filium et non ad se dicitur, ideo non secundum substantiam dicitur.“ Atqui ex doctrina eiusdem Augustini trium personarum una numero essentia et substantia est. Ergo proprietates personas distinguentes non possunt esse nisi relativae. Ceterum idem etiam expressius et clarius enuntiat idem Augustinus iterum ibidem inferius: „Quod autem proprie singula in eadem Trinitate dicuntur, nullo modo ad seipsa, sed ad invicem, aut ad creaturam dicuntur; et ideo relative non substantialiter ea dici manifestum est. Sicut enim Trinitas unus Deus dicitur, magnus, bonus, aeternus, omnipotens, idemque ipse sua sic dici potest deitas, ipse sua magnitudo, ipse sua bonitas, ipse sua aeternitas, ipse sua omnipotentia, non sic potest dici Trinitas Pater nisi forte translate ad creaturam propter adoptionem filiorum.“ (c. 12.) Et alibi adhuc expressius: „Hoc solo (personae divinae) numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt.“ (In Ioan tr. 39 n. 3.; cf. Trinit. l. 6. c. 2.; l. 8. c. 1.; de civit. l. 11. c. 10.).

Similiter docent Patres graeci. Sic S. *Basilius* declarat: **19.** „Proprietates id quod commune est, distinguunt propriis characteribus, at substantiae communitatem non dirimunt: exempli causa Deitas communis est, proprietates vero sunt paternitas et filiatio.“ (Cont. Eunomium l. 2. n. 28). — Et S. *Gregorius Naz.* docet: „Proprietates nequaquam communicabiles esse, quod ex relationis vi creditur evenire.“ (Orat. 39. in sancta lum. n. 12. — Et S. *Cyrillus* A. dicit: „Divinitatis natura, cum simplex et imcomposita sit, non distingueretur conceptibus in dualitatem Patris et Filii, nisi aliqua differentia subesset, non secundum substantiam, sed extra substantiam concepta, per quam utriusque persona in propria hypostasi subsistens producitur . . .. (Quare) s. scriptura Patris

et Filii nomina constituit, utrique propriam hypostasin tribuens servata naturae identitate"; addit autem longam explicationem naturae illorum nominum, quae „ad aliquid sunt". (Thesaur. Assert. 11.). — Tandem *S. J. Damascenus* de iis agens, quae in divinitate non communiter, sed distinctim accipienda sint, haec quidem ita determinat: „Haec non naturam exprimunt, sed mutuam ad invicem relationem et existendi modum." (De fide l. 1. c. 10.)

20. Denique eandem esse communem SS. Patrum doctrinam, testatus est in Concilio Florentino *Ioannes theologus* his verbis: „Est vero secundum doctores tam graecos quam latinos sola relatio, quae multiplicat personas in divinis productionibus, quae vocatur relatio originis, ad quam duo tantum spectant: *a quo alius* et *qui ab alio*" (Sess. 18. ap. Hard. t. 9. col. 203; necnon *Bessarion* in eodem concilio ex traditione Patrum esse confessus est: „Quod personalia nomina Trinitatis relativa sunt, nemo ignorant" (Ibid.); cf. Petavius de Trinit. l. 4. c. 10. n. 6.).

21. ***3. Ex conciliorum decretis.*** — Ex pluribus eiusmodi decretis manifesta est veritas huius partis. Huc spectant v. g. haec *Concilii Toletani XI.*: „In relatione personarum numerus cernitur, in divinitatis vero substantia, quid numeratum sit, non comprehenditur. Ergo in hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt, et in hoc numero carent, quod ad se sunt." Item huc spectat celeberrimum adagium a *Concilio Florentino* sancitum: „Omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio." Praeterea haec eiusdem concilii verba: „Omnia, quae Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit praeter esse Patrem." Profecto enim, si Pater relate ad Filium nihil proprium habet, nisi paternitatem, hac sola a Filio distinguitur; et consequenter Filius nonnisi filiatione a Patre distinguitur; paternitas autem et filiatio proprietates relativae sunt; ergo. Idem autem ex paritate rationis de Spiritu Sancto dicendum est.

22. ***4. Ex ratione theologica.*** — Omnis proprietas absoluta in Deo perfectionem dicit simpliciter simplicem, quam praeeunte S. Anselmo (Monol. c. 5.) theologi definiunt eam

esse, quae „in quolibet melior est ipsa, quam non ipsa.“ Etenim ex duplici capite tantum provenire potest, ut aliqua proprietas non sit perfectio simplex, nimirum vel quia in se involvit aliquam limitationem vel quia per oppositionem excludit aliam aequalem perfectionem. Iamvero nulla proprietas absoluta in Deo in se involvit limitationem vel imperfectionem neque ulla per oppositionem excludit aliam aequalem perfectionem. Quare certe quaelibet proprietas absoluta in Deo melior est ipsa, quam non ipsa adeoque dicit perfectionem simpliciter simplicem. Atqui proprietas personalis in Deo non potest secundum propriam suam rationem formaliter dicere perfectionem simpliciter simplicem. Ergo proprietates personales in Deo non possunt esse absolutae.

Minor probatur: Omnis perfectio simpliciter simplex **23.**
necessario essentiae divinae convenit, utpote quae infinita est; proprietas autem personalis ad essentiam non pertinet, quia incommunicabilis est atque personas eandem essentiam habentes ab invicem distinguit; ergo proprietas personalis in Deo non dicit perfectionem simpliciter simplicem. Praeterea incommunicabilitas vel distinctio oritur aut ex limitatione vel oppositione; atqui perfectio simplex nec limitationem dicit nec oppositionem cum alia perfectione simpliciter simplici; ergo proprietas personalis, utpote quae formaliter ponit incommunicabilitatem et distinctionem, non potest esse perfectio simpliciter simplex. Ergo evidens est, proprietatem personalem non esse absolutam.

2. p. Quamvis personae divinae aliqua ratione originibus distingui et constitui dici possint, melius tamen per relationes constitui et distingui dicuntur.

Duplici assertione haec pars absolvitur.

1. Distinctio et constitutio personarum aliqua **24.**
ratione originibus tribui potest. — Quod imprimis constat *ex SS. Patrum auctoritate.* Etenim SS. Patres modo Patrem et Filium eo differre dicunt, quod ille Pater, hic vero Filius sit, modo inde discrimen repetunt, quod Pater sit is, a quo alius, et Filius is, qui ab alio. Similiter tertiae per-

sonae distinctionem a prima et secunda nunc inde repetunt, quod Patris et Filii Spiritus sit, nunc illinc, quod ab eis procedat. Atqui sicut in primo casu relationes, ita in altero origines tamquam rationem distinctionis personarum assignant. Speciminis causa, quod attinet origines, audiantur haec verba Fulgentii: „Quia aliud est genuisse, quam natum esse, aliudque est procedere, quam genuisse vel natum esse, manifestum est, quoniam alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus.“ (De fide ad Petrum c. 1. in fine). Itaque etiam S. Bonaventura vestigiis SS. Patrum insistit atque ad eorum auctoritatem provocat. *Neque ullo pacto mira videri potest haec doctrina neque opposita proprie est doctrinae S. Thomae,* quia origines et relationes in Deo non differunt realiter neque proprie virtualiter, sed tantum modo concipiendi vel significandi. Attamen, quia in theologia non res tantum, sed etiam modus concipiendi et significandi nonnunquam praesertim attentendus est, cum S. Thoma potius statuimus:

25. ***2. Divinae personae melius et verius per relationes distingui et constitui dicuntur.*** — Cuius assertionis optimam rationem reddit ipse *S. Thomas:* „Sed hoc (i. e. sententia S. Bonaventurae) non potest stare propter duo: *primo* quidem, quia ad hoc quod aliqua duo distincta intelligantur, necesse est eorum distinctionem intelligi per aliquid intrinsecum utrique, sicut in rebus creatis, vel per materiam vel per formam. Origo autem alicuius rei non significatur ut aliquid intrinsecum, sed ut via quaedam a re vel ad rem; sicut generatio significatur ut via quaedam ad rem genitam, et ut progrediens a generante. Unde non potest esse quod res genita et generans distinguantur sola generatione; sed oportet intelligere tam in generante quam in genito ea quibus ab invicem distinguuntur. In persona autem divina non est aliud intelligere nisi essentiam et relationem sive proprietatem. Unde cum in essentia conveniant, relinquitur quod per relationes personae ab invicem distinguantur. *Secundo* quia distinctio in divinis personis non est sic intelligenda, quasi aliquid commune dividatur, quia essentia communis remanet indivisa: sed oportet, quod ipsa distin-

guentia constituant res distinctas. Sic autem relationes vel proprietates distinguunt vel constituunt hypostases vel personas, in quantum sunt ipsae personae subsistentes: sicut paternitas est Pater, et filiatio est Filius, eo quod in divinis non differunt abstractum et concretum. Sed contra rationem originis est, quod constituat hypostasin vel personam, quia origo active significata significatur ut progrediens a persona subsistente; unde praesupponit eam; origo autem passive significata, ut nativitas, significatur ut via ad personam subsistentem, et nondum ut eam constituens. Unde melius dicitur quod personae seu hypostases distinguantur relationibus, quam per originem.“ (L. c.). Quae breviter sic comprehendi possunt: Proprietas personam distinguens et constituens a nobis concipitur veluti forma rei interna et permanens; atqui relatio quidem dicit eiusmodi formam internam et permanentem, origo autem potius tamquam via sive motus a re sive ad rem concipitur; ergo potius relationes quam origines personas divinas distinguere et constituere dicendae sunt. Minor constat quoad relationes; item quoad origines patet, quia origo activa dicit actionem a producente persona iam constituta egredientem, origo passiva vero ortum rei nondum in se constitutae vel subsistentis.

Confirmari adhuc potest S. Thomae argumentatio aliqua **26.** explicatione, quam proponit *Cardinalis Pallavicini:* „Inveniendum est, quisnam sit ille conceptus fundamentalis, a quo maxime formaliter desumatur in divinis personis incommunicabilitas secundum nostrum modum cognoscendi, conceptusne relationum an originum . . . Quantum spectat ad veritatem, et uterque idem est in divinis atque adeo constituit personas, et neuter in nobis pertinet ad substantiam et constitutionem personarum; quare ex istis capitibus sunt aequales. Nihilominus id non obest aptitudini huius aenigmatis (scilicet huius conceptus relationum ex creaturis derivati et distincti a conceptu originum), quale per nos haberi potest. Quippe inter creaturas non possumus concipere ipsam incommunicabilitatem et distinctionem sine conceptu relativo, cum tamen origines neque realiter neque secundum conceptum pertineant in crea-

turis ad constituendam incommunicabilitatem personarum; et ideo conceptus relationum est magis accommodatus." (Cursus theologicus, l. 8. c. 54. n. 414). Nimirum ut aliquo modo concipere valeamus personarum processionem et realem distinctionem, conceptus adhibemus ex creaturis abstractos atque distinctionem inter originem et relationem ex creaturis ad Deum transferimus. Iamvero in creaturis incommunicabilitas et distinctio personarum non constituitur quidem per relationem, attamen connexam habet relationem atque sine relatione a nobis non concipitur; origo autem neque ad constitutionem personae creatae pertinet neque conceptum incommunicabilitatis ullo modo ingreditur, cum sane eadem numero persona possit vel creari vel generari. Ergo si iam nostro modo concipiendi, imperfecto sane, distinguamus inter origines et relationes divinas, potius per relationes quam per origines divinae personae constitutas esse dicendum est.

Scholion.

27. ***Solvuntur obiectiones.*** — Restant aliquae difficultates, quarum solutione thesis adhuc magis explicatur; imprimis consideranda sunt argumenta adversariorum iam supra indicata:

1) Relationes divinas necessario concipimus ad instar relationum creatarum; atqui relationes creatae per se et primo nunquam faciunt distinctionem extremorum, sed extrema distincta supponunt atque ad ea propter fundamentum aliquod insitum accedunt; quare etiam extrema referunt, non autem seipsas. Atqui haec omnia cuivis relationi conveniunt, maxime autem cernuntur in omnibus relationibus originis. Quare etiam relationes divinae, praesertim quia sunt relationes originis, extrema distincta supponunt eaque referunt; eiusmodi autem extrema a relationibus supposita et propter fundamentum insitum relata non possunt esse nisi absoluta. — *R.:* Tota haec obiectio in falso fundamento innititur, scilicet eiusdem in omnibus rationis esse relationes divinas ac relationes creatas; iam vero inter has et illas essentialis et infinita quodammodo diversitas intercedit, cum istae scilicet sint

accidentales, illae autem substantiales vel subsistentes; quare argumentum non concludit. Cum autem illa essentialis diversitas iam supra satis explicata sit, hoc loco iam nihil addendum est. — Sed instant atque obiectionem urgent ex persona Patris nominatim:

2) Pater, priusquam generatione activa ad Filium re- 28.
feratur, necessario iam est persona in se constituta; agere enim sequitur esse vel actiones sunt suppositorum. Atqui Pater priusquam generat, non habet relationem ad Filium. Ergo Pater ut persona per relationem non constituitur, sed per aliquid absolutum. R. primo quod spectat ad rem: n. mai.; ad rationem additam: *d.* actiones sunt suppositorum i. e. actiones tribuuntur supposito ut principio quod vel requirunt subsistentiam agentis ut conditionem *c.*; supponunt agens in ratione suppositi iam constitutum *sbd.* si actio est elicita vel accidentalis *c.* si est substantialis vel subsistens *n.* Nimirum falsa imaginatione haec obiectio innititur, cum activa generatio tamquam actio elicita et accidentalis concipiatur, dum reipsa est ipsa subsistens intellectio sub formali ratione relativi. In Patre igitur personalitas, relatio ad Filium, generatio activa penitus unum idemque sunt; quare neque unum est prius altero, sed simul sunt; neque ulla prioritas est inter actum primum et secundum. Verum Pater generat, quia Pater est; et Pater est quia generat; et persona est quia generat et vicissim. In omnibus his plena exstat identitas. — Quae cum ita sint, tota haec difficultas non adeo versatur circa rem, quam circa modum nostrum concipiendi; scilicet agitur proprie de modo ordinandi nostros conceptus inadaequatos, quos ex creaturis abstractos ad simplicissimam proprietatem personalem Patris transferimus, ne in circulum vel contradictionem incurramus. Quapropter:

Respondeo secundo quoad modum nostrum concipiendi: 29.
Secundum S. Thomam duo sunt de ratione subsistentiae: primo reddit substantiam individuam et incommunicabilem; secundo eam actu distinguit ab omnibus aliis hypostasibus eiusdem naturae. Quod si aliae hypostases eiusdem naturae non vel nondum sint, nihilominus illa substantia individua et

incommunicabilis vero sensu et proprio hypostasis vel persona est, quamvis non actu sed potentia tantum ab aliis personis humanis distinguatur. Ita Adamus primus homo profecto hypostasis et persona erat, priusquam alii homines existerent. Iamvero simili ratione Deus Pater in signo rationis ante generationem activam potest intelligi persona, quamvis non actu sed potentia tantum tunc intelligatur distinctus ab aliis personis. Verum dices: quomodo in hoc signo rationis concipi potest constitui persona per ipsam relationem ad Filium? Respondeo: relatio dupliciter spectari potest: uno modo quatenus est idem quidem realiter um essentia divina verumtamen incommunicabilis vel aliis verbis: spectari potest quatenus dicit quasi potentiam vel necessitatem generandi atque adeo quodammodo respectum ad Filium generandum; qua ratione spectata relatio paternitatis commode intelligitur tum antecedere ipsum actum generandi tum constituere Patrem in ratione personae. Alio modo eadem relati spectari potest, ut actu refert Patrem ad Filium generatum vel constitutum, atque sic spectata quodammodo subsequitur actum ge erandi atque Patrem distinguit actu a Filio. Priore igitur modo spectata relatio Paternitatis praeintelligitur generationi et dicendum est: Quia Pater est, generat; altero autem modo considerata subsequitur generationem et dicendum est: Quia generat, est Pater. — Atque haec explicatio omnino consona esse videtur solutioni, quam proponit S. Thomas: vel haec in alium sensum explicari posse non videtur. Scilicet *S. Thomas* ita rem declarat: „Relinquitur ergo, quod ipsa paternitatis relatio, in quantum est constituens hypostasin Patris, quod habet in quantum est idem substantiae divinae, praeintelligatur generationi; secundum vero quod distinguit, sic generatio paternitati praeintelligitur." (De potentia q. 8. a. 3. ad 7.).

30. *Sed hunc modum explicandi vituperant graviter aliqui theologi* atque absurdos dicunt eos, qui de relatione Patris ad Filium *generandum* loquantur. — Verumtamen si ad ordinandos nostros conceptus sermo esse potest de origine tamquam via ad personam producendam, si nostro modo concipiendi ratione prior esse dicatur persona Patris prae actu

generandi: profecto nullatenus apparet, cur dicere non possimus, Patrem ratione priusquam generet iam dicere relationem ad Filium generandum; praesertim quia hoc loquendi modo simul expresse significatur, Patrem ex interna foecunditate naturae divinae atque naturali necessitate generare Filium. Verum utique est, hunc conceptum deinceps corrigendum esse, quia potentia generandi, generatio, relatio ad Filium generandum, relatio ad Filium generatum, haec omnia, penitus idem sunt atque per unam simplicissimam rem simul absolutam et relativam verificantur; sed hoc etiam in aliis quaestionibus obtinet, ut quae a parte rei identica et simplicissima sint nostris conceptibus dividamus et separemus. Et certe iam facta distinctione rationis inter relationes et origines, inter personas atque actus productivos, neque aliae eiusmodi distinctiones rationis arbitrarie impediri possunt atque his distinctionibus factis conceptus nostri inadaequati inde resultantes ita ordinandi sunt, ne circulus vel contradictio ulla oriatur. Atque si hac ratione illi theologi intelligantur, atque revera ita eos intelligere oportet, nequaquam vituperandi sunt.

3) Quod ad relationem non sit per se motus ac productio, **31.**
principium est universaliter valens; atqui, cum persona altera et tertia producantur, ad relationes esset per se motus ac productio, si quidem personae divinae relationibus constituantur; ergo personae divinae potius proprietatibus absolutis constituuntur atque relationes ad easdem constitutas demum accedunt. — *R.: d.* mai.: principium illud valet quoad relationes creatas et accidentales *c.* quoad relationes increatas et subsistentes *n.*: *d.* min. ad relationes terminaretur motus *n.* productio *sbd.* ad relationes subsistentes *c.* ad relationes accidentales *n.* Et *n.* consequens et consequentiam. Solutio intelligitur ex essentiali differentia inter relationes creatas et increatas, quae supra satis explicata est. Ineptum autem est loqui de motu, quando sermo est de productione personarum divinarum. Cuiusnam autem rationis hae productiones sint, pariter supra iam explicatum est.

4) Si relationes constituant personas, tot erunt personae, **32.**
quot relationes reales sunt; atqui quatuor sunt relationes

reales; personae autem tantum tres sunt; ergo. — *R. d.* mai. tot erunt personae, quot sunt relationes, si quidem inter omnes etiam oppositio vigeat *c.* secus *n.*; *d.* min.: relationes reales quatuor sunt ita tamen, ut inter paternitatem et filiationem ex una parte et spirationem activam ex altera parte oppositio nulla vigeat *c.* secus *n.* Et *n.* consequens et consequentiam. Nimirum *primo* spiratio activa non est propria uni personae ita, ut alteri sit incommunicabilis, sed communis est duabus, Patri et Filio; quare personam ab iisdem distinctam constituere nequit. Neque ideo activa spiratio desinit esse realis relatio, quia, quamvis subiectum eiusdem non sit distinctum a subiecto paternitatis et filiationis, respicit tamen alium et realiter distinctum terminum, Spiritum Sanctum. Quae cum ita sint, communis spiratio neque ad essentiam divinam pertinet, quia relatio est, neque constituit personam, quia communis est; est autem ratio vel principium, propter quod est tertia persona duabus prioribus relative opposita. Quare non concipitur in personis duabus prioribus sicut forma eas constituens, sed potius tamquam attributum in iisdem personis iam constitutis. Apposite *S. Thomas:* „Proprietates personales sunt idem cum personis ea ratione, qua abstractum est idem cum concreto; sunt enim ipsae personae subsistentes, ut paternitas est ipse Pater, et filiatio Filius, et processio Spiritus Sanctus. Proprietates autem non personales sunt idem cum personis secundum aliam rationem identitatis, qua ratione illud, quod attribuitur Deo, est eius essentia. Sic igitur communis spiratio est idem cum persona Patris et cum persona Filii; non quod sit una persona per se subsistens; sed sicut una essentia est in duabus personis, ita et una proprietas.“ (S. th. 1. p. q. 40. a. 1. ad 1.).

33. Verumtamen *secundo* sub certo respectu dici potest, spirationem activam pertinere ad plenam constitutionem ipsarum personarum Patris et Filii. Etenim imprimis quemadmodum ex interna foecunditate naturae divinae est, ut Pater sit intellectio subsistens exprimens Verbum et Filius intellectio subsistens verbo expressa; ita uterque ex foecunditate eiusdem naturae divinae habet, ut sit dilectio spirans.

Spiritum Sanctum. Quemadmodum igitur essentia et paternitas non sunt duo, sed unus; ita etiam paternitas et spiratio activa non sunt duo sed unus relativus subsistens, atque similiter filiatio et spiratio activa non sunt duo, sed unus relativus; qui uterque tamen habet duplicem rationem relativam. Quare ita concepta spiratio activa tamquam constitutivum tum personae Patris, tum personae Filii apparet. — Praeterea ad plenam personae constitutionem id pertinet, quod ipsam reddit distinctam ab aliis et incommunicabilem. Atqui hanc rationem distinctionis et incommunicabilitatis relate ad Spiritum Sanctum nec Pater nec Filius habet nisi per activam spirationem, per quam Spiritui Sancto relative opponuntur. Ergo tum Pater tum Filius in ratione personae plene et perfecte constituuntur per spirationem activam. Ad rem *Ruiz:* „Pater et Filius distinguuntur a Spiritu Sancto eadem ipsa proprietate qua constituuntur. Quapropter sicut radicaliter tantum a Spiritu Sancto distinguuntur per paternitatem et filiationem, ita etiam non plene et integre constituuntur explicito conceptu paternitatis et filiationis, quousque intelligitur explicite spiratio activa, per quam sicut formaliter distinguuntur a Spiritu, ita etiam ultimate et plene constituuntur.“ (Disp. 17. sect. 6.).

5) Si spiratio activa et paternitas necnon spiratio activa 34.
et filiatio, quia non opponuntur, unam primam et alteram secundam personam constituunt; pari ratione dicendum etiam erit, spirationem passivam et paternitatem necnon spirationem passivam et filiationem, cum non opponantur, esse identicas adeoque etiam constituere alteram et alteram personam; atqui ea ratione Spiritus Sanctus non esset solum praecise Spiritus Sanctus sed simul etiam Pater necnon Filius. Ergo personae non constituuntur relationibus vel falsum est principium illud fundamentale: omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. — *R. primo:* Praecise quia spiratio activa, ut ostensum est, in pleno conceptu tum paternitatis tum filiationis includitur, spiratio passiva paternitati et filiationi opponitur atque ab eisdem distinguitur.

35 *Secundo* autem considerandus est ordo processionum. Prima persona est Pater atque in ipso intelligere subsistens completum suum actum immanentem habet Filium; deinde diligere subsistens, quod ratione τὸ intelligere subsequitur in Patre et Filio completum suum actum habet Spiritum Sanctum. Pater igitur in ratione paternitatis et Filius in ratione filiationis iam constitutae sunt secundum nostrum concipiendi modum, priusquam Spiritus Sanctus concipiatur spiratus. Quare Spiritus Sanctus non potest participare sive paternitatem sive filiationem: quamvis enim non sit immediata oppositio, est tamen mediata.

36. Verum *tertio* adhuc alia consideratio addi potest: Nimirum bene et facile concipitur, Patrem ut est stricte Pater, et Filium ut est stricte Filius influere in productionem Spiritus Sancti atque adeo eidem opponi. Etenim Pater, ut est Pater, nihil aliud tandem est, nisi intellectio subsistens producens, et Filius ut est Filius nihil aliud est, nisi intellectio eadem subsistens ut producta. Atqui haec eadem intellectio producens et producta subsistens praelucet sane Patri et Filio in amore, quo Spiritum Sanctum spirant. Ergo quamvis formaliter vel elicitive Spiritum Sanctum amore producant, tamen intellectione etiam influunt non ut principio elicitivo, sed tamquam principio directivo. Ergo Pater et Filius Spirator etiam sub hoc respectu opponuntur Spirato et ab eo distinguuntur. Quare plenus conceptus spirationis activae dicit non meram dilectionem. sed dilectionem intellectione producente et producta directam atque ita producentem, i. e. simul spirationem activam stricte sumptam atque simul paternitatem et filiationem. — *Aliis verbis:* Spiratio activa stricte sumpta praeceditur et dirigitur a paternitate et filiatione; quare passiva spiratio opponitur non tantum spirationi stricte sumptae i. e. dilectioni elicitive producenti, sed etiam spirationi late et adaequate sumptae, quae comprehendit etiam intellectionem producentem et productam dilectioni praelucentem eamque dirigentem i. e. paternitatem et filiationem. *Dices:* tunc Spiritus Sanctus est Pater, quia opponitur intellectioni productae, et simul est Filius, quia etiam opponitur intellec-

tioni producenti; quae sunt absurda. — *R. n.* prorsus; quia ab intellectione producente (i. e. paternitate) pendet tamquam a principio directivo non elicitivo; et quia similiter intellectioni productae (i. e. filiatione) non opponitur nisi ut principio suae productionis directivo. — Restat adhuc argumentatio S. Bonaventurae, ad quam iam facile respondetur:

6) Nihil proprium est in persona divina, quam origo **37.**
et relatio; quare ea ex his proprietatibus dicenda est constituere personas divinas, quae altera prior est; nam proprietas rem constituens omnium prima est. Atqui origo prior est relatione, quia nostro modo concipiendi illa huius ratio atque fundamentum est. Ergo divinae personae potius originibus quam relationibus constituuntur. — *R. primo:* origo minus apte tamquam proprietas assignatur, cum scilicet neque interna neque permanens sit secundum nostrum concipiendi modum. *Secundo* in Patre proprietas personalis praecedit generationem activam, ut dictum est; atque etiam spiratio activa supponit personas Patris et Filii quodammodo iam constitutas. *Tertio* origo passiva i. e. generatio passiva et spiratio passiva praecedunt quidem secundum nostrum modum concipiendi relationes filiationis et processionis, verum secundum eundem modum concipiendi praecedunt etiam personas (i. e. Filium et Spiritum Sanctum) constitutas.

2. De triplici modo concipiendi personas di- **38.**
vinas per relationes constitutas. — Ex omnibus, quae hucusque de relationibus divinis atque de personarum divinarum per easdem constitutione declarata sunt, facile intelligitur, triplici quasi modo personas divinas relationibus constitutas nos concipere posse:

1) Primus modus. — Et primo quidem, quia in personis divinis duplicem distinguimus rationem formalem virtualiter distinctam, rationem scilicet formalem absoluti sive essentiae divinae tribus personis realiter communis et rationem formalem relativi unicuique personae proprii: personam divinam concipere possumus tamquam ipsam essentiam divinam, ut quasi determinata vel affecta est relatione paternitatis, filiationis, spirationis passivae; in qua conceptione es-

sentia divina quodammodo spectatur in recto et relatio eam afficiens vel determinans magis in obliquo. Atque hic concipiendi modus videtur magis accommodatus esse definitioni hypostasis, secundum quam est substantia singularis, completa et tota in se. In eodem autem concipiendi modo illud considerandum est, relationem intrinsecus sane determinare ipsam essentiam vel substantiam; secus difficile foret vel impossibile, tres hypostases vel personas concipere; ea autem consideratione instituta, haec trium personarum conceptio impossibilis non apparet. Etenim eo sensu dici sine errore potest in Deo esse tres substantias, sane non absolutas quidem, sed relativas vel individuas. Ita etiam ipse *S. Thomas:* „Sicut dicimus in Deo tres personas, ita possumus dicere tres substantias individuas, unam tamen substantiam, quae est essentia". (De pot. q. 9. a. 2. ad 9.). Et alibi respondens obiectioni, si plures personae in Deo ponantur, tres etiam esse admittendas substantias, cum persona sit rationalis naturae individua sustantia, haec animadvertit: „Substantia, non ponitur in definitione personae secundum quod significat essentiam, sed secundum quod significat suppositum, quod patet ex hoc, quod additur *individua*. Ad significandum autem substantiam sic dictam habent Graeci nomen *hypostasis*. Unde sicut nos dicimus tres personas, ita ipsi dicunt tres hypostases. Nos autem non consuevimus dicere tres substantias, ne intelligerenter tres essentiae propter nominis aequivocationem." (S. th. 1. p. q. 30. a. 1.).

39. *2) Secundus modus.* — Secundo, quia personae divinae per relationes distinguuntur et constituuntur, etiam possumus concipere personam divinam, ut sit hic relativus informatus velut essentia vel natura divina, vel ut sit hic subsistens in natura divina vel hic habens naturam divinam; in quo modo concipiendi significatur persona velut subiectum in recto atque natura vel essentia tamquam forma adsignificatur sive significatur in obliquo. Atque hic modus concipiendi magis adaptatus apparet definitioni, secundum quam persona est rationalis naturae individua substantia, vel magis adhuc alteri, secundum quam hypostasis est hic distinctus vel subsistens

in natura aliqua et persona hic distinctus vel subsistens in natura rationali. Atque secundum hunc modum concipiendi facilius adhuc et aptius intelligitur, esse tres personas in divinitate, non autem unam, quamvis una tantum sit essentia vel natura divina. Apposite *S. Thomas:* „Hoc nomen *persona* significat subsistentem in natura divina cum distinctione et incommunicabilitate; hoc autem nomen Deus significat habentem naturam divinam, nihil importans de distinctione vel incommunicabilitate: ideo non est simile" (i. e. nomen *persona* pluraliter, nomen autem *Deus* singulariter de Trinitate praedicatur).

In utroque autem concipiendi modo facile apparet, divinas personas constitui relationibus, quia scilicet per relationes distinguuntur, distinctio autem pertinet ad rationem formalem personae.

3) Tertius modus. — Est autem adhuc tertius modus **40.**
concipiendi, quo „persona divina", ut notat Cardinalis Pallavicinus, „dicit integrum conceptum relationis tamquam quid simplex et perfectum". Aliis verbis: persona divina nihil aliud est secundum hunc concipiendi modum, nisi relatio divina: non dico simpliciter: nisi relatio, sed: nisi relatio *divina.* Relatio enim divina non est accidens, sed est ipsa substantia divina sub formali ratione relativi; et quidem sub formali ratione alterius relationis est alia et alia persona divina: Pater, Filius, Spiritus Sanctus. Atque hac ratione sane adhuc melius concipitur personas divinas per relationes constitui atque hic modus concipiendi etiam magis respondet absolutae simplicitati divinae. Etiam *S. Thomas* non raro hanc conceptionem supponit vel adhibet, ut v. g.: „Sicut essentia in Deo idem est et habens divinam essentiam, ut Deitas et Deus; ita idem est relatio et quod per relationem refertur. Unde sequitur, quod idem sit relatio et distinctum in natura divina subsistens." (De pot. q. 9. a. 4.). Et alibi iterum: „Personae sunt ipsae relationes subsistentes . . . Unde non repugnat simplicitati divinarum personarum, quod relationibus distinguantur." (S. th. 1ª. p. q. 40. a. 2. ad 1.). Denique iterum alibi hinc explicat, plures dici et esse in Deo

personas: „Hoc nomen persona significat in divinis relationem ut rem subsistentem in natura divina. Supra autem habitum est . . .. quod sunt plures relationes reales in divinis; unde sequitur quod sint plures res subsistentes in divina natura. Et hoc est esse plures personas in divinis." (S. th. 1. p. q. 30. a. 1.).

Corollaria.

41. ***1. Nomen personae in Deo non quidem formali, attamen materiali significatione dicit relationem seu relativum.*** — Quae assertio sequitur ex praecedenti doctrina atque egregie explicatur a *S. Thoma:* „Aliquid significat dupliciter, uno modo *formaliter* et alio modo *materialiter*. *Formaliter* quidem significatur per nomen id, ad quod significandum nomen est principaliter impositum, quod est ratio nominis, sicut hoc nomen *homo* significat aliquid compositum ex corpore et anima rationali. *Materialiter* vero significatur per nomen illud, in quo talis ratio salvatur; sicut hoc nomen *homo* significat aliquid habens cor et cerebrum et huiusmodi partes, sine quibus non potest esse corpus animatum anima rationali. Secundum hoc ergo dicendum est, quod hoc nomen *persona* communiter sumptum nihil aliud significat quam substantiam individuam rationalis naturae. Et quia sub substantia individua rationalis naturae continetur substantia individua, id est incommunicabilis et ab aliis distincta tam Dei quam hominis quam etiam angeli, oportet quod persona divina significet subsistens distinctum in natura divina, sicut persona humana significat subsistens distinctum in natura humana. Et haec est formalis significatio tam personae divinae, quam personae humanae. Sed quia distinctum subsistens in natura humana non est, nisi aliquid per individualem materiam individuatum et ab aliis diversum, ideo oportet, quod hoc sit materialiter significatum, cum dicitur persona humana. Distinctum vero incommunicabile in natura divina non potest esse nisi relatio, quia omne absolutum est commune et indistinctum in divinis. Relatio autem in Deo est idem secundum

rem, quod eius essentia. Et sicut essentia in Deo idem est et habens essentiam, ut deitas et Deus, ita idem est relatio et quod per relationem refertur. Unde sequitur, quod idem sit relatio et distinctum in natura divina subsistens. Patet ergo, quod persona communiter sumpta significat substantiam individuam rationalis naturae, persona vero divina *formali* significatione distinctum subsistens in natura divina. Et quia hoc non potest esse nisi relatio vel relativum, ideo *materiali* significatione significat relationem vel relativum. Et propter hoc potest dici, quod significat relationem per modum substantiae, non quae est essentia, sed quae est hypostasis, sicut et relationem significat non ut relationem, sed ut relativum, id est ut significatur hoc nominè *Pater*, non ut significatur hoc nomine *paternitas*. Sic enim relatio significata includitur oblique in significatione personae divinae, quae nihil aliud est, quam distinctum relatione subsistens in essentia divina." (De pot. q. 9. a. 4.).

Quae breviter sic comprehendi possunt: Duo in tribus **42.**
illis in natura divina distinctis spectanda sunt: *primo* quidem, quod sunt aliquid distinctum ab invicem et incommunicabile, atque ideo unusquisque eorum habet rationem substantiae individuae rationalis naturae; hoc ipsum autem nomine personae formaliter significatur. *Secundo* spectandum est, quod ita distincti non sunt neque ideo rationem substantiae rationalis naturae habent nisi sub ratione formali relationis substantialis; atque hoc alterum nominè *personae* non formaliter significatur, cum haec non sit vis significandi huic nomini imposita; verumtamen materiali significatione etiam hoc alterum eodem nomine exprimitur, quia scilicet quod formali significatione exhibet, id in Deo relativum vel relatio subsistens est. Contra hanc tamen S. Thomae expositionem aliqua excipiuntur, quae maioris claritatis causa expedienda sunt:

Et primo quidem excipitur ex S. Augustino, utpote qui **43.**
asserit *ad se* dici personam; quare ex ipsius mente persona divina neque materiali significatione videtur dicere relationem: ait enim *Augustinus:* „Ut substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est; ita etiam persona Patris

non aliud, quam ipse Pater est; ad se quippe dicitur persona, non ad Filium vel Spiritum Sanctum; sicut ad se dicitur Deus et magnus et bonus et iustus." (De Trinit. l. 7. n. 11.). — Verum haec non pugnant cum explicatione *S. Thomae:* etenim, ut ipse notat: „Hoc (i. e. haec Augustini loquendi ratio) provenit ex formali significatione personae, quod ad se dicitur, et ad aliud non refertur." (L. c. ad 3.). Quae responsio revera mentem S. Augustini fideliter reddit. Spectato enim contextu verba S. Doctoris obiecta tantum significant, Deum Patrem, ut nomine personae exprimitur, in seipso subsistere, non autem subsistentiam alterius esse; quare S. Doctor subiicit: „Quid ergo, num placet, ut dicamus Patrem personam esse Filii et Spiritus Sancti?" (Ibid.).

44. *Secundo excipitur:* „Hoc nomen *persona* significat substantiam primam, qua nihil est magis absolutum, cum sit per se existens; ergo hoc nomen *persona* non significat relationem, sed aliquid absolutum." — *R.* „Substantia prima dicitur absoluta, quasi ab alio non dependens. — Relativum autem in divinis non excludit absolutum, quod est ab alio independens; sed excludit absolutum, quod ad aliud non refertur." (*S. Thomas,* de pot. q. 9. a. 4. ad 10.).

45. *Tertio excipitur:* „Nullum nomen significat res diversorum generum nisi aequivoce; . . . manifestum est autem, quod persona in angelis et hominibus non significat relationem, sed aliquid absolutum. Si ergo in Deo significet relationem, erit aequivoce dictum." — *R.* „Hoc quod persona aliud significat in Deo et homine, pertinet ad diversitatem suppositionis (vel materialis significationis) magis, quam ad diversam significationem (formalem) huius communis, quod est persona. Diversa autem suppositio (vel significatio materialis) non facit aequivocationem, sed diversa significatio formalis). (Ibid. ad 6.)

46. *Quarto excipitur:* „Si relatio in divinis est distinguens, persona autem est quid distinctum non distinguens, non significabit relationem nomen personae." — *R.* „Sicut relatio significat ut distinguens in divinis, ita relatum significatur ut distinctum. In Deo autem non est aliud relatio et relatum,

sicut nec essentia et quod est; et ideo nec distinguens et distinctum in Deo differunt" (Ibid. ad 16.).

Quinto excipitur: Relationes in divinis dicuntur esse proprietates. Persona autem significat aliquid substans proprietati. Non ergo significat relationem." — *R.* „Proprietas in divinis non est accidentalis, sed est idem secundum rem ei, cuius est proprietas; sed differt secundum modum intelligendi. Persona ergo non significat relationem prout est proprietas, sed prout est proprietati et essentiae subsistens (substans" (Ibid. ad 17.). **47.**

Sexto excipitur: „Augustinus ibidem (l. c. c. 4) dicit, quod quamvis commune est illis, scilicet Patri et Filio et Spiritui Sancto nomen essentiae, ita ut singulus quisque dicatur essentia, tamen illis commune est personae vocabulum. Sed relatio in divinis non est commune, sed distinctivum. Ergo persona in divinis non significat relationem." — *R.* „Essentia est communis re in divinis, sed persona secundum rationem tantum, sicut et hoc nomen relatio." (Ibid. ad 4.) — Verum contra hanc solutionem *instari potest* hoc modo: „In divinis non est universale; unde Augustinus (in eodem libro c. 6.) improbat opinionem illorum, qui dicebant, quod essentia in divinis est sicut genus vel sicut species, persona vero sicut species vel individua. Quod autem est commune ratione et non re, est commune per modum universalis. Ergo persona non est commune in divinis ratione tantum, sed etiam re; et ita non potest significare relationem." — *R.* „In divinis nihil est diversificatum secundum esse, cum ibi sit tantum unum esse. Hoc autem est contra rationem universalis; et ideo non est ibi universale, licet sit ibi unum secundum rationem et non secundum rem." (Ibid. ad 5.) Ita recte S. Thomas; verum explicatione aliqua ulteriore indiget, quid sit commune ratione pluribus neque tamen universale; quam explicationem iterum ex S. Thoma exhibet sequens propositio. **48.**

2. *Nomen personae est commune communitate rationis, non sicut genus vel species, sed sicut individuum vagum.* — Quod egregie explicat *S. Thomas:* „Ipse modus loquendi ostendit hoc nomen *persona* tribus esse **49.**

commune, cum dicimus tres personas; sicut cum dicimus tres homines, ostendimus hominem esse commune tribus. Manifestum est autem, quod non est communitas rei, sicut una essentia communis est tribus; quia sic sequeretur unam esse personam trium, sicut essentia est una. Qualis autem sit communitas investigantes diversimode locuti sunt. Quidam enim dixerunt, quod est communitas negationis, propter hoc quod in definitione personae ponitur *incommunicabile*. Quidam autem dixerunt quod est communitas intentionis, eo quod in definitione personae ponitur individuum; sicut si dicatur quod esse speciem est commune equo et bovi. Sed utrumque horum excluditur per hoc, quod hoc nomen *persona* non est nomen negationis neque intentionis, sed nomen rei.

50. Et ideo dicendum est, quod etiam in rebus humanis hoc nomen *persona* est commune communitate rationis, non sicut genus vel species, sed sicut individuum vagum. Nomina enim generum vel specierum, ut homo vel animal, sunt imposita ad significandum ipsas naturas communes, non autem intentiones naturarum communium, quae significantur his nominibus, *genus* vel *species*. Sed individuum vagum, ut *aliquis homo*, significat naturam communem cum determinato modo existendi (essendi), qui competit singularibus; ut scilicet sit per se subsistens distinctum ab aliis. Sed in nomine singularis designati significatur determinatum distinguens, sicut in nomine Socratis haec caro et hoc os. Hoc tamen interest, quod *aliquis homo* significat naturam vel individuum ex parte naturae cum modo existendi, qui competit singularibus; hoc autem nomen *persona* non est impositum ad significandum individuum ex parte naturae, sed ad significandum rem subsistentem in tali natura. Hoc autem est commune secundum rationem omnibus personis divinis, ut unaquaeque earum subsistat in natura divina distincta ab aliis. Et sic hoc nomen *persona* secundum rationem est commune tribus personis divinis" (S. th. 1. p. q. 30. a. 4.). — Quae contra opponuntur, facile solvuntur:

51. *Excipitur primo:* „Commune opponitur incommunicabili. Sed de ratione personae est, quod sit incommunicabilis . . .

Ergo hoc nomen *persona* non est commune tribus.“ — *R.* „Licet persona sit incommunicabilis, tamen ipse modus existendi incommunicabiliter potest esse pluribus communis“ (Ibid. ad 2.).

Excipitur secundo: „Si est commune tribus, aut ista 52.
communitas attenditur secundum rem aut secundum rationem. Sed non secundum rem, quia sic tres personae essent una persona; nec iterum secundum rationem tantum, quia sic persona esset universale. In divinis autem non est universale, nec etiam particulare, neque genus, neque species . . . Non ergo hoc nomen *persona* est commune tribus.“ — *R.* „Licet sit communitas rationis et non rei, tamen non sequitur, quod in divinis sit universale vel particulare vel genus vel species; tum quia neque in rebus humanis communitas personae est communitas generis vel speciei, tum quia personae divinae habent unum esse; genus autem et species et quodlibet universale praedicatur de pluribus secundum esse differentibus“ (Ibid. ad 3.).

3. Nulla est in Deo subsistentia absoluta, 53.
neque essentia divina, ut distinguitur a relationibus, subsistere recte dici potest. — Circa hanc rem aliquando inter theologos scholasticos controversia aliqua vel dubitatio exstitit. Verumtamen, si recte considerata sit et intellecta doctrina hucusque proposita, tota res adeo clara est, ut disputatio circa ipsam esse non possit nisi fere de nomine. *Et primo quidem res aperta est accepto nomine subsistentiae sensu stricto et iam communi et usitato.* Etenim ut supra dictum est, tria ad rationem hypostasis sive subsistentiae requiruntur: primo ut sit substantia singularis et completa; secundo ut non sit ad modum naturae habita ab altiori hypostasi, quemadmodum natura humana Christi possidetur a Verbo divino; tertio ut non sit realiter communis pluribus distinctis. Iamvero naturae divinae duo priora quidem competunt, non autem competit tertium, quia realiter communis est Patri, Filio, Spiritui Sancto. Ergo natura divina non est hypostasis sive subsistentia, vel nulla est in Deo subsistentia absoluta.

54. *Si vero secundo subsistentia sumatur in sensu latiori ita, ut comprehendat duo priora vel etiam primum tantum, tunc sane dici potest essentiam divinam subsistere vel esse in Deo subsistentiam absolutam.* Atque hoc sensu loquitur v. g. *Suarez:* „Perfectio, de qua agitur, praecipue dicit perseitatem essendi, quae ex proprio conceptu non postulat omnimodam incommunicabilitatem, sed tantum illam, quae est ad rem aliquo modo actualiter distinctam a parte rei, ut in illa vel per illam sustentetur . . . Vox ergo *subsistentia*, licet in multis conciliis et auctoribus usurpetur pro hypostasi, non tamen semper. Nunc autem usu frequentiori non sumitur illa vox pro concreto, sed pro abstracto, ut ipsa sonat, scilicet pro ratione subsistendi, cui respondet ut concretum subsistens, quod latius patet, quam persona vel suppositum, quia dicitur etiam de subsistente communicabiliter." Atque hoc sensu deinceps dicit, esse in Deo unam subsistentiam absolutam et tres relativas. (De Trinit. l. 4. c. 11.; cf. l. 3. c. 4; de Incarnat. disp. 11. s. 3.). — Atque his quidem quoad rem nihil falsum continetur; verumtamen sine ulla necessitate vel utilitate, imo vero cum dispendio claritatis et in conceptuum perturbationem relinquitur modus loquendi in ecclesia iam sollemnis, secundum quem in doctrina de Trinitate necnon de Incarnatione per subsistentiam concrete sumptam intelligitur hypostasis, abstracte sumptam formalis eiusdem ratio sive incommunicabilitas, atque alio insuper a praesente materia alieno sensu adhibetur. Quare multum praestat servare eum modum loquendi, quo essentia divina dicitur non subsistere nec ulla esse in Deo subsistentia absoluta.

55. *Tertio fuerunt etiam theologi, qui docerent, non relationes tribuere subsistentiam essentiae, sed econtra relationibus essentiam ideoque unam esse subsistentiam absolutam tribus personis communem.* Ita *Cajetanus:* „Natura divina ex seipsa subsistit nec mendicat subsistentiam a suppositis, imo confert eam illis" (In 1. q. 39. a. 4.). Quare „subsistere in divinis est essentiale et personale . . . tam essentia quam persona est formaliter subsistens et simul non sunt quattuor sed tres subsistentiae" (In 3. p. q. 3. a. 2.). *Durandus* vero

haec notat: „Suppositum divinum subsistit per essentiam et non per proprietatem relativam“ (In 3. d. 1. q. 2. n. 7.); ergo sequitur „subsistere in divinis esse unicum et absolutum competens omnibus personis ratione essentiae“ (ibid.); etenim in divinis „ratio formalis suppositi (hypostasis) non est per se subsistentia sed est aliud; est enim suppositum formaliter per proprietatem relativam, subsistit autem non per proprietatem relativam, sed per essentiam vel substantiam“ (Ibid.). — Verum etiam haec saltem ambigue dicuntur et ad confusionem mentibus ingerendam facile vergunt; quare distinguenda sunt: nimirum dici potest ex una parte relationes divinas subsistere per essentiam, quatenus per suam cum eadem identitatem substantiales sunt vel id habent, ut sint substantia singularis et completa; ex altera autem parte aeque verum est, essentiam divinam per relationes demum id habere, ut sit in tribus realiter distinctis et incommunicabilis; vel personae divinae ab essentia habent substantialitatem, verum incommunicabilitatem vel distinctionem a relationibus accipiunt. Neque aliud quidpiam docet *S. Thomas* his verbis: „Relationes in divinis, etsi constituant hypostases et sic faciant eas subsistentes, hoc tamen faciunt, in quantum sunt essentia divina; relatio enim in quantum est relatio non habet quod subsistat vel subsistere faciat: hoc enim solius substantiae est“ (De pot. q. 8. a. 3. ad 7.). Itaque iam relinguatur termino sensus per usum Patrum et conciliorum consecratus; atque hoc sensu stricto subsistentia dicit incommunicabilitatem et distinctionem; quare in divinitate non potest esse nisi relativa.

Quod autem quarto Cajetanus locis citatis adhuc ultra 56.
procedens asserit: scilicet praescindendo a relationibus esse et intelligi debere non modo Deum sed etiam hunc Deum, atque hinc Deum sic conceptum esse suppositum et personam licet non omnino complete, cum sit aliquid tribus personis distinctis commune —; hoc, inquam, etiam quoad ipsam rem falsum est. Apposite omnino Cardinalis *Franzelin:* „Atvero sive dicatur *Deus* sive *hic Deus,* is non est alius quam Pater, Filius, Spiritus Sanctus tres simul personae et quaelibet earundem. Adeoque assumpta revelatione trium personarum divinarum

nomen *Deus* sive *hic Deus* non significat aliud quam divinam naturam unam non multiplicabilem cum adsignificatione subsistentiae vel indeterminate et in confuso, vel subsistentiae trinae, vel determinate subsistentiae unius ex tribus. Quovis vero modo adsignificetur subsistentia, ea semper habet formalem rationem relativi; discrimen solum est aliquod in nostro modo concipiendi, quod in secundo et tertio modo expresse concipimus subsistentiam ut relativam, in primo modo possumus eam concipere confuse sine *expressa* notione relativi; attamen etiam in confuso non potest secundum rei veritatem concipi subsistentia divina cum exclusione relativi et sub expressa ratione absoluti, cum obiective et a parte rei non sit nisi sub ratione formali relativi“ (Thesis 24. II.).

57. *Opponi autem potest contra totam hanc expositionem,* essentiam divinam, si dicatur non subsistere, necessario tamquam imperfectam concipi; cum recte et vere nonnisi tamquam ipsa plenitudo entis adeoque infinita concipiatur. — *R. Primo* essentia divina in doctrina proposita imperfecte quidem, sed non ut imperfecta concipitur: Scilicet primo concepta ut distincta virtualiter a relationibus est tantummodo essentia non autem hypostasis vel persona; in ratione essentiae autem est prorsus infinita; quare id quod concipitur, prorsus tamquam perfectum concipitur; solummodo aliqua ratio non concipitur, quin tamen eandem adesse ullo pacto negetur. Similiter concepta omnipotentia non concipitur omniscientia, et concepta aeternitate non concipitur immensitas, quamvis omnipotentia et aeternitas concipiantur tamquam aliquid omnino perfectum. — *Excipies* disparitatem esse, cum omnipotentia omniscientiam et aeternitas immensitatem implicite contineat, essentia autem secundum datam declarationem subsistentias neque implicite comprehendat. — *R. Secundo* essentia divina, quia est infinita, necessario continet omnem perfectionem absolutam, quae est et esse potest; ergo etiam illam perfectionem absolutam, qua cre[illegible] hypostases vel personae constituuntur; atque etiam ipsam aliquo modo subsistere propter eiusdem infinitatem necessario concipimus. Verum eandem subsistere per suam cum relationibus identitatem: hoc, in-

quam, tantum ex revelatione comperti sumus; hoc igitur in conceptu essentiae non ita continetur, ut inde a nobis ratiocinando erui possit. Quare conceptus essentiae infinitae continet quidem implicite necessitatem alicuius subsistentiae indeterminate, sed hunc triplicem modum subsistendi per relationes non continet. Neque ideo essentia concipitur ut imperfecta quia nihil ei perfectionis deesse concipitur. — *Tertio* autem insuper considerandum est, ex foecunditate ideoque ex interna perfectione naturae vel essentiae divinae esse, quod tribus realiter distinctis communicabilis sit vel tres realiter distinctas subsistentias sibi identicas habeat. — *Quarto* denique obliviscendum non est, relationes quibus personae constituuntur, quatenus dicunt merum *esse ad* atque ab essentia divina virtualiter distinguuntur, non esse perfectiones ideoque nihil perfectionis ad essentiam addere. Atque hac animadversione difficultas omnis, si qua forte maneat adhuc post priores notationes, penitus removetur.

4. *Paternitas immediate ex natura divina ut tali consequitur; innascibilitas autem, quae quodam sensu privatio dici potest, in paternitate fundatur.* — Duo vel tria asseruntur, quae distincte probanda vel explicanda sunt. 58.

1) *Paternitas immediate ex natura divina ut tali consequitur.* — Quae assertio ex ipsa ratione mysterii derivatur, prout hucusque explicatum est. Etenim *primo*, cum unicuique naturae substantiali conveniat subsistere sive esse hypostasin vel personam, id a fortiori naturae divinae competit. Ergo quod natura divina secum afferat aliquam personalitatem, ratio in eo invenitur, quod est natura substantialis. *Secundo* autem, quod natura divina secum afferat personalitatem relativam, non absolutam, in eo fundatur, quod propter foecunditatem suam internam pluribus personis media reali productione communicabilis est. Denique *tertio* quod afferat immediate et primo personalitatem Patris, ratio est, quia communicatio naturae in divinitate fieri nequit nisi per intellectionem et amorem; communicatio autem naturae sive productio per intellectionem praecedit ratione eam per amorem necnon ra-

tionem generationis habet ideoque principium eiusdem Pater dicitur et est. Hinc igitur intellectio foecunda adeoque ipsa paternitas immediate et primo ex ipsa natura divina consequi intelligitur.

59. *Praeterea intelligitur* proprietatem Patris non fundari in origine Filii sed vicissim; aliis verbis: primam personam non ideo Patrem esse quia generat, sed potius, ut generet, vel eandem generare, quia Pater est. Quia autem in divinis esse et posse unum idemque sunt, paternitas et actus generandi, ut iam supra dictum est, formaliter identificantur.

Deinde intelligitur, paternitatem ratione priorem esse filiatione, quia illa immediate ex natura qua tali consequitur, processio autem Filii supponit essentiam paternitate terminatam, quia Filius non ab essentia, sed paersona Patris procedit. Denique consequitur, paternitatem esse fundamentum innascibilitatis; quod iam magis explicandum est.

60. *2) Innascibilitas quodam sensu privatio dici potest.* — Terminus *ingenitus* vel *innascibilitas* triplici sensu sumitur, ut iam supra dictum est: *primo* quidem sensu excludit creationem; *secundo* vero excludit generationem proprie dictam; *tertio* denique excludit omnem originem passivam. Hoc autem tertio sensu sumitur, cum proprietas Patris esse dicitur. Iamvero terminum ita sumptum quodam sensu dicere privationem, sic declarat *S. Thomas:* „Ingenitum quandoque sumitur negative tantum et secundum hoc Hieronymus dicit (innuitur lib. 1. Didymi de Spiritu Sancto, quem Hieronymus latine reddidit, et est inter eius opera) Spiritum Sanctum esse ingenitum, id est, non genitum. Alio modo potest dici ingenitum aliquo modo privative; non tamen aliquam imperfectionem importat. Multipliciter enim dicitur privatio: *uno modo,* quando aliquid non habet quod natum est haberi ab alio, etiamsi ipsum non sit natum habere illud: sicut si lapis dicatur res mortua, quia caret vita, quam quaedam res natae sunt habere. *Alio modo* dicitur privatio, quando aliquid non habet, quod natum est haberi ab aliquo sui generis: sicut si talpa dicatur coeca. *Tertio modo* quando

ipsum non habet quod natum est habere; et hoc modo privatio imperfectionem importat. Sic autem *ingenitum* non dicitur privative de Patre, sed secundo modo, prout scilicet aliquid suppositum divinae naturae non est genitum, cuius tamen naturae aliquod suppositum est genitum. Sed secundum hanc rationem etiam de Spiritu Sancto potest dici *ingenitum*. Unde ad hoc, quod sit proprium soli Patri, oportet ulterius in nomine *ingeniti* intelligere, quod conveniat alicui personae divinae, quae sit principium alterius personae; ut sic intelligatur importare negationem in genere principii personaliter dicti in divinis: vel ut intelligatur in nomine *ingeniti*, quod omnino non sit ab alio; et non solum, quod non sit ab alio per generationem. Sic enim nec Spiritui Sancto convenit esse *ingenitum*, qui est ab alio per processionem ut persona subsistens; nec etiam divinae essentiae, de qua potest dici, quod est in Filio vel in Spiritu Sancto ab alio, scilicet a Patre" (S. th. 1. p. q. 34. a. 4.). Itaque breviter: Innascibilitas privationem quidem dicit, verum privationem eiusmodi, quae non denotet carentiam alicuius positivi, quod Patri inesse deberet; verum carentiam denotat alicuius, quod eidem convenire posset, non quatenus Pater, sed quatenus persona divina est. Privatio enim aliquando carentiam denotat in subiecto apto non in individuo, sed in specie vel genere spectato.

3) Innascibilitas in paternitate fundatur. — Haec **61.** quaestio de fundamento vel radice innascibilitatis intelligenda est ad modum quaestionis, quae institui solet de relatione rationis et rationati inter varia attributa divina, ut puta cum quaeritur, quaenam sit ratio, cur Deo voluntas conveniat, et respondetur, convenire eam Deo, quia intellectualis naturae est. Qua notatione facta *assertio ex prioribus consequi intelligitur:*

Nam paternitas omnium proprietatum simpliciter prima est, utpote quae sola tantum quod commune est supponit, nihil autem quod proprium sit. Videlicet ex ipsa natura qua tali efflorescit. Nam natura divina propter internam suam foecundidatem postulat communicari pluribus personis

et primo quidem per intellectionem. Quo posito iam adesse concipitur paternitas eamque consequuntur ceterae proprietates, ut filiatio et spiratio passiva; consequitur etiam innascibilitas. Etenim cum nativitas vel generatio sit primus modus, quo communicari possit et reipsa communicetur natura divina, ipse Deus Pater, a quo nascitur Filius, praecise ideo, quia est Pater neque ab alio nasci neque alio quocunque modo ab altera persona divina procedere potest. Hoc ipsum autem est ingenitum esse vel haec est ipsa innascibilitas. Quare innascibilitas reipsa in paternitate fundari vel radicem suam habere intelligitur. Atque ipsum nomen quoque ingeniti vel innascibilitatis, utpote quod negativum est, idem innuere videtur.

Articulus quartus.

De relationibus, ut sunt actus notionales.

Thesis 16: **Cum actus notionales, qui personis tribuuntur, formaliter ipsae sint personarum relationes atque ab iisdem nonnisi modo significandi differant; tamquam potentia sive principium quo productionum consideranda est essentia connotata relatione; terminus autem adaequatus productionum est persona; formalis vero terminus essentia est.**

Declaratio.

1. *Argumentum thesis et notio actus notionalis.* — Cum de divinis rebus generatim cogitare ac loqui non possimus nisi ad analogiam rerum creatarum, id profecto de productione personarum divinarum quoque valet; quare, ut in productionibus creatis ad accuratiorem earum cognitionem acquirendam distingui solent productionis actus et principium sive potentia necnon terminus adaequatus et formalis eiusdem, ita theologi etiam in divinarum productionum immanentium actus, potentiam sive principium, terminum adaequatum, terminum formalem distinctim inquirere solent. Quod ipsum igitur in hac thesi praestandum est.

Porro actus, quibus personae divinae producuntur vel procedunt, generatio et spiratio, uni vel duabus personis proprii sunt ideoque notionales vocantur in oppositione ad actus absolutos, qui tribus personis divinis communes sunt. Ratio autem, ob quam illi actus *notionales* vocantur, aperta est. Etenim sicut relatio divina personalis significata per modum formae permanentis dicitur *notio* vel *proprietas notionalis,* quatenus innotescere facit personam actu constitutam; ita actus productionis dicitur *actus notionalis,* in quantum innotescere facit rationem originis personarum divinarum. Hoc igitur sensu etiam communiter a theologis actus notionales accipiuntur. **2.**

Quibus praenotatis thesis iam facile demonstratur tribus partibus. In *prima scilicet parte* probatur, actus notionales etiam formaliter nihil esse nisi ipsas personarum relationes, ita ut nonnisi modo significandi ab invicem differant; in *secunda parte* ostenditur, potentiam sive principium *quo* actuum notionalium esse ipsam essentiam divinam connotata relatione; *in tertia parte* evincitur, terminum adaequatum productionum esse personam necnon terminum formalem earundem esse iterum essentiam connotata relatione. Denique quaestiones quaedam annexae *in corollariis et scholiis* adiectis expedientur. **3.**

Demonstratio.

1. p. Actus notionales formaliter sunt ipsae personarum relationes ita, ut ab iisdem nonnisi modo significandi differant.

Duo in hac parte asseruntur, quae distincte demonstranda sunt: **4.**

1. Actus notionales formaliter idem sunt ac ipsae personarum relationes. — Quod tribus argumentis demonstratur:

1) Ex formali identitate actuum notionalium cum originibus sive productionibus. — Ut ex declaratione actuum notionalium modo proposita manifestum est, actus notionales secundum id quod dicunt in re formaliter prorsus idem sunt cum originibus sive productionibus; solummodo ad origines

addunt respectum rationis ad cognitionem nostram; atqui, ut supra iam ostensum est, origines formaliter idem sunt cum relationibus personarum: ergo manifeste consequitur: actus notionales secundum id quod dicunt in re formaliter idem sunt cum relationibus personarum. Itaque actus generandi idem formaliter est ac relatio paternitatis et actus nascendi idem formaliter ac relatio filiationis; similiter actus spirandi formaliter identicus est cum relatione spirationis activae et actus spirationis passivae cum relatione spirationis passivae formaliter idem est.

5. *2) Ex eo, quod in divinis duo tantum praedicamenta valent.* — Nimirum omnia quaecunque de Deo praedicantur aut secundum substantiam aut secundum relationes dicuntur; atqui actus notionales, utpote qui singulis personis proprii non autem omnibus communes sunt, non dicuntur secundum substantiam: ergo necessario secundum relationes dicuntur. — *Confirmatur ex S. Augustino,* quippe qui non ambigue hanc veritatem contra adversarios Trinitatis urget: „Propter eos, quibus ideo videtur, non eandem Patris et Filii esse substantiam, quia omne quod de Deo dicitur, secundum substantiam dici putant, et propterea *gignere* et *gigni,* quoniam diversa sunt, contendunt substantias esse diversas: demonstratur, non omne quod de Deo dicitur, secundum substantiam dici, sed dici etiam relative, id est: non ad se, sed ad aliquid, quod ipse non est; sicut Pater ad Filium dicitur“ (De Trinit., l. 15. n. 5. cf. l. 5. n. 4. ss.). Profecto enim gignere et gigni actus notionales sunt; eos igitur Augustinus relative dici asserit. Quare actus notionales formaliter relationes sunt, nequaquam autem operationes vel actiones proprio et formali sensu, utpote quae, cum ponant rem absolutam, de Deo secundum substantiam dicuntur.

6. *3) Ex propria ratione actionis vel operationis.* — Quod argumentum ita evolvit *Cardinalis Billot:* „Actio vel operatio dicit de formali exercitium virtutis et potentiae activae. Si ergo divina generatio esset formaliter operatio, virtus activa generantis sese exerceret circa generatum, et ei influeret esse. Unde genitus esset evidentissime aliquid factum contra id, quod dicimus in symbolo: *Genitum non factum.* Quapropter

dicendum omnino est, communicationem naturae ad intra nihil aliud ponere quam ordinem unius relativi subsistentis ad correlativum consubstantialem. Et ordo quidem dicens *a quo correlativus* est communicatio active sumpta, quae per verba activa grammaticaliter exprimitur; ordo vero oppositus *qui a correlativo* est communicatio passive accepta, quae per verba passiva grammaticaliter etiam enuntiatur. Unde sicut iam ab initio praemonuimus, Patrem dare naturam Filio, Filium accipere naturam a Patre, Spiritum Sanctum accipere vel audire ab utroque, hoc unum importat secundum rei veritatem: esse nimirum unam summam rem absolutam, quae cum sit numerice communis tribus relativis suppositis, est in uno cum relatione principii ingeniti, in altero cum relatione procedentis ab ingenito, in tertio demum cum relatione procedentis a genito simul et ingenito" (Thesis 27.). Cf. supra thes. 14. n. 26 ss.

2. Actus notionales a relationibus personarum modo significandi differunt. — Haec assertio iam aperta est ex eis, quae supra notata sunt: Etenim *primo* relationes significantur per modum formae permanentis et personas constituentis; actus autem notionales per modum actionis transeuntis, qua persona producat vel producatur. *Secundo* cum relationes in sua significatione respectum ad cognitionem nostram non includant, sed tantum aliquid, quod formaliter est in Deo, significent; e contra actus notionales, sicuti etiam notiones in sua significatione eiusmodi respectum ad nostram cognitionem includunt; quare tum notiones tum actus notionales extra mentem nostram in Deo non formaliter quidem, sed tantum materialiter inveniuntur. Atque haec est ratio, ut item recte notat Cardinalis Billot (l. c.), ob quam S. Thomas de notionibus et actibus notionalibus agens quaestionem ponat: „utrum sint *ponendae* notiones in divinis" (q. 32. a. 2.), et „utrum actus notionales *attribuendi* sint personis" (q. 41. a. 1.), de processionibus autem et de relationibus tractans potius simpliciter quaerat: „Utrum processio *sit* in divinis" (q. 27 a. 1.), necnon: „Utrum in Deo *sint* aliquae relationes reales" (q. 28. a. 1.).

2. p. Principium quo sive potentia productionum divinarum sive actuum notionalium est essentia divina connotata relatione.

8. In omni origine vel productione discerni solent *principium quod* et *principium quo. Principium quod* autem ipsum est subiectum operans vel illud, cuius operatione res oritur. Iamvero analoge ad alias operationes in SS. Trinitate subiectum sua operatione producens alteram et tertiam personam non est essentia divina, sed est prima et altera persona. Etenim cum subiectum producens et terminus productus necessario ab invicem realiter distinguantur, essentia divina, si quidem subiectum producens personas esset, ab iisdem realiter distingueretur; atvero essentia divina, ut *Concilium Lateranense* loquitur, „veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres simul personae et singulatim quaelibet earum"; ergo non essentia, sed persona est subiectum productionis immanentis; ut idem Concilium infert: „Illa res (essentia sive natura divina) non est generans . . ., sed Pater est, qui generat." Itaque manifestum est, *principium quod* divinarum productionum immanentium personas esse. — Sed non aeque manifesta est quaestio de *principio quo* sive de potentia earundem productionum, qua personae producunt: quare circa hanc quaestionem aliquis dissensus inter theologos invenitur. Et nonnulli quidem statuerunt, potentiam illam esse proprietatem personalem, quatenus in natura inest. Ita v. g. S. Bonaventura (In 1. d. 7. a. 1. q. 1.) et Durandus (ibid. q. 2.) necnon aliqui recentiores. Alii autem posuerunt, proprietatem simul cum natura potentiam esse, qua personae producantur: atque hanc sententiam aliquando ipse S. Thomas proposuit (In 1. d. 7. q. 1. a. 2.), atque eandem defendit v. g. Gregorius de Valentia (t. 1. d. 2. q. 15. p. 2.). Verumtamen plerique theologi eam doctrinam tenent, quam S. Thomas in summa theologica (1. p. q. 41. a. 5) statuit: quae doctrina tanquam certa considerari potest et iam demonstratur secundum duplicem assertionem, quam continet, praemissa tantum alia assertione praevia:

9. ***1. Agnoscenda est in Deo potentia seu principium quo actuum notionalium.*** — Quam assertionem ita probat *S. Thomas:* „Sicut ponuntur actus notionales

in divinis, ita necesse est ibi ponere potentiam respectu huiusmodi actuum, cum potentia nihil aliud significet, quam principium alicuius actus. Unde cum Patrem intelligamus ut principium generationis, et Patrem et Filium ut principium spirationis, necesse est, quod Patri attribuamus potentiam generandi, et Patri et Filio potentiam spirandi. quia potentia generandi significat, id quo generans generat. Omne autem generans generat aliquo. Unde in omni generante oportet ponere potentiam generandi; et in spirante potentiam spirandi" (S. th. 1. p. q. 41. a. 4.). Nimirum fieri nequit, ut realis productio intelligatur sine vero et reali principio producendi. Actus enim secundus essentialiter supponit actum primum. Productio autem concipitur ad modum actus secundi. Quare productio postulat aliquid, quod concipi possit per modum actus primi; eiusmodi autem actum primam nominant principium quo seu potentiam. Ergo.

2. *Potentia illa est essentia divina.* — Quod 16.
iterum clare ostendit *S. Thomas:* „Illud proprie dicitur potentia in quocumque agente, quo agens agit. omne autem producens aliquid per suam actionem producit sibi simile quantum ad formam, qua agit. Sicut homo genitus est similis generanti in natura humana. Illud ergo est potentia generativa in aliquo generante, in quo genitum similatur generanti. Filius autem Dei similatur Patri gignenti in natura divina; unde natura divina in Patre est potentia generandi in ipso." (Ibid. a. 5.). Nimirum *aliis verbis:* Principium quo sive potentia illud est, quo ipse producens illud possidet, quod procedenti communicat: ita v. g. ignis calore calefacit et homo hominem generat natura humana; atqui illud, quod Pater Filio, necnon Pater et Filius Spiritui Sancto communicant, natura divina est; quare natura divina principium quo sive potentia est, qua generatio et spiratio fiunt.

Adhuc aliter eadem ratio proponi potest: Per idem Pater est formaliter potens ad generandum, per quod foecundus: atqui foecundus est per essentiam, utpote quae ob suam infinitatem communicabilis est; non autem foecunditatem habet per relationem, utpote quae incommunicabilis est; ergo.

11. ***3. Potentia igitur illa relationem non dicit in recto, verumtamen eandem in obliquo significat.*** — Quod pariter demonstrat *S. Thomas* hoc argumento: „Dicendum est, quod potentia generandi principaliter significat divinam essentiam, . . . non autem tantum relationem, nec etiam essentiam, in quantum est idem relationi, ut significet ex aequo utrumque. Licet enim paternitas ut forma Patris significetur, est tamen proprietas personalis habens se ad personam Patris ut forma individualis ad aliquod individuum creatum. Forma autem individualis in rebus creatis constituit personam generantem, non autem est, quo generans generat; alioquin Socrates generaret Socratem. Unde neque paternitas potest intelligi, ut quo Pater generat, sed ut constituens personam generantis; alioquin Pater generaret Patrem. Sed id quo Pater generat, est natura divina, in qua sibi Filius assimilatur; et secundum hoc Damascenus dicit (lib. 1. de orthod. fid. c. 18.), quod *generatio est opus naturae,* non sicut generantis, sed sicut eius, quo generans generat. Et ideo potentia generandi significat in recto naturam divinam, sed in obliquo relationem" (Ibid.).

12. Nimirum *primo* quia prius est esse quam operari, actiones dicuntur esse suppositorum; quare potentia, quae est id, quo aliquod suppositum operatur, non potest dicere essentiam nude sumptam, sed eandem considerat in supposito operante; qua ratione potentia generandi in humanis non dicit naturam nude et simpliciter sumptam, sed ut in eo, qui generando eandem aliis communicat. Ergo similiter in divinis potentia generandi vel spirandi dicit essentiam vel naturam divinam non nude vel simpliciter sumptam, sed eandem significat ut est in supposito generante vel spirante; atqui hoc est: per potentiam actuum notionalium in recto dici essentiam, in obliquo autem relationem.

13. *Praeterea* cum essentia simpliciter sumpta sit communis tribus personis, potentia qua Pater generat ipsi soli propria est, atque potentia, qua spiratur Spiritus Sanctus, Patri et Filio propria est. Ergo potentia actuum notionalium aliqua ratione personalitates vel relationes includit; atqui easdem

non significat in recto, ut demonstratum est; ergo eas in obliquo dicit. — *Notandum autem est,* idem prorsus intendi ab aliis theologis, quando docent, proprietatem personalem esse conditionem, qua persona generans vel spirans constituitur.

Excipitur primo: Principium operationis operanti propriae **14.**
in forma eiusdem propria invenitur; atqui Deus Pater tamquam propriam operationem generationem atque tamquam propriam formam paternitatem habet, non autem essentiam; ergo Pater paternitate generat vel paternitas est potentia generandi. — *R.* Eiusmodi principium operanti proprium esse debet non secundum seipsum vel secundum propriam suam formam, sed sufficit, ut in operante proprio modo existat vel subsistat; hoc alterum autem invenitur in Patre, utpote qui habet essentiam divinam a se vel incommunicatam, communicandam autem generatione et spiratione. Quamvis igitur essentia divina communis sit tribus personis, potentia generandi tamen adaequate concepta Patri propria est. Apposite *S. Thomas:* „cum dico potentiam generandi, potentia significatur in recto, et generatio in obliquo, sicut si dicerem essentiam Patris. Unde quantum ad essentiam, quae significatur, potentia generandi communis est tribus personis; quantum autem ad notionem, quae connotatur, propria est personae Patris“ (S. th. 1. p. q. 41. a. 5.).

Excipitur secundo: Potentia vel principium ab eo, cuius **15.**
est principium, realiter distinguitur; atqui Filius non quidem ab essentia divina, sed a paternitate realiter distinguitur; ergo paternitas est potentia sive principium, quo Pater generat. — *R.* Aliud est principium *quod* et aliud principium *quo* sive potentia; illud quidem, non autem hoc ab eo cuius est principium, distinctum sit, necesse est. *Apposite S. Thomas:* „Agens autem distinguitur a facto, et generans a generato. Sed id quo generans generat est commune genito et generanti, et tanto perfectius, quanto perfectior fuerit generatio. Unde cum divina generatio sit perfectissima, id quo generat est commune genito et generanti, et idem numero non solum specie, sicut in rebus creatis. Per hoc ergo quod dicimus, quod essentia divina est principium quo generans generat,

non sequitur quod essentia divina distinguatur a generato, sicut sequeretur si diceretur quod essentia divina generat" (Ibid. ad 1.).

16 *Excipitur tertio:* Essentia divina, utpote quae una et simplicissima est, non potest esse duplicis diversae operationis principium; atqui generatio et spiratio duplicem diversam operationem constituunt; ergo non essentia, sed relationes dicendae sunt divinarum operationum immanentium principium. — *R.* Cum natura divina non obstante absoluta sua simplicitate sit principium tum intelligendi tum volendi, eadem natura etsi simplicissima principium est generandi et spirandi; etenim in absoluta sua simplicitate per infinitam suam perfectionem non tantum adaequat sed infinite excedit principia eiusmodi diversa eorumque perfectionem eminenter in se continet.

17 *Excipitur quarto:* „In divinis non differt posse et agere. Sed generatio in divinis significat relationem. Ergo et potentia generandi." (*S. Thomas.* S. th. 1. p. q. 41. a. 5. obi. 2.). — *R.* „Sicut est idem in divinis potentia generandi cum generatione, ita essentia divina cum generatione et paternitate est idem re, sed non ratione" (Ibid. ad 2.).

18 *Excipitur quinto:* Cum generatio in divinis sit secundum operationem intellectus, spiratio vero secundum operationem voluntatis, intellectus vel intellectio in generante atque voluntas vel amor in spirante assignari debent ut principium quo sive potentia, qua persona altera et tertia producantur. — *R.* Quod hic opponitur, cum doctrina statuta proprie non pugnat. Nimirum cum actus intelligendi divinus, ut est in Patre, sit proxima ratio et virtus quasi, per quam Pater Filio essentiam divinam communicat; et cum item actus amandi, ut est in Patre et Filio, sit proxima ratio et virtus quasi, per quam Pater et Filius Spiritui Sancto naturam divinam communicant: ideo certe aliqua ratione dici potest et a pluribus theologis reipsa dicitur, actus intelligendi et amandi esse principium quo productionis sive potentiam actuum notionalium. Sed, quia actus intelligendi et amandi in essentia radicari concipiuntur, consequenter dicendum erit et ab iisdem theologis

dicitur essentiam esse principium radicale vel remotum, actus autem intelligendi et amandi principium proximum. — Verum quia principium quo sive potentia forma dicitur, qua agens producit sibi simile quantum ad hanc formam, vel quia potentia illud est, quo producens illud possidet, quod procedenti communicat, melius ipsa essentia sola tamquam potentia assignari videtur: nam divinis productionibus immanentibus ipsa essentia communicatur et personae productae personis producentibus quantum ad ipsam essentiam assimilantur, imo quantum ad eandem identificantur. Si autem actus intelligendi et amandi tamquam principia quo assignantur, consequenter dicendum foret, Filium assimilari et identificari Patri secundum intellectionem, Spiritum Sanctum autem Spiratori secundum amorem; id ipsum tamen, quamvis ex assimilatione et identitate secundum intellectionem et amorem consequatur assimilatio et identitas secundum essentiam, inconvenienter dici videtur, quia Filius accipit a Patre omnia per modum geniti, et pariter Spiritus Sanctus a Spiratore per modum spirati. — Quare intellectio et amor potius rationes sunt exigitivae duorum modorum processionis in Deo. Utraque autem haec operatio processionem exigit, qua procedens similis sit principio suo in natura ideoque eandem cum eo naturam habeat. Et differentia non est nisi in eo, quod communicatio naturae in processione Verbi ut tali includitur, vel quia est processio intelligibilis in ipsa sua propria ratione summe perfecta, in processione amoris autem solum, quia processio divina est. Quae cum ita sint, modus loquendi statutus praestare videtur. — Denique unum adhuc hic notandum est: si dicatur, actum intelligendi in Patre et actum amoris in Patre et Filio esse principia quo productionum, actus intelligendi dicit sane ipsum intelligere absolutum connotata solum relatione Patris; et similiter dicendum est de actu amoris. Inepte autem ab aliquibus fingitur duplex intelligere: alterum absolutum commune tribus personis, alterum notionale Patri proprium, quo Filius producatur. Etenim sicut unum tantum esse subsistens, ita una sane tantum exstare potest intellectio subsistens, et haec ipsa, ut est affecta relatione paternitatis fecunda Verbi est. Absonum est

autem penitus fingere in Deo praeter intellectionem absolutam subsistentem alteram intellectionem notionalem vel relativam; intellectio enim subsistens absolute una est et relatio ut talis evidenter non habet rationem actus vitalis. Idem autem valet de amore

19. *Excipitur sexto:* Videtur potius nulla potentia esse ponenda in Deo neque generandi neque spirandi: nam quod ab aliquo procedit secundum potentiam eius activam, factum adeoque contingens est; iamvero neque Filius neque Spiritus Sanctus factus est; ergo nulla est potentia in Deo sive generandi sive spirandi. — *R. S. Thomas:* „Potentia quae in Deo ponitur nec proprie activa nec passiva est, cum in ipso non sit nec praedicamentum actionis nec passionis, sed sua actio est sua substantia; sed ibi est potentia per modum potentiae activae significata. Nec tamen oportet quod Filius sit actus vel factus, sicut nec oportet, quod proprie sit ibi actio vel passio" (De pot. q. 2. a. 1. ad 1.).

20. *Excipitur septimo:* In Deo nulla ponitur potentia respectu actuum essentialium intelligendi et volendi; ergo neque respectu actuum notionalium eiusmodi potentia assignanda est. — *R.* Omnis potentia activa, utpote qua agens producit aliquid a se realiter distinctum, coniunctum habet respectum producentis ad productum. Atqui Deus actibus essentialibus vel absolutis intelligendi et volendi nihil producit a se distinctum ideoque circa eos actus respectus producentis ad productum prorsus deficit; actus autem essentialis sive absolutus creandi necnon actus notionales generandi et spirandi terminantur ad terminos productos realiter distinctos ab ipso agente. Quare merito sicut ad actum creandi ita etiam ad actus notionales generandi et spirandi, non autem ad actus essentiales intelligendi et volendi potentia activa assignatur.

3. p. Terminus adaequatus actuum notionalium persona est; terminus formalis autem non est relatio sive proprietas personalis, sed natura.

21. Duo in hac parte asseruntur, quorum utrumque praesertim primum iam facile probantur:

1. *Terminus adaequatus persona est.* — Quod immediate fere consequitur et manifesto intelligitur ex ipsis notionibus termini adaequati et processionis. Etenim terminus adaequatus sive totalis, qui etiam simpliciter terminus dicitur, res ipsa est, quae operatione procedit vel producitur: atqui id quod procedit sive producitur persona est, non autem essentia; ergo terminus adaequatus persona est. *Probatur minor*:

1) Ex distinctione necessaria inter principium et terminum processionis. — Etenim si etiam essentia procederet, Filius non solum secundum personalitatem, sed etiam secundum essentiam a Patre esset distinctus; nam processio tamquam vera origo postulat distinctionem procedentis ab eo, a quo procedit; atqui Pater et Filius in una eademque essentia penitus conveniunt; ergo.

2) Ex aseitate essentiae divinae. — Nimirum si essentia procederet, non esset a se; et consequenter persona procedens non esset Deus; ergo asserere essentiam procedere esset aperta ipsius mysterii SS. Trinitatis negatio.

2. *Terminus formalis processionis non est proprietas personalis vel relatio, sed natura.* — 22.
Quod pariter ex ipsa notione termini formalis constat. Etenim terminus formalis illud dicitur, quod in re procedente inest tamquam forma seu tamquam id, quod eandem ad certam speciem determinat. Quare in operibus naturae forma naturalis, in operibus artis forma artificiosa est, ut v. g. figura in statua. In generatione insuper, cum generans et generatus non possint esse in diversa specie, terminus formalis illud est, in quo generatus generanti naturaliter assimilatur. Quibus suppositis assertio facile probatur:

1) Ex notione termini formalis. — Etenim, ut modo dictum est, terminus formalis illud dicitur quod tamquam forma rem procedentem ad certam speciem vel ordinem determinat: atqui quod personas divinas procedentes ad hanc speciem vel potius hunc ordinem divinum tamquam forma determinat, natura divina est, non autem relatio sive proprietas personalis; personae enim divinae subsistunt in forma divinitatis; ergo.

2) *Ex ratione generationis vel omnis originis vivi ex vivo.* — Nimirum omnis eiusmodi originis terminus formalis illud est, in quo, quod oritur, producenti assimilatur; atqui persona divina procedens principio suo in natura assimilatur, non autem in relatione sive proprietate personali; ergo non haec, sed illa terminus formalis est.

Quemadmodum igitur relatio paternitatis non est principium vel potentia, qua Pater generat, sed conditio vel ratio, qua persona generans constituitur, ita filiatio non est terminus formalis generationis, sed conditio vel ratio, qua persona generata constituitur.

Corollaria.

23. 1. ***Essentia divina in processionibus divinis nulla ratione ad materiae instar se habet.*** — Cum aliis quibusdam theologis Durandus et Aureolus asseruerunt, essentiam divinam in productionibus divinis principio materiali similem esse; quare consequenter etiam posuerunt terminum formalem earundem productionum esse relationem sive proprietatem personalem, non autem essentiam. Sane si essentia divina est ad instar principii materialis vel materiae, terminus formalis necessario erit relatio simili ratione, sicut in opere artefacto statuae v. g. lapis marmoreus est materia vel principium materiale, terminus formalis autem figura vel forma artificiosa. Atvero iam refutatum est alterum, scilicet terminum formalem esse relationem; ergo etiam primum falsum esse consequitur. verum id etiam proprio argumento evincitur. Itaque:

Probatur ex interna ratione materiae sive principii materialis. — Etenim materia ex essentia sua est potentia passiva nec quidquam ex ea generatur nisi transmutatione; atqui natura divina purissimus actus est adeoque omnis mutationis prorsus expers; nihil igitur similitudinis habet cum principio materiali. Quare alia essentialiter est origo divina et alia origo humana atque alio prorsus modo in divinis et alio in humanis natura communicatur. Videlicet homo generando efficit, ut materia inanimata transmutetur in ani-

matam atque ideo in generatione humana altera natura incipit esse et alter homo; neque enim generans generato eandem numero naturam communicat, sed tantum eandem specie. Divina autem generatione non altera natura divina neque alter Deus existit, verum potius una eademque numero natura divina alio modo subsistit in Filio quam in Patre. Ergo eadem numero non solum specie natura communicatur. Similiter autem dicendum est de processione tertiae personae. Ex quibus omnibus manifestum est, divinam naturam in productionibus immanentibus nequaquam spectari posse ut principium materiale.

Excipiunt nihilominus primo: Quemadmodum in re na- 24.
turali materia determinatur per formam, ita in persona divina essentia per proprietatem personalem determinationem accipit. Ergo essentia divina se habet ad instar materiae ideoque non ipsa essentia, sed potius proprietas personalis tamquam terminus formalis considerandus est. — *R.* Cum forma in re naturali speciem determinet, relatio sive proprietas personalis in persona divina determinat subsistendi modum; quare eadem relatio nequit comparari formae specificae, sed ad summum individuanti; forma autem individuans neque in re naturali est generationis terminus formalis, sed conditio vel ratio constituens individuum. Dixi relationem *ad summum* considerari posse tamquam formam individuantem: etenim cum relatio divinam essentiam non perficiat, propriam rationem formae non habet neque essentiae divinae ratio principii materialis convenit, ut dictum est.

Excipiunt secundo instando: Materiae proprium est, ante 25.
rem faciendam exstare atque in eadem facta esse et permanere; sed divina essentia ratione ante personam exstat atque in hac est et permanet; ergo essentia divina merito materiae comparatur. — *R.:* Illa quidem materiae conveniunt, sed eidem non sunt propria; etenim etiam anima humana natura prior est, quam homo, atque in eodem est et permanet; praeterea etiam Verbum divinum ante Christum erat atque in eodem est et permanet; neque tamen anima humana neque Verbum ad instar materiae sunt.

26. *Excipitur tertio:* Filius dicitur genitus vel natus de substantia Patris; atqui haec praepositio *de* in origine rei creatae significat materiam, ergo divina substantia quoque in generatione ad materiae instar consideranda est. — *R.* cum *S. Thoma:* „Cum Filius dicitur natus de Patre, haec propositio *de* significat principium generans consubstantiale, non autem principium materiale. Quod enim producitur de materia, fit per transmutationem illius, de quo producitur, in aliquam formam. Divina autem essentia non est transmutabilis neque alterius formae susceptiva“ (S. th. 1. p. q. 41. a. 3. ad 1.). „Haec propositio *de* semper denotat consubstantialitatem. Unde non dicimus, quod domus sit de aedificatore, cum non sit causa consubstantialis. Possumus autem dicere, quod aliquid sit de aliquo, quocunque modo illud significetur ut principium consubstantiale; sive illud sit principium activum, sicut filius dicitur esse de patre; sive sit principium materiale, sicut cultellus dicitur esse de ferro; sive sit principium formale in his dumtaxat in quibus ipsae formae sunt subsistentes, et non advenientes alteri; possumus enim dicere quod angelus aliquis est de natura intellectuali. Et per hunc modum dicimus quod Filius est genitus de essentia Patris, in quantum essentia Patris Filio per generationem communicata in eo subsistit“ (Ibid. ad 2.).

27. *Notandum autem est ad haec primo:* In hac sententia: *Filius est de substantia Patris,* substantia divina significatur ut principium *quo* generationis, Pater vero ut principium *quod.* Cum autem principium *quo* possit esse materialiter commune producenti et producto, formaliter principium quo non est nisi existens in principio quod ideoque, ut dictum est, proprietatem personalem connotat vel significat in obliquo atque eo ipso in obliquo aliquid infert realiter distinctum a termino producto. Quare Filius recte quidem dicitur genitus de substantia vel essentia *Patris;* non autem recte de essentia *divina* genitus diceretur; ratio est quia dictio *de essentia divina* nihil continet, quod in obliquo significet principium quo inesse in principio quod subsistente et distincto a termino

producto. Haec autem distinctio sane non est ex parte essentiae, sed ex parte subsistentiae vel relationis invenitur.

Notandum est secundo: Ex dictis intelligitur, principium 28.
de quo sive *ex quo* tum personam tum naturam dici posse. Quare etiam in symbolis fidei Filius tum ex vel de Patre tum ex vel de substantia Patris genitus esse dicitur. Porro cum Graeci quidem regulariter praepositione ἐκ utantur, Latini praepositiones *ex* et *de* fere promiscue vel indifferenter adhibent. Aliquod tamen discrimen in usu harum praepositionum observari potest, quod etiam S. Thomas notavit. Nimirum cum praepositio *ex* solam originem ab aliquo exprimat, praepositio *de* simul principii consubstantialitatem significat. Quare v. g. Filius tum *de* tum *ex* Patre natus esse dicitur, creaturae autem *ex* Deo quidem, non autem *de* Deo esse dicuntur.

2. Cum essentiae divinae operationes ad intra 29.
tribui nequeant, eidem operationes ad extra recte tribuuntur. — Quae assertio ex dictis facile intelligitur. Sic essentia divina non dicitur generare vel spirare; ex opposito autem vocatur creatrix, atque divinitas dicitur sapientia sua mundum gubernare, miracula patrare et alia eismodi. *Ratio primo est:* Cum inter essentiam et Filium vel Spiritum Sanctum non sit realis distinctio, ex adverso realiter distinguuntur essentia divina atque ea quae per eam creantur. Quare recte loco: Deus creat, Deus gubernat, aliquando dicimus: Divinitas mundum creat et gubernat; etenim in divinis pro concretis abstracta usurpari possunt. *Ratio est secundo:* Cum generatio divina postulet in principio suo quod proprietatem personalem, qua formaliter in ratione paternitatis constituatur: ex opposito operationes ad extra tribus personis communes sunt; quare postulant quidem, ut essentia subsistat vel sit in supposito, non autem, ut sit in tribus suppositis proprietate personali ab invicem distinctis; aliis verbis; postulat quidem, ut sit Deus, non autem, ut sit Deus trinus: Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

Scholia.

1. Obiectiones duae residuae solvuntur. — Hoc 30.
loco iam commodius solvitur difficultas aliqua residua, quae,

dirigitur contra productiones divinas immanentes atque ex principio identitatis comparatae derivatur:

31 *f) Quisquis communicat aliquid, necessario totum communicat, quod cum re communicata identicum est; atqui Pater communicat naturam divinam Filio; ergo communicat etiam paternitatem aut vero paternitas realiter a natura divina distinguitur.* — *R. d.* mai.: Qui communicat ea communicatione, quae est vera actio vel effectio *c.* et *n.* suppositum: qui communicat communicatione, quae est relatio communicantem in ratione suppositi constituens, *sbd.:* communicat id. quod cum natura identicum est re et ratione *c.;* id quod identicum est cum natura communicata re quidem, sed non ratione *sbd.:* si illud quod ratione differt, non habet oppositionem relativam cum relatione, qua constituitur ille, cui natura communicatur *c.*; si habet eiusmodi oppositionem relativam *n.* — *D.* min.: Pater communicat naturam Filio et paternitas est re idem cum natura ita tamen, ut ratione differat et oppositionem habeat cum filiatione, qua ille constituitur, cui natura communicatur *c.;* secus *n.*

32. Nimirum haec difficultas inde oritur, quod Pater concipitur prius esse persona et deinde actione ut aliquo absoluto communicare naturam. Verum haec conceptio, ut supra dictum est, figmento potius phantasiae innititur et falsa est. Etenim communicatio illa non actio proprie dicta neque quidquam absolutum, sed mera relatio est, relatio scilicet *a quo Filius,* atque ideo etiam communicatio passiva nihil est nisi relatio, scilicet relatio *qui a Patre.* — *Praeterea* utraque haec relatio, re quidem cum natura divina identica ratione autem ab ea distincta, ipsa constituit suppositum tum illius qui communicat tum illius cui communicatur. Quare Patrem communicare Filio naturam divinam, et Filium a Patre communicatam accipere naturam divinam, haec, inquam, simpliciter significant: exstare unam summam rem, quae, cum sit realiter communis tribus, est in uno cum relatione principii sine principio, in altero vero cum relatione principiati a principio. — *Denique* aliis verbis: Personalitas Patris est ipsa communicatio activa naturae divinae ad Filium; evidens autem

esse videtur, per nullam communicationem communicari ipsam hanc communicationem; communicatio enim est id, quo formaliter aliquid communicatur. — Etiam alia difficultas hoc loco solvenda est:

2) *Persona vel hypostasis, cum sit substantia prima* 33
completa tota in se dicit ‚esse in', relatio autem dicit ‚esse ad'; atqui ‚esse in' non constituitur per ‚esse ad'; ergo personae divinae non constituuntur per ‚esse ad' sive per relationes. — *R. d.* mai. 1. p.: persona dicit „esse in" i. e. incommunicabile, quod potest esse vel absolutum vel relativum *c.*, quod tantum absolutum esse potest *n.*; d. 2. p. mai.: relatio autem dicit ‚esse ad', quod reddit incommunicabile et sub hoc respectu dicit ‚esse in' *c.* quod nunquam reddit incommunicabile *n.* Cd. min.: ‚esse in' quod est absolutum non dicit ‚esse ad' *c.*; ‚esse in' quod est incommunicabile, non dicit „esse ad" *n.* Et *n.* consequens et consequentiam. — Nimirum obiectio in ambiguitate ludit termini *esse in;* nam ‚esse in' tum esse absolutum tum esse incommunicabile dicit; iam vero ‚esse ad' absoluto quidem opponitur, incommunicabili autem nequaquam: quare substantia aliqua certe potest constitui incommunicabilis et consequenter hypostasis per esse ad', saltem si de relatione subsistente sermo sit.

Quaestio quarta.

De divinarum personarum convenientia.

Articulus primus.

De una personarum divinarum operatione ad extra.

Thesis 17. Operatione re et numero una eademque divinae personae ad extra operantur.

Declaratio.

1. Quaestionis argumentum et divisio. — Cum 1.
in praecedenti quaestione potissimum de distinctione perso-

narum divinarum ab invicem earumque differentiis tractatum sit, in praesenti quaestione ea potius, in quibus conveniunt, accuratius considerentur oportet ad cognitionem earundem, quantum fieri potest, perpoliendam atque absolvendam. Cum autem de prima et fundamentali convenientia in una eademque numero essentia divina iam supra ab initio tractatus atque in decursu eiusdem satis superque actum sit, in hac quaestione eas restat inquirere convenientias, quae ex prima illa et radicali consequuntur vel cum ea individuo et necessario nexu connectuntur. Quarum tres potissimum numerantur, scilicet: primo una divinarum personarum operatio ad extra; secundo earundem similitudo atque aequalitas; tertio circumincessio earundem. Quare in tres articulos praesens quaestio dividitur:

Articulus primus: De una personarum divinarum operatione ad extra.

Articulus secundus: De circumincessione earundem.

Articulus tertius: De earundem aequalitate ac similitudine.

2. ***Güntherianorum opinio de operationis divinae ad extra unitate vel divisione.*** — Cum *Güntheriani* propter falsas suas de hypostasi et persona notiones in ss. Trinitate aeque ac tres personas realiter distinctas etiam tres realiter distinctas substantias sive essentias esse assererent, pariter operationes divinarum personarum ad extra communes sive identicas esse logica necessitate adducti negare debuerunt; pro distinctione enim vel diversitate naturae etiam distinctio vel diversitas operationum statuenda est. Atque reipsa Güntheriani operationes divinas ad extra alteram alteri personae divinae propriam esse contenderunt. Ita certe ipse *Güntherus:* „Solvenda est, inquit, quaestio, quaenam ex tribus divinis ac personalibus substantiis ideam Dei de universo et de creatura ad realitatem perduxerit, si ea ad realitatem deducta non est ab omnibus tribus simul. Hoc ultimum nemo certe affirmabit, qui intellexerit distinctionem inter processum realem theologicum in vita absoluti (i. e. inter processiones divinarum

personarum) et inter processum formalem singularium hypostasium in illa vita (i. e. inter conscientiam, qua singulae personae divinae se sciunt et ab aliis distinguunt) . . . In manifestatione Dei ad extra omnia sunt personalia, i. e. tribuenda ut operatio ac opus operatum uni personae determinatae et nulli alteri multoque minus omnibus tribus simul." — Quare creationem de secunda persona sola, unionem vero creaturae cum Deo de sola tertia persona praedicandam esse contendit (cf. Propaedeut. t. 2. p. 369 ss.). Communitatem quidem operationis aliquam personis divinis tribuit, sed eam tantum, qua in quibusdam operibus altera et altera persona alteram et alteram partem operatur. V. g. in incarnatione Filii Dei corpus quidem a Spiritu So productum esse, animam autem vel saltem eiusdem cum corpore unionem a Patre effectam esse contendit (cf. ibid. p. 371; Sympos. p. 396).

3. Doctrina catholica. — Doctrina catholica de 3.
una trium personarum operatione clare proponitur a *Concilio Lateranensi* sub Martino I celebrato: „Si quis secundum SS. Patres non confitetur, proprie et veraciter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum trinitatem in unitate et unitatem in trinitate h. e. unum Deum in tribus subsistentiis consubstantialibus et aequalis gloriae, unam eandemque trium deitatem, naturam, substantiam, virtutem, potentiam, regnum, imperium, voluntatem, operationem inconditam sine initio, incomprehensibilem, immutabilem, creatricem omnium et protectricem, condemnatus sit." Itaque, cum in hac definitione operatio divinarum personarum ad extra dicatur una eadem ratione qua una est natura divina: personae divinae non tantum *primo* nihil agunt ad extra seorsum ab invicem vel singulatim; verum *secundo* etiam operatione non solum specie sed numero quoque una agunt. Neque igitur earum operatio ad extra ita tantum una est, sicut una dicitur operatio plurium hominum eundem currum moventium; in hoc enim exemplo effectus quidem unus, actio autem triplex est; in operatione autem divina ipsa actio numero una est.

Demonstratio.

4. ***1. Probatur ex s. scriptura.*** — Doctrina scripturae hac de re ad tria capita revocari potest:

1) Eadem est extensio operationum a tribus personis procedentium, vel iidem effectus Deo generatim et cuivis personae divinae adscribuntur. — Quod manifeste patet consideratis his aliisque testimoniis: *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram et nullus mecum* (Io. 44, 24). *Confiteor tibi Pater, Domine coeli et terrae* (Matth. 11, 25.). *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil quod factum est* (Ioan. 1, 3.). *Ad Filium autem dicit: tu in principio Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli* (Hebr. 1, 8. 10.). *Emittes Spiritum tuum et creabuntur* (Ps. 103, 30.). *Spiritus Domini replevit orbem terrarum et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis* (Sap. 1, 7.). *Quaecunque enim Pater fecerit, haec et Filius similiter facit* (Ioan. 5. 17.). In haec verba *S. Augustinus* notat: „Non quaecunque facit Pater, facit et Filius alia similia (quasi Patrem imitando). sed quaecunque Pater facit, haec eadem et Filius facit similiter. Quae ille, haec et ipse; mundum Pater, mundum Filius, mundum Spiritus Sanctus“ (In Ioan. tract. 20 n. 3. ss.). *Pater meus usque modo operatur et ego operor* (Ioan. 5. 19.). In haec verba ita *Cyrillus:* „Cum una sit substantia, hoc est, vera et naturalis divinitas in tribus personis, in Patre, inquam, et Filio et Spiritu Sancto, quomodo non manifestissimum sit, quodcunque unius opus dicitur, id totius et unius divinitatis effectum esse secundum naturalis potentiae rationem. Unde Dominus: . . . *Pater meus usque modo operatur et ego operor.* Nec quisquam, opinor, arbitrabitur, eum dicere, Patrem operari aliquid circa creata seorsum, et seorsum item Filium. Cum enim per Filium Pater omnia et nihil unquam aliter operatus sit. hic enim sapientia et virtus eius est; idcirco rursus operum suorum operatorem nominavit Patrem dicens: A me ipso nihil facio, sed Pater in me manens ipse facit opera“ (In Ioan. l. 10.).

2) *Eadem est etiam perfectio intensiva operationum a tribus personis procedentium.* — Et certe *primo* haec assertio implicite vel virtualiter in praecedente iam continetur; nam quoniam tum extensio operationis tum intensiva eiusdem perfectio necessario commensuratur cum perfectione principii operationis: profecto quo maior est extensio operationum cuiusvis operantis, eo maior etiam est intensiva earundem perfectio necnon aequalis extensio necessario secum fert aequalem perfectionem intensivam operationis. Verum hoc idem etiam expressius a Scriptura enuntiatur. — Scilicet *secundo* id pariter in textu Ioannis citato continetur. Nam haec verba, nedum operationem Patris praestantiorem esse operatione Filii ulla ratione innuant. obvia significatione potius dicunt, eandem esse operationis utriusque perfectionem. Et ita revera Iudaei verba Christi intellexerunt (v. 18.): hunc autem intellectum Christus nulla ratione correxit. — Neque his ullo pacto opponitur particula ὁμοίως, verum potius usus huius particulae eadem potius confirmat. Cum enim ad similitudinem exprimendam adhibeatur, saepe tamen etiam aequalitatem significat (cf. Matth. 22, 26.; Luc. 3, 11.; Ioan. 6, 11.: 21, 13.). Atque haec altera certe tum maxime sumenda est, cum de entibus consubstantialibus agitur. 5.

Idem *tertio* manifestum est ex ratione operum, quae Patri Filioque communia exhibentur, cuiusmodi sunt creatio, mortuorum vivificatio. remissio peccatorum aliaque eiusdem rationis. Huiusmodi enim opera infinitam in operante virtutem postulant ideoque operationum, quae excellentia sive intensiva perfectione differant, termini esse nequeunt. — Neque praeterea obstat usus praepositionum causalium ἐκ et διά, quarum illa de Patre, haec de Filio potissimum adhibeatur. Nam praepositio διά de Patre quoque adhibetur. v. g.: 1. Cor. 1, 1. 9.; necnon ἐκ de Filio. ut v. g.: Ioan. 16, 14.; quod iam notarunt SS. Patres, v. g.: Athanasius, Gregorius Naz., Ambrosius, Fulgentius, Basilius et alii. Testis sit pro omnibus *Basilius*. cuius c. 5. De Spiritu Sancto ita inscribitur: „Et de Patre dici *per quem* et de Filio *ex quo* et de Spiritu Sancto.“ Atque hinc tum Basilius tum Chry- 6.

sostomus potius etiam confirmant, aequalem esse operationem Patris et Filii; si vero propositio διά frequentius de Filio, ἐκ vero de Patre potius adhibeatur hac ratione significari, operationem Filii generatione communicatam non autem in se minus perfectam esse declarant. — Denique *quarto* intensiva perfectio operationis Patris et Filii inde etiam maxime elucet, quod scriptura praeclara ordinis supernaturalis opera non dissimili sed eadem prorsus ratione diversis personis tribuit vel vindicat; quod patet v. g. ex Ioan. 5, text. cit.; Iacob. 1, 17.; Ioan. 1, 6. 9.; Rom. 1, 7.; 1 Cor. 1, 3.; Eph. 1, 2.

7. *3) Unitas divinarum operationum est unitas perfectae singularitatis.* — Haec assertio *primo* continetur in iis testimoniis, quibus dicitur Deus solus mundum creare, mirabilia facere, peccata condonare, omnia in omnibus operari, ut v. g. 4 Reg. 19, 15. 19.; 2 Esdr. 9, 6.; Iob 9, 8.: Ps. 71, 18.; Ps. 135, 4.; Marc. 2, 7.; 1 Cor. 12, 3.; in quo ultimo loco operationis divinae unitas his verbis exhibetur: *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Etenim profecto, si operatio divina non esset una cum una natura divina, sed cum tribus personis triplex; tum verbum operationem exprimens necessario in numero plurali ponendum esset nec dici posset v. g.: Deus solus crea*vit* coelum et terram; Deus oper*atur* omnia in omnibus; verum potius dicendum foret: personae divinae creaverunt, operantur etc. Qua ratione etiam *S. Athanasius* intelligit et urget verba Apostoli 1. Thessal. 3, 11. scribentis: *Ipse autem Deus et Pater noster, et Dominus noster Iesus Christus dirigat viam nostram ad vos:* „Non dixit, ait, *dirigant,* quasi duplex gratia a duobus, nempe ab illo et illo daretur, sed *dirigat*, ut illam a Patre per Filium dari significaret . . . Quare hic dandi modus argumentum est unitatis Patris et Filii“ (Orat. 3. cont. Arian.).

8. *Secundo* idem ex iis quoque loquendi modis patet, quibus dicitur: omnia a Patre per Filium in Spiritu Sancto fieri, vel omnia fieri a Patre per Filium, vel Christum Filium Dei

Virtutem ac Sapientiam Dei esse (cf. Hebr. 1, 2.; 1. Cor. 6, 11.; 1. Cor. 1, 24. etc.). Etenim his loquendi rationibus et similibus aut exprimitur, Filium et Spiritum Sanctum Patri in omni operatione tamquam causas instrumentales subordinatas esse, aut vero unam eandemque esse trium personarum operationem, quae quidem originarie sit in Patre, ab ipso Patre autem Filio et ab ambobus Spiritui Sancto sicuti ipsa natura communicetur; atqui primum dici nequit; ergo una eademque prorsus est operatio trium personarum divinarum. Atque hoc sensu Patres quidem illud Apostoli accipiunt: *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in saecula. Amen;* scilicet *ex ipso* de Patre, *per ipsum* de Filio, *in ipso* de Spiritu Sancto intelligentes.

Denique *tertio* huc spectat etiam, tum quod scripturae 9.
quandoque, cum aliquid ex serie orationis Patri tribuendum esset, non tamen ipsi, sed Filio tribuunt et ex converso (cf. Ioan. 10. 28. 29.; ibid. 14, 13. 14.); tum quod in uno loco Patri adscribunt. aliis in locis Filio et Spiritui Sancto tribuunt (cf. Is. 6, 9.; Ioan. 12, 40. 41.; Act. 28. 26.). Scilicet verba: *audite audientes et nolite intelligere* a propheta Deo Patri, ab evangelista Filio, ab apostolo Spiritui Sancto adscribuntur. „Propheta, inquit *Basilius,* inducit Patris. in quem Iudaei credebant, personam; evangelista Filii. Paulus Spiritus, illum ipsum, qui visus fuerat, unum Dominum Sabaoth communiter nominantes. Sermonem, quem de hypostasi instituere. distinxere indistincta manente in eis de uno Deo sententia". (Cont. Eunom. l. 5.). Haec autem subiectorum attributionis commutatio negata operationis unitate nequaquam intelligitur. eadem vero statuta optime perspicitur. Ergo.

*2. **Ex SS. Patrum doctrina.*** — SS. Patres fre- 10.
quenter et luculenter suam de hac re fidem manifestarunt: quod multis testimoniis collectis solide ostendit Petavius l. 4. c. 15.; verum pauca quaedam et electa documenta adducere hoc loco satis erit: itaque:

1) *SS. Patres s. scripturam sequentes frequenter docent, Patrem per Verbum in Spiritu Sancto omnia facere atque*

hinc inferunt, unam esse prorsus trium personarum operationem ad extra. — Ita v. g. *Athanasius:* „Similis et ipsa sibi et indivisa natura unaque eius operatio. Nam Pater per Verbum in Spiritu Sancto omnia facit atque ita Sanctae Trinitatis servatur unitas. Ita unus Deus in ecclesia praedicatur, qui est super omnia in omnibus“ (Ep. 1. ad Serap. 2. 28.). Similiter *Gregorius Nyssenus* eundem loquendi modum magis explicans: „omnis actio ad creaturam a Deo proveniens, quae secundum varias notiones atque considerationes nomen accipit, a Patre proficiscitur et per Filium progreditur et in Spiritu Sancto perficitur. Idcirco in multitudinem nomen efficaciae non scinditur, quoniam non separatum cuiusque atque peculiare circa aliquam rem studium est: sed quidquid fit, quod vel ad nostri providentiam vel ad summae rerum administrationem et constitutionem pertineat, per tres quidem fit, non tamen tria sunt, quae fiunt“ (Ep. ad Ablavium).

11. 2) *SS. Patres tamquam certissimum principium considerant atque urgent, cum natura etiam operationem vel unam esse vel multiplicari; quare ex unitate vel pluralitate naturae etiam operationis unitatem vel pluralitatem necnon vicissim ex unitate vel pluralitate operationis etiam naturae unitatem vel pluralitatem inferunt.* — Ita in Christo ex duplic operatione duplicem naturam et ex duplici natura duplicem operationem pro occasione data contra haereticos inferunt: atque in Deo non solum ex operationum a singulis divinis personis procedentium aequalitate ad naturam aequalem et eandem, sed etiam ex unitate et identitate naturae ad operationis quoque unitatem et identitatem concludunt. — Ita *Dydimus* v. g. declarat: „Eiusdem operationis esse Spiritum Sanctum, cuius est Pater et Filius, et in eadem operatione unam esse substantiam, et reciproce eorum, quae ὁμοούσια sunt, operationem quoque non esse diversam.“ (De Spiritu Sancto, l. 2.) — Et *Cyrillus A.:* „Ubicunque naturae identitas in rationibus nulla re penitus distinctis cernitur, ibi non est actio divisa, etsi varie ac diverse exerceri intelligatur ab aliquo. Cum autem substantia una, vera scilicet et natu-

ralis deitas, in tribus hypostasibus intelligatur in Patre et Filio et Spiritu Sancto, nonne perspicue id extra controversiam est, quodcunque unius personae opus esse dicatur, hoc totius uniusque deitatis esse effectum secundum naturalis virtutis ac potentiae rationem?" (In Ioan. l. 10.). Necnon *I. Damascenus:* „Pater, Filius, Spiritus Sanctus tres sunt hypostases, quoniam distincta uniuscuiusque est subsistentia: atvero cum personae non quaeque sibi proprio modo neque sibi propria electione ac divisim singulae velint et operentur, sed ut unum sunt, non tres Dii, sed unus est Deus" (De duabus volunt. n. 7.).

Similiter Patres latini, ut v. g. *Hilarius:* „Quemadmodum 12.
haec SS. Trinitas individua est substantia, sic et operibus est individua: licet ex operibus Dei quaedam singulariter aliquibus personis congruant." (In fragmento aliquo). Et *Ambrosius:* „Operationis unitas non facit pluralem divinitatem, sicut ipse Dominus ostendit dicens: *Credite mihi, quia ego in Patre et Pater in me, alioqui vel propter opera ipsa credite.* Et hic advertimus, quod unitatem divinitatis per unitatem operum designaverit." (De fide l. 1. c. 2.). Denique in eodem principio non semel innititur *Augustinus:* „Non quod invalidus sit unusquisque eorum sine aliis, quod operatur, implere; sed non potest operatio esse divisa, ubi non solum aequalis est, verum etiam indiscreta natura; ita ut cum tres sint ac eorum singulus quisque Deus sit, tres tamen Dii non sint" (In lib. c. serm. Arian. c. 15.).

3. Ex conciliorum decretis. — SS. Patres se- 13
quentes atque iisdem ac ipsi principiis insistentes etiam Pontifices Romani et synodi plures unam divinarum personarum operationem inculcarunt atque vindicarunt. *Concilium Lateranense* sub Martino I celebratum iam supra adductum est. Deinde *S. Agatho* in epistola ad imperatores missa, quae lecta et recepta est cum applausu in *Concilio sexto:* „Iuxta regulam sanctae catholicae atque apostolicae Christi ecclesiae duas etiam naturales voluntates in eo (i. e. Christo) et duas naturales esse operationes confitetur et praedicat (sc. eadem ecclesia). Nam si personalem (i. e. quae una est vel plures pro

numero personarum) quisquam intelligat voluntatem, dum tres personae in sancta Trinitate dicuntur, necesse est, ut et tres voluntates personales et tres operationes personales, quod absurdum est et nimis profanum, dicerentur. Sin autem, quod fidei christianae veritas continet, naturalis voluntas est, ubi una haec natura dicitur sanctae et inseparabilis Trinitatis, consequenter et una naturalis voluntas et una naturalis operatio intelligenda est." In eiusdem Synodi VI. actione 11. exstat etiam epistola *Sophronii* Patriarchae Hierosolymitani ad Sergium patriarcham Constantinopolitanum data, in qua haec leguntur: „Nos unum principium, unam novimus deitatem, unum regnum, unam potestatem, unam virtutem, unam actionem, unam voluntatem, unam dominationem, unam motionem, sive omnium quae sunt post ipsam procreatricem sive providentem, sive componentem atque conservatricem." — Item huc spectat, quod in *concilio Lateranensi IV* et in *concilio Florentino* definitum est, tres personas divinas esse unum universorum principium necnon, quod ab eodem concilio Florentino aliisque statuitur, in Deo omnia unum esse, ubi non obviat relationis oppositio. Etenim cum unum principium non sint respectu habito personarum operantium, unum esse dicendae sunt spectato principio quo operandi, i. e. natura vel voluntate, et ipsa operatione ab eis non distincta. Et cum operatio ad extra nullo pacto dicat ullam relationem unius personae ad alteram, manifeste iterum sequitur, in operatione easdem divinas personas non distingui, sed prorsus identicas esse.

14. Denique *concilium Vaticanum* praemature dissolutum contra Güntherianos proprium decretum necnon cum decreto convenientem canonem praeparaverat. In schemate constitutionis dogmaticae de doctrina catholica c. 1. ita statuitur: „Et quoniam in Deo omnia unum sunt, ubi non obviat relationis oppositio, una est voluntas et operatio, qua Trinitas sacrosancta cuncta extra se condidit, disponit et gubernat. Neque enim personae divinae extra se secundum originis relationes, quibus distinguuntur, sed secundum quod sunt unum et singulare principium operantur." Canon autem

quartus addendus ita habet: „Si quis creationem vel aliam quamvis operationem ad extra uni personae divinae ita propriam dixerit, ut non sit omnibus communis, una et indivisa, a. s."

4. *Ex ratione theologica.* — Rationes internae **15.**
veritatis in hac thesi vindicatae, iam in testimoniis SS. PP. necnon in conciliorum decretis modo allatis continentur; verumtamen ad meliorem rei intelligentiam easdem iuvat hoc loco in forma proponere atque uno conspectu exhibere. Itaque:

1) Probatur ex propria divinae operationis ratione. — Etenim divina operatio ad extra nihil aliud est, ut manifeste constat ex tractatu de Deo uno, quam ipsa essentia divina sub formali ratione absolutae voluntatis omnipotentis, ut connotat terminum extrinsecus efficiendum; atqui essentia divina, sub quacunque ratione formali absoluta spectatur, una prorsus eademque est in tribus personis divinis; ergo etiam sub ratione formali absolutae voluntatis omnipotentis una eademque est in tribus personis: atque ideo etiam operatio divina ad extra una eademque est in tribus personis divinis, sicut ipsa essentia in iis una eademque est. — Breviter aliis verbis: operatio divina ad extra est velle divinum ad extra efficax; atqui velle divinum simpliciter unum idemque est in tribus personis; ergo etiam operatio ad extra una eademque est in tribus personis.

2) Ex propria ratione personarum divinarum. — Ni- **16.**
mirum ex certissimo principio: In divinis omnia unum sunt ubi non obviat relationum oppositio, divinae personae ab invicem non distinguuntur nisi per relationis oppositionem, qua ad invicem referuntur ut principium et principiatum; iamvero operatio ad extra nullo pacto spectat ad hanc internam relationum oppositionem; ergo operatio ad extra una et eadem est in tribus personis divinis, sicut ipsa natura divina.

Scholia.

1. *Obiectiones quaedam solvuntur.* — Solutis **17.**
argumentis quibusdam oppositis, veritas doctrinae vindicatae etiam magis splendet:

1) Solus Pater generat atque solus Pater et Filius spirant; ergo unitas naturae non impedit, quominus ab operatione divina una vel altera persona divina excludantur. — *R.* Generatio et spiratio, quibus altera et tertia persona exstant, non sunt operationes ad extra transeuntes, sed immanentes intellectionis et amoris adeoque terminos internos relative oppositos inferunt; imo vero nihil aliud sunt nec realiter nec formaliter, quam ipsae relationes internae oppositae, quibus personae divinae constituuntur et ab invicem distinguuntur. Operatio autem ad extra nullo pacto infert relationem nec internam nec realem, sed aliquid absolutum dicit, quod solum in modo nostro concipiendi imperfecto relationem ad extra annexam habet; atqui in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio; ergo.

18. *2) Solus Filius incarnatus est vel humanam naturam assumpsit; atqui haec assumptio humanitatis efficientiam aliquam vel operationem ad extra dicit; ergo Filio exclusis ceteris personis divinis operatio aliqua ad extra convenit.* — *R.* In Verbi incarnatione distinguere oportet inter operationem eiusque effectum: operatio est naturae humanae in utero B. V. effectio eiusque cum Verbo unitio; effectus autem huius operationis est Verbi in humana natura subsistentia, qua homo est; haec autem in natura humana subsistentia non est actio, sed dici potest functio hypostatica, qua Verbum tamquam persona habet naturam humanam. Aliis verbis: distinguere oportet inter unionem hypostaticam activam et unionem hypostaticam quasi passivam vel formalem; illa quidem, non autem haec operationem ad extra dicit; unio autem formalis sane functio hypostatica est. Iamvero Verbo propria est subsistentia in natura humana vel unio formalis cum eadem, quae non est ullo modo operatio ad extra: efficientia autem huius subsistentiae in natura humana vel huius unionis formalis est quidem operatio ad extra, sed pariter tribus personis divinis communis est. Quare in symbolo fidei *Concilii Toletani XI.* dicitur: „Incarnationem Filii Dei tota Trinitas operasse credenda est; quia inseparabilia sunt opera

Trinitatis. Solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personae."

Urgeri tamen posse videtur obiectio vel novum argumentum fieri ex principio: Actiones sunt suppositorum. Etenim ex hoc principio operationes ad subsistentiam pertinere videntur, unde quaevis hypostasis proprias sibi operationes postulare videtur. — *R.* Hoc adagio operationes hypostasi tribuuntur tamquam principio quod vel tamquam subiecto, quod habet naturam eiusque operationes. Etenim hypostasis concipitur tamquam ens perfectum et absolutum et totum, quod essentiam et proprietates habet; cum autem prius sit esse quam operari vel perfectum esse quam perfectionem operatione communicare illo adagio etiam edicitur, subsistentiam esse conditionem, sine qua natura non agat. Nullo autem modo eodem principio negatur, naturam esse principium quo operationis vel ad naturam spectare virtutem qua agitur ideoque ipsam operationem. Quare cum in Deo una sit natura, operatio quoque ad extra absolute una est. Frustra igitur et falso illud principium contra doctrinam catholicam urgetur. Imo contrarium potius eodem principio evincitur: scilicet cum actiones a natura tamquam principio quo procedentes cum ipsa natura propriae sint hypostasis in natura operante subsistentis, omnis profecto operatio a divina natura procedens tribus simul personis in ea natura subsistentibus tribuenda est. 19.

20 *3) Scriptura docente Filius a Patre et Spiritus Sanctus a Patre et Filio mittitur; per se autem manifestum est, nullam personam semetipsam mittere; quare etiam a scriptura nihil eiusmodi unquam dicitur; atqui missio personae divinae efficientiam aliquam vel operationem ad extra dicit; ergo personae mittenti operatio aliqua ad extra tribuenda est, quae personae missae non conveniat.* — *R.* Haec obiectio facile solvitur ex notione missionis personarum divinarum, quae iam supra (th. 8. n. 25. ss.) declarata est. Itaque hoc loco breviter quaedam notare satis erit: Missio imprimis duo dicit: „Missio, inquit *S. Thomas,* non solum importat processionem a principio, sed determinat proces-

sionis terminum temporalem. Unde missio solum est temporalis vel missio includit processionem aeternam, et aliquid addit, scilicet temporalem effectum“ (S. th. 1. p. q. 43. a. 2. ad 3.). Porro processio interna sane est a solo principio processionis, non vero a persona, quae est terminus eiusdem processionis; effectus vero temporalis efficienter procedit a tribus personis divinis. formaliter autem vel relative (i. e. unitive vel repraesentative) personam missam prae mittente respicit vel ei proprius vel saltem appropriatus est. Iam ex his manifesta est responsio ad obiectionem factam: Scilicet nomen complexam significationem habens non potest de aliquo enuntiari, nisi in eodem omnia elementa significata verificentur; atqui nomen missionis active sumptum complexe significat tum productionem internam tum efficientiam termini externi; productio autem interna active sumpta perpersonae productae profecto non convenit; ergo, quamvis eidem personae missae conveniat effectio termini externi, missio active sumpta simpliciter tamen de eadem persona missa nequaquam enuntiari potest. Itaque aliis verbis: In missione personae divinae personae mittenti propria est relatio generantis vel spirantis, non autem operatio ad extra; personae missae autem propria est relatio filiationis vel spirationis passivae; terminus vero externus efficienter spectatus vel ipsa efficientia eiusdem communis est tribus personis: inter eundem autem terminum et personam missam ex missione resultat habitudo (vel unionis vel manifestationis) specialis i. e. personae missae vel propria vel saltem appropriata. Apposite iterum *S. Thomas:* „Missio est et essentiale (i. e. ad essentiam communem spectans) et notionale (i. e. proprium personae singulari) secundum aliud et aliud. Secundum enim respectum, quem importat missio ad suum principium, est notionale; secundum autem respectum, quem importat ad effectum in creatura, est essentiale . . . Nomen potest connotare effectum in creatura dupliciter: vel secundum rationem principii tantum, et quia eadem est operatio totius Trinitatis, oportet, quod tale nomen commune sit toti Trinitati et ad essentiam pertinens; vel ita quod cum ratione principii re-

spectu creaturae etiam aliquid aliud importet (i. e. relationem personalem), et tunc quamvis secundum respectum ad creaturam det intelligere essentiam, tamen secundum aliud quod significat potest ad personam pertinere, sicut assumere carnem importat et operationem quae communis est tribus personis, et terminum operationis in quem terminata est assumptio, quod proprium est personae Filii. Similiter dico, quod Donum (tamquam appellatio Spiritus Sancti) praeter respectum (ad extra) ad illum cui donabile est, importat respectum ad illum, a quo est sicut a principio, respectu eius auctoritatem habente (i. e. respectum includit ad Patrem et Filium, a quibus Spiritus S. procedit) et ex hac parte est notionale" (In 1. d. 15. q. 1. a. 2.; cf. d. 18. q. 1. a. 1.)

4) Aliquando a SS. Patribus personae divinae: Pater, 21.
Filius, Spiritus Sanctus cum invicem consultare, inter se consentire, una cum altera cooperari dicuntur; atqui eiusmodi consultatio, consensio, cooperatio, tum diversam personarum divinarum voluntatem tum maxime diversam operationem postulare videntur; nam cooperari est operari additum ad aliud operari. Ergo ex eiusmodi dictionibus SS. Patrum diversitas operationis ad extra divinarum personarum asserenda esse videtur. — *R. Primo* iidem Patres alibi communem doctrinam proponunt; quare secundum sensum oppositum intelligi non possunt. Revera *secundo* cooperari dici etiam possunt divinae personae, dummodo supposito differant, etsi in natura et operatione conveniant. Itaque illis dictionibus SS. Patres subiectorum operationis, non autem naturae vel voluntatis et operationis distinctionem innuunt secundum illud *Cyrilli Alexandrini*: „particula *cum* apposita semper significat alium cum alio." (Anathematismus 8. c. Nestorium.).

5) Tum in scriptura, tum a SS. Patribus, tum in 22.
Liturgiis frequentissime uni personae divinae prae aliis exclusis speciali modo certa quaedam opera ad extra adscribuntur; ergo. — *R.* per scholion sequens:

2. De appropriationibus. — Ut haec ratio vel lex loquendi rite intelligatur, plura secundum ordinem breviter explicanda sunt:

1) In quo consistat appropriatio. — Essentialis omnino differentia est inter appropriationem vel appropriatum ex una parte et proprietatem vel proprium ex altera parte. Scilicet cum haec ad relationes referantur, quibus personae divinae distinguuntur et constituuntur, illa potius attributa absoluta spectant, quae uni personae divinae prae aliis tribuuntur, quamvis reipsa tribus personis communia sint; appropriare enim, ut S. Thomas dicit, nihil aliud est nisi „commune trahere ad proprium" (De verit. q. 7. a. 3.). Sic v. g. speciali modo prae ceteris personis Patri quidem potentia, Filio autem sapientia, Spiritui Sancto vero amor erga creaturas rationales atque earum sanctificatio adscribitur. Itaque appropriatio definiri potest attributorum vel operationum ad extra tribus personis communium praedicatio de una persona divina prae aliis facta. Eiusmodi autem praedicatio attributi absoluti de una persona divina prae aliis facta cernitur tum in eo, quod eiusmodi attributum regulariter vel frequentissime de una persona, de aliis autem nonnisi raro vel fere nunquam praedicatur; tum in eo, quod in connumeratione vel comparatione personarum alteri personae alterum attributum absolutum adscribitur.

23. Quae cum ita sint, appropriatio stricto saltem sensu non est, quando absolutum simpliciter, etsi expresse, de una aliqua persona enuntiatur, ut si dico: Filius est omnipotens et omniscius, vel: Spiritus Sanctus omnia creavit; in his enim sententiis non praedicatur absolutum de una persona prae aliis, sed de illa persona, ut Deus est, simpliciter attributum divinum enuntiatur, quod non magis appropriatio est, ut recte notat Cardinalis Franzelin, quam cum singulae personae praedicantur Deus esse. — Neque etiam appropriatio sensu stricto est, si nomen per se significans attributum absolutum, quod cognationem quandam cum proprietate personali habeat, sensu relativo adhibeatur ad personam designandam; qua ratione v. g. terminus *Sapientia genita* personam Verbi sive Filii, et alter terminus *amor procedens* personam Spiritus Sancti significat; eiusmodi enim nomina per se absoluta (sapientia, amor) per apposita (genita, procedens) ad relativam significa-

-ionem determinantur atque nomina propria evadunt, quibus ipsa proprietas relativa personalis exprimitur. Similiter de ipso nomine usu sacrato tertiae personae *Spiritus Sancti* dicendum est. — *Itaque appropriationi essentiale est, ut nomen significans attributum absolutum atque hanc significationem retinens de una persona prae aliis praedicetur vel adhibeatur.*

2) *Appropriationis fundamentum et scopus.* — Quae 24.
descripta vel definita est appropriatio certe non arbitrarie vel pro lubito fieri potest, sed fundamentum habet in ipsa rei natura atque ad certum scopum tendit ideoque certis legibus regitur: Et *primo* quidem fundamentum eiusdem duplex cum S. Thoma assignari potest: nimirum appropriatio fieri vel attributum aliquod absolutum uni personae prae aliis adscribi potest, aut quia in eiusmodi attributo specialis quaedam similitudo vel analogia cum proprietate relativa alicuius personae divinae cernitur; aut vero, quia idem attributum dicit perfectionem talem, qualis in personis creatis eiusdem nominis deficere solet. Ita certe rem declarat S. *Thomas:* „Possunt autem manifestari personae divinae per essentialia attributa dupliciter: Uno modo per viam similitudinis, sicut ea, quae pertinent ad intellectum appropriantur Filio, qui procedit per modum intellectus ut Verbum; alio modo per modum dissimilitudinis, sicut potentia appropriatur Patri, ut Augustinus dicit, quia apud nos Patres solent esse propter senectutem infirmi, ne tale aliquid suspicemur in Deo.“ (S. th. 1. p. q. 39. a. 6.). Saepissime autem in appropriationibus, quae usuveniunt, primum, rarius vero alterum fundamentum attenditur. Quare ipse S. Thomas loco superius citato primum tantum exhibet: „Appropriare nihil est aliud, quam commune trahere ad proprium. Illud autem quod est commune toti Trinitati, non potest trahi ad proprium alicuius personae ex hoc, quod magis uni personae quam alii conveniat; hoc enim aequalitati personarum repugnaret; sed ex hoc quod id, quod est commune, maiorem habet similitudinem ad id, quod est proprium personae unius, quam cum proprio alterius: sicut bonitas habet quandam convenientiam

cum proprio Spiritus Si, qui procedit ut amor (est enim bonitas obiectum amoris); et similiter potentia appropriatur Patri, quia potentia in quantum huiusmodi est quoddam principium; Patri autem proprium est esse principium totius divinitatis; et eadem ratione sapientia appropriatur Filio, quia habet convenientiam cum proprio eius; procedit enim Filius a Patre ut Verbum, quod nominat processionem intellectus" (De verit. q. 7. a. 3.).

25 Cum appropriatio in his rationibus innitatur, *secundo* facile intelligitur, eandem ad manifestationem et distinctionem personarum divinarum tamquam ad scopum vel finem dirigi. Apposite iterum *S. Thomas:* „Ad manifestationem fidei conveniens fuit, essentialia attributa personis appropriari. Licet enim trinitas personarum demonstratione probari non possit, . . . convenit tamen, ut per aliqua magis manifesta declaretur. Essentialia vero attributa sunt nobis magis manifesta secundum rationem, quam propria personarum; quia ex creaturis, ex quibus cognitionem accipimus, possumus per certitudinem devenire in cognitionem essentialium attributorum, non autem in cognitionem personalium proprietatum . . . Sicut igitur similitudine vestigii vel imaginis in creaturis inventa utimur ad manifestationem divinarum personarum, ita et essentialibus attributis. Et haec manifestatio personarum per essentialia attributa appropriatio nominatur." (L. c.) Eodem spectant haec, quae disserit *S. Leo papa:* „Huius b. Trinitatis incommutabilis Deitas una est in substantia, indivisa in opere, concors in voluntate, par in potentia, aequalis in gloria. De qua cum s. scriptura sic loquitur, ut aut in factis aut in verbis aliquid assignet, quod singulis videatur convenire personis, non perturbatur fides catholica, sed docetur, ut per proprietatem aut vocis aut operis insinuetur nobis veritas Trinitatis, et non dividat intellectus, quod distinguit auditus. Ob hoc enim quaedam sive sub Patris sive sub Filii sive sub Spiritus S. appellatione promuntur, ut confessio fidelium in Trinitate non erret; quae cum sit inseparabilis, nunquam intelligeretur esse Trinitas, si semper inseparabiliter diceretur. Bene ergo ipsa difficultas

loquendi cor nostrum ad intelligentiam trahit, et per infirmitatem coelestis doctrina nos adiuvat: ut quia in deitate Patris et Filii et Spiritus Sancti nec singularitas est nec diversitas cogitanda, vera unitas et vera Trinitas possit quidem mente simul aliquatenus sentiri, sed non possit simul ore proferri" (Serm. 76. n. 2.).

3) Appropriationum usus in Scriptura et apud SS. Patres. — Legitimum esse eiusmodi appropriationum usum. 26.
exemplo patet Scripturae et SS. Patrum. Et *primo quidem Scriptura appropriatione utitur v. g.* 1. Cor. 12, 4.: „*Divisiones gratiarum* (χαρισμάτων) *sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum* (διακονίων) *sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum* (ἐνεργημάτων) *sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.*" Scilicet in his verbis ex multorum saltem interpretum sententia non una solum, sed duplex cernitur appropriatio: prima in eo continetur, quod in enumeratione Pater appellatur Deus (quia est principium sine principio), Filius autem Dominus (quia etiam secundum naturam humanam dominatur). Altera vero appropriatione Patri (tamquam principio omnis entis) tribuuntur operationes virtutum i. e. miracula, Filio autem (tamquam incarnato et ecclesiae Domino) adscribitur distributio ministeriorum in ecclesia: denique Spiritui Sancto (quia per amorem sanctissimum Patris et Filii procedit) tribuuntur charismata sanctificantia, quae Dei in nos caritatem singulari modo manifestant. — Item illud Rom. 11, 36: *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia* ex multorum sententia appropriationem continet, imprimis ex sententia ipsius *Augustini:* „Non confuse, inquit, accipiendum est, quod ait Apostolus . . .: *ex ipso* dicens propter Patrem, *per ipsum* propter Filium, *in ipso* propter Spiritus Sanctum." (De Trinit. l. 6. c. 10.). Ad quam appropriationem intelligendam haec *S. Thomae* declaratio spectat: „Praepositio *ex* importat habitudinem quandam causae materialis, quae locum non habet in divinis; aliquando vero habitudinem causae efficientis, quae quidem competit Deo ratione suae potentiae activae; unde et appropriatur Patri sicut et potentia. Haec vero

praepositio *per* designat quidem quandoque causam mediam, sicut dicimus, quod faber operatur per martellum. Et sic ly *per* quandoque non est appropriatum, sed proprium Filii secundum illud Ioan. 1, 3.: *omnia per ipsum facta sunt,* non quia Filius sit instrumentum, sed quia ipse est principium de principio. Quandoque vero designat habitudinem formae, per quam agens operatur, sicut dicimus, quod artifex operatur per artem; unde sicut sapientia et ars appropriantur Filio, ita et ly *per quem.* Haec vero praepositio *in* denotat proprie habitudinem continentis. Continet autem Deus res dupliciter: Uno modo secundum suas similitudines, prout scilicet res dicuntur esse in Deo, in quantum sunt in eius scientia: et sic hoc quod dico *in ipso* esset appropriatum Filio. Alio vero modo continentur res a Deo, in quantum Deus sua bonitate eas conservat et gubernat ad finem convenientem adducendo. Et sic ly *in quo* appropriatur Spiritui Sancto, sicut et bonitas. Nec oportet, quod habitudo causae finalis, quamvis sit prima causarum, appropriatur Patri, qui est principium non de principio: quia personae divinae, quarum Pater est principium, non procedunt ut ad finem, cum quaelibet illarum sit ultimus finis; sed naturali processione, quae magis ad rationem naturalis potentiae pertinere videtur." (S. th. 1. p. q. 49. a. 8.).

27. *Frequens est usus approprationum etiam apud SS. Patres:* Exemplo potest esse, quod constans fere consuetudo est in enumeratione primae et alterius personae illam, Patrem Deum, alteram autem, Filium, Dominum appellare: quamvis certe utraque sit et habeatur a Patribus Deus. Huc imprimis referri potest illa distinctio, quam SS. Patres, ut Iustinus, Epiphanius, Eusebius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Maximus aliique faciunt inter θεολογίαν et κυριολογίαν; illa enim Patrem, haec vero Filium spectat. Eadem distinctione etiam *Tertullianus* utitur: „Apostolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater et Filius, Deum Patrem appellem et Iesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus: *Ex quibus Christus, qui est Deus super omnia*

benedictus in aevum omne. Nam et radium solis seorsum solem vocabo, solem autem nominans, cuius est radius, non statim et radium solem nominabo." (cont. Prax. c. 13.). Item hanc rationem loquendi sectatur *Gregorius Naz.*, quando v. g. religionem nostram sic nos edocere dicit „ut Deum unum ingenitum agnoscamus Patrem, unum item genitum Dominum Filium, qui Deus quidem appellatur, cum de eo separatim sermo habetur, Dominus autem, quando cum Patre nominatur; illud propter naturam, hoc propter unum divinitatis principatum" (Orat. 23.). Quibus verbis simul rationem pandit, ob quam Patri nomen Deus approprietur, quia scilicet est principium vel origo entis, qua late patet, ideoque etiam alterius et tertiae personae SS. Trinitatis. Haec autem appropriatio ex SS. Patrum mente id proprium habet, quod maxime accommodata est ad articulum divinae monarchiae inculcandum; quo spectat v. g. hoc *Gregorii Naz.* dictum: „Unus quidem est Deus, siquidem Filius et Spiritus Sanctus ad unam causam referuntur" (Orat. 29.): necnon haec, quae *Tertullianus* scribit: „Qui Filium non aliunde deduco, sed de substantia Patris, nihil facientem sine Patris voluntate, omnem a Patre consecutum potestatem, quomodo possum de fide destruere monarchiam, quam a Patre Filio traditam in Filio servo? Hoc mihi et in tertium gradum dictum sit, quia Spiritum non aliunde peto, quam a Patre per Filium. Vide ergo, ne tu potius monarchiam destruas" (cont. Prax. c. 3.).

4) Alia quaedam appropriationis exempla. — Ex multis 28. appropriationibus, quae sive apud SS. Patres sive etiam in liturgiis occurrunt, adhuc aliquas referre iuvat:

Vulgaris et frequens est appropriatio supra iam indigitata, qua Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui Sancto bonitas tribuitur; quae appropriatio fundatur super utramque rationem superadictam, videlicet similitudinis ad personales characteres necnon oppositionis ad creaturas eiusdem nominis; quod pulchre declarat *S. Thomas:* „Quia apud nos invenitur infirmitas in Patribus propter senectutem, Patri coelesti potentia attribuitur. Invenitur imperitia in filiis propter iuven-

tutis motus et inexperientiam, et ideo Filio Dei sapientia attribuitur. Sed nomen Spiritus apud nos pertinere solet ad quandam rigiditatem et sufflationem vel impetuositatem; unde dicitur Is. 2: *Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius*, et ideo Spiritui Sancto bonitas attribuitur . . . Si autem accipientur rationes nominum, prout in divinis sunt, sic potest fieri (appropriatio) per assimilationem ad propria: ut Patri, qui est fontale principium, potentia adscribatur, quae in ratione sua principium includit; et quia Filius procedit per modum intellectus, qui sapientia perficitur, attribuitur sibi sapientia; et quia Spiritus Sanctus procedit per modum voluntatis, cuius obiectum est bonitas, ideo sibi appropriatur bonitas" (In 1. d. 34. q. 2.: cf. 1. p. q. 39. a. 8. ad 3.).

29. Apud *S. Augustinum* et alios deinceps occurrit haec appropriatio: „In Patre est unitas, in Filio aequalitas, in Spiritu Sancto aequalitatis unitatisque concordia" (De doctrina christ. l. 1. c. 5.); atque iterum ibidem: „Tria haec omnia unum sunt propter Patrem, aequalia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum Sanctum." Cuius appropriationis declarationem exhibet *S. Thomas*: „Quae quidem tria (sc. unitas, aequalitas, concordia) unitatem importare manifestum est, sed differenter. Nam unitas dicitur absolute, non praesupponens aliquid aliud; et ideo appropriatur Patri, qui non praesupponit aliquam personam, cum sit principium non de principio. Aequalitas autem importat unitatem in respectu ad alterum: nam aequale est, quod habet unam quantitatem cum alio; et ideo aequalitas appropriatur Filio, qui est principium de principio. Connexio autem importat unitatem aliquorum duorum; unde appropriatur Spiritui Sancto, in quantum est a duobus: ex quo sensu etiam intelligi potest, quod dicit Augustinus, tria esse unum propter Patrem, aequalia propter Filium, connexa propter Spiritum Sanctum. Manifestum est enim quod illi attribuitur unumquodque in quo primum invenitur: sicut omnia inferiora dicuntur vivere propter animam vegetabilem, in qua primo invenitur ratio vitae in istis inferioribus. Unitas autem statim invenitur in persona Patris etiam per impossibile remotis aliis

personis. Et ideo aliae personae a Patre habent unitatem, sed remotis aliis personis non invenitur aequalitas in Patre, sed statim posito Filio invenitur aequalitas. Et ideo dicuntur omnia aequalia propter Filium; non quod Filius sit principium aequalitatis Patris, sed quia nisi esset Patri aequalis Filius, Pater aequalis non posset dici; aequalitas enim eius primo consideratur ad Filium. Hoc enim ipsum, quod Spiritus Sanctus Patri aequalis est, a Filio habet. Similiter excluso Spiritu Sancto, qui est duorum nexus, non posset intelligi unitas connexionis inter Patrem et Filium; et ideo dicuntur omnia esse connexa propter Spiritum Sanctum; quia posito Spiritu Sancto invenitur ratio connexionis in divinis personis, unde Pater et Filius possint dici connexi." (L. c.)

Apud *S. Hilarium* haec invenitur appropriatio: „Aeternitas est in Patre, species in imagine, usus in munere" (De Trinit. l. 2.), qua aeternitas Patri, species Filio, usus Spiritui S. appropriatur. Hanc quoque appropriationem declarat *S. Thomas:* „Aeternitas enim, in quantum significat esse non principiatum, similitudinem habet cum proprio Patris, qui est principium non de principio; species autem sive pulchritudo habet similitudinem cum propriis Filii. Nam ad pulchritudinem tria requiruntur: Primo quidem integritas sive perfectio; quae enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt; et debita proportio sive consonantia; et iterum claritas, unde quae habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur. Quantum igitur ad primum similitudinem habet cum proprio Filii, in quantum est Filius habens in se vere et perfecte naturam Patris; unde ad hoc innuendum Augustinus in sua expositione (De Trinit. l. 6. c. 10) dicit: Ubi scilicet in Filio summa et perfecta vita est etc. Quantum vero ad secundum convenit cum proprio Filii, in quantum est imago expressa Patris; unde videmus, quod aliqua imago dicitur esse pulchra, si perfecte repraesentet rem quamvis turpem. Et hoc tetigit Augustinus loco nunc proxime citato, cum dicit: Ubi est tanta convenientia et prima aequalitas etc. Quantum vero ad tertium convenit cum proprio Filii, in quantum est Verbum, quod quidem lux est et splendor intellectus, ut Da-

mascenus dicit (lib. 3. de fide orthod. c. 3. parum ante medium). Et hoc tangit *Augustinus* loco nunc proxime dicto cum dicit: Tamquam verbum perfectum, cui non desit aliquid, et ars quaedam omnipotentis Dei etc. — Usus autem habet similitudinem cum propriis Spiritus Sancti, largo modo accipiendo usum, secundum quod uti comprehendit sub se etiam frui, prout uti est assumere aliquid in facultatem voluntatis et frui est cum gaudio uti, ut Augustinus (10. de Trinit. c. 11. ante med.) dicit. Usus ergo, quo Pater et Filius se invicem fruuntur, convenit cum proprio Spiritus Sancti, in quantum est amor. Et hoc est, quod *Augustinus* dicit (lib. 6. de Trinit. c. 10. in med.): Illa dilectio, delectatio, felicitas, vel beatitudo usus ab illo appellatus est. Usus vero, quo nos fruimur Deo, similitudinem habet cum proprio Spiritus Sancti, in quantum est donum; et hoc ostendit *Augustinus* (ibidem), cum dicit: Est in Trinitate Spiritus Sanctus, genitoris genitique suavitas, ingeniti largitate atque ubertate nos vel creaturas perfundens. Et sic patet, quare aeternitas, species et usus personis attribuuntur vel appropriantur, non autem essentia vel operatio; quia in ratione horum propter sui communitatem non invenitur aliquid similitudinem habens cum proprio personarum.“ (L. c.)

.31 Deinde appropriatio etiam continetur in orationis conclusione, quae saepissime occurrit in missali aliisque precibus ecclesiasticis: *per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.* Videlicet hac formula exprimitur, orationem dirigi ad Deum Patrem, quamvis proprie ad tres personas divinas simul tendat. Ratio est, quia, quamvis tota Trinitas sit Pater noster, nihilominus prima persona speciali modo pater noster dicitur, quia paternitas Dei versus nos specialem similitudinem habet cum Paternitate erga Filium unigenitum et aeternum; praeterea Deus Pater prius origine bona continet, quae tres personae simul nobis largiuntur, et ideo eadem bona nobis communicata Patri speciali modo attribui possunt. — Deinde alia adhuc

appropriatio continetur in termino per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum; quae iam supra explicata est.

Denique multiplex appropriatio occurrit in utroque hymno ad Spiritum Sanctum directo: *Veni sancte Spiritus* et *Veni creator Spiritus* aliisque pluribus orationibus liturgicis.

5) *Animadversiones duae.* — Postremo duo adhuc ex- 32.
presse notanda sunt: Et *primo* quidem animadvertendum est, *non solum uni personae appropriari posse plura attributa, sed vicissim idem attributum sub diversa ratione etiam diversis personis:* ratio est, quia proprietates vel characteres personales sub pluribus diversis rationibus spectari possunt, secundum quas analogiam habent cum diversis attributis. Ita v. g. virtus appropriatur tum Patri, quatenus est principium omnium etiam productionum ad intra; tum Filio, quatenus consideratur (etiam per appropriationem) tamquam instrumentum vel brachium Patris; tum Spiritui Sancto, quatenus est amor procedens atque ex amore divino omnia opera ad extra praesertim supernaturalia procedunt. Quare verba angeli: *Virtus Altissimi obumbravit tibi* ab aliis Patribus de Patre, ab aliis de Filio, ab aliis denique de Spiritu Sancto explicantur. — *Secundo nihilominus omnes appropriationes singulis personis factae ad idem facile reducuntur:* Quaecunque scilicet appropriantur Patri, principii rationem spectant, quaecunque Filio, ad operationem intellectus referuntur; quaecunque Spiritui Sancto, operationem voluntatis respiciunt. Secundum has autem appropriationes vel secundum tria per ipsas personis divinis appropriata in omnibus creaturis aliquod vestigium Trinitatis a Patribus et theologis inveniri dicitur, cum in creaturis rationalibus inveniatur etiam repraesentatio per modum imaginis. Quod egregrie explicat *S. Thomas:* „Omnis effectus aliqualiter repraesentat suam causam, sed diversimode. Nam aliquis effectus repraesentat solum causalitatem causae, non autem formam eius, sicut fumus repraesentat ignem, et talis repraesentatio dicitur esse repraesentatio vestigii; vestigium autem demonstrat motum alicuius transeuntis, sed non qualis sit. Aliquis autem effectus repraesentat causam quantum ad similitudinem formae eius,

sicut ignis generatus ignem generantem; et statua Mercurii Mercurium; et haec est repraesentatio imaginis. Processiones autem divinarum personarum attenduntur secundum actus intellectus et voluntatis . . . Nam Filius procedit ut Verbum intellectus, Spiritus Sanctus ut amor voluntatis. In creaturis igitur rationalibus, in quibus est intellectus et voluntas, invenitur repraesentatio Trinitatis per modum imaginis, in quantum invenitur in eis verbum conceptum et amor procedens. Sed in creaturis omnibus invenitur repraesentatio Trinitatis per modum vestigii, in quantum in qualibet creatura inveniuntur aliqua, quae necesse est reducere in divinas personas sicut in causam. Quaelibet enim creatura subsistit in suo esse; et habet formam, per quam determinatur ad speciem; et habet ordinem ad aliquid aliud. Secundum igitur, quod est quaedam substantia creata, repraesentat causam et principium; et sic demonstrat personam Patris, qui est principium non de principio. Secundum autem quod habet quandam formam et speciem, repraesentat Verbum, secundum quod forma artificiati est ex conceptione artificis. Secundum autem quod habet ordinem, repraesentat Spiritum Sanctum, in quantum est amor; quia ordo effectus ad aliquid alterum est ex voluntate creantis. Et ideo dicit Augustinus (in 6. lib. de Trinit. c. 10. circa fin.), quod vestigium Trinitatis invenitur in unaquaque creatura, secundum quod unum aliquod est, et secundum quod aliqua specie formatur et secundum quod quendam ordinem tenet. Et ad haec etiam reducuntur illa tria: numerus, pondus et mensura, quae ponuntur Sap. 11 . . Nam mensura refertur ad substantiam rei limitatam suis principiis, numerus ad speciem, pondus ad ordinem. Et ad haec tria reducuntur alia tria, quae ponit Augustinus (in lib. de natura boni c. 3.): Modus, species et ordo; et ea, quae ponit (in lib. 83 qq. q. 18. in princip.): quo constat, quo discernitur, quo congruit. Constat enim aliquid per suam substantiam, discernitur per formam, congruit per ordinem. Et in idem de facili reduci possunt quaecunque sic dicuntur" (S. th. 1. p. q. 45. a. 7.)

Articulus secundus.

De circumincessione divinarum personarum.

Thesis 18. **Tribuenda est personis divinis etiam circumincessio sive mutua ipsarum in invicem exsistentia vel immanentia.**

Declaratio.

Argumentum huius articuli. — Doctrinam de **1.** circumincessione personarum divinarum SS. Patres saepissime proponunt, utpote in qua compendiosam quandam totius mysterii SS. Trinitatis summam necnon validam omnium haeresum oppositarum confutationem vident. *S. Ioannes Damascenus* eandem doctrinam breviter sic comprehendit: „Scimus, hypostases non extra se invicem excedere, et ab invicem inseparabiles et unitas esse, et in se invicem commeantes inconfuse, unitas quidem absque confusione; tres enim sunt etiamsi uniantur, distinctae vero absque separatione. Licet enim unaquaeque per se subsistat, hoc est perfecta sit hypostasis, et suam proprietatem, id est modum subsistendi distinctum habeat; at uniuntur essentia et essentialibus attributis, adeoque non separantur neque extra paternam hypostasin egrediuntur, atque unus Deus sunt et dicuntur“ (De Fide orthod. l. 3. c. 5.). Cum quibus consonat haec Concilii Toletani XI. declaratio: „Nec tres istae personae separabiles aestimandae sunt, cum nulla ante aliam nulla post aliam nulla sine alia vel exstitisse vel quidquam operasse aliquando credatur, inseparabiles enim inveniuntur et in eo quod sunt et in eo quod faciunt.“ Quibus verbis perspicue personarum divinarum unitas et inseparabilitas tum in exsistendo tum in operando exhibetur; cum vero de hac altera, scilicet de indivisa trium personarum operatione tractatum sit in articulo praecedenti, in hoc iam prior illa unitas vel inseparabilitas in exsistendo accuratius investiganda est; haec est enim illa unitas vel inseparabilitas, vel inexistentia, quam SS. Patres graeci περιχώρησιν sive ἐνυπάρξιν, latini vero Patres necnon veteres Scholastici circumincessionem

vel circumcessionem, recentiores vero theologi communiter etiam circuminsessionem vocant. Quae cum ita sint, circumincessio breviter definiri potest: Mutua personarum divinarum distinctarum in invicem exsistentia vel immanentia. In qua definitione terminus *distinctarum* non arbitrarie sed deliberate appositus est, quia circumincessio vel supponit vel includit realem personarum divinarum distinctionem; etenim subiecta quae realiter identica sunt, in invicem exsistere vel immanere non dicuntur; quare circumincessio v. g. inter essentiam divinam et singulas personas nulla intercedit neque unquam a Patribus vel theologis asserta est. Iam in praesente articulo, qui facile una thesi absolvitur, haec personarum divinarum circumincessio in sua luce ponenda vel secundum internas suas rationes ex SS. Patrum doctrina declaranda et vindicanda est; qua ratione patebit, quam merito SS. Patres hoc caput doctrinae summam quandam fidei Trinitatis necnon compendiosam haeresum oppositarum confutationem dixerint.

Demonstratio.

2. Mutua personarum divinarum in invicem exsistentia vel immanentia *aperte proponitur a Scriptura:* Ita Ioann. 10, 37. 38. Christus ipse declarat: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre.* Deinde Ioan. 14, 8. ss. Philippo roganti: *Domine ostende nobis Patrem,* Christus respondet: *Tanto tempore vobiscum sum et non cognoscitis me? Philippe, qui videt me videt et Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est?* Iterum Ioan. 17, 21. 22. Christus Patrem rogat: *ut omnes unum sint, ut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Quibus verbis omnibus certe clarissime mutua Patris et Filii in invicem exsistentia et immanentia simulque eadem cum naturae unitate et distinctione personarum connexa esse ex-

hibetur. Quod autem sub hoc respectu de Patre et Filio valet, ex paritate rationis manifeste etiam de Spiritu Sancto asserendum est; ceterum Apostolus clare significat, Spiritum Sanctum in Deo esse, sicut spiritus hominis in homine est: *Nobis Deus revelavit per Spiritum suum . . . Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo novit, nisi Spiritus Dei* (qui in ipso est)? (1. Cor. 2, 11.). Scilicet incisum additum: qui in ipso est, ex parallelismo constructionis certissime intelligitur supplendum esse, insuper autem ab aliquibus SS. Patribus in ipso scripturae textu lectum esse videtur.

Itaque ex ipsa scriptura prorsus manifestum est, personas 3.
divinas distinctas mutuo in invicem exsistere et sibi immanere necnon hanc circumincessionem tum distinctionem personarum tum naturae unitatem involvere. Restat autem accuratius explicanda interna eiusdem ratio vel fundamenta pandenda sunt, in quibus innitatur. Quae omnia egregie complectitur *S. Thomas* una hac sententia: „In Patre et Filio est tria considerare: scilicet essentiam et relationem et originem; et secundum quodlibet istorum Filius est in Patre et e converso“ (S. th. 1. p. q. 42. a. 5). Verum hoc ipsum per aliquas assertiones magis explicandum est:

1. *Circumincessio fundatur in substantiali* 4.
trium personarum unitate. — Quod *primo* ex ipsa natura rei facile intelligitur: „Secundum essentiam enim Pater est in Filio, quia Pater est sua essentia et communicat suam essentiam Filio non per aliquam suam transmutationem. Unde sequitur, quod cum essentia Patris sit in Filio, in Filio sit Pater; et similiter cum Filius sit sua essentia, sequitur quod sit in Patre, in quo est eius essentia. Et hoc est, quod Hilarius dicit (5. de Trinit. prope fin.): ‚Naturam suam, ut ita dicam, sequitur immutabilis Deus, immutabilem gignens Deum subsistentem. Ergo in eo Dei naturam intelligimus, cum in Deo Deus insit'“ (Ibid.).

Secundo eadem ratione rem declarant SS. Patres. Ita 5.
v. g. *Athanasius:* „Cum Filium germanum é Patre esse non

sentiant, de germano Filio mentiuntur, cui soli dicere convenit: *Ego in Patxe st Pater in me.* Est enim Filius in Patre, quatenus intelligere licet, eo ipso, quod totum id quod est Filius, substantiae Patris proprium est, quemadmodum ex luce splendor (sc. splendor, qui sit ipsa lux refulgens) et ex fonte fluvius (qui scilicet aqua est ac fons scaturiens), adeo ut qui videt Filium, videat id quod proprium est Patris, et intelligat, esse Filii ex Patre derivari et sic in Patre esse. Est autem et in Patre Filius, quoniam, quod Patris proprium est, hoc ipsum est Filius, sicut in splendore sol et in verbo mens et in fluvio fons. Ad hunc enim modum, qui contemplatur Filium, contemplatur id, quod Patris substantiae proprium est et agnoscit Patrem in Filio. Nam cum id quod proprium est, nempe divinitas Patris, sit esse Filii, consequens est, ut et Filius in Patre sit et Pater in Filio. Etenim propterea merito, cum antea dixisset: *Ego et Pater unum sumus,* adiecit: *Ego in Patre et Pater in me,* ut et identitatem divinitatis, et substantiae unitatem significaret" (Orat. 3. cont. Arian.). — Similiter *S. Cyrillus A.:* „Non Filius in Patre est, sicut nos: si quidem nos in Deo vivimus, movemur et sumus. Atvero naturaliter Filius ex essentia Patris velut perenni quodam fonte procedens vita est naturaliter omnia vivificans . . . Non igitur quemadmodum nos in Deo vivificamur, ita etiam ipse vivit et est, sed revera naturaliter est, quod seipsum esse dicit, hoc est vita, et naturaliter in Patre exsistens unum cum eo identitate essentiae, quae est deitas." (Thesaur. ass. 12.) — Item *S. Hilarius:* „Quod in Patre est, hoc et in Filio est; quod in ingenito, hoc et in unigenito; alter ab altero et uterque unum; non duo unus, sed alius in alio, quia non aliud in utroque" (De Trinit. l. 3. n. 4.). Et iterum: „Non enim suffecerat dixisse: *Qui me videt, videt et Patrem;* nisi intelligentiam nostram eo usque protenderet, ut cum Patrem nosceremus in Filio, Filium tamen esse meminissemus in Patre; ne transfusio potius alterius in alterum existimaretur, quam per generationem, nativitatemque in utroque naturae." (Ibid. l. 2. n. 7.) — Praeterea *Fulgentius:*

„Verus Deus in personis Trinitas est et in una natura unus est. Per hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio et Spiritu Sancto est, totusque Spiritus Sanctus in Patre et Filio est.“ (De fide ad Petrum c. 1. n. 4.) Et alibi scribit: „Illud Verbum quod Deus est sic apud Deum esse, de quo est, ut per unitatem naturae in Deo sit, et per eandem unitatem unus cum illo Deus sit.“ (Ad Monim. l. 3. c. 8.)

Tertio eandem rei intelligentiam produnt concilia, ut 6.
v. g. *Concilium Florentinum in decreto pro Iacobitis:* „Hae tres personae sunt unus Deus et non tres Dii: quia trium est una substantia, una essentia, una natura, una divinitas, una immensitas, una aeternitas, omniaque sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Propter hanc unitatem Pater est totus in Filio, totus in Spiritu Sancto; Filius totus est in Patre, totus in Spiritu Sancto; Spiritus Sanctus totus est in Patre, totus in Filio.“

2. Praeterea circumincessio fundatur in im- 7.
manenti processione alterius et tertiae personae. — Quod item *primo* ex natura rei facile patet. Apposite *S. Thomas:* „Secundum originem etiam manifestum est, quod processio verbi intelligibilis non est aliquid extra, sed manet in dicente. Id etiam quod verbo dicitur, in verbo continetur, et eadem ratio est de Spiritu Sancto.“ (L. c. in corp.) „Exitus Filii a Patre est secundum modum processionis interioris, prout verbum exit a corde, et manet in eo. Unde exitus iste in divinis est secundum distinctionem relationum, non secundum essentialem aliquam distantiam.“ (Ibid. ad 2.)

Secundo SS. Patres item hanc declarationem exhibent. 8.
Audiatur v. g. *Cyrillus A.:* „Est ex mente et in mente (εἰς νοῦν) ratio semper, et mens in ratione (ἐν λόγῳ). Aut si haec vera esse negaverint, mens igitur erit absque ratione et ratio sine mente, sicque inane erit id, quod utramque patefacit, quid sit, et ad nihilum redigetur. Mens quippe semper rationis radix est et origo, ratio vicissim fructus et genimen mentis . . . Cum autem sit mens, quia habet rationem, et vicissim ratio quia mente plena est; quomodo unquam cogitaretur mens sine ratione et ratio orbata mente? . . .

Huius iam imaginis vis quomodo congruet Patri et Filio? Aptissima inquam et valde clara est ostensio, quod Verbi est ex mente processio et sine passione generatio, et utique genitum non dividitur; sed imo manet in mente generante et omnino habet in seipso mentem generantem; insuperque ostenditur, Verbum habere consubstantialem immediate, et etiam nostra consideratione simultaneam subsistentiam" (Dialog. II de Trinit.). Et alibi docet, Filium esse in Patre et Patrem in Filio ac alterum videri in altero, „non propter solam substantiae similitudinem, ut et Filium in Patre velut characterem contemplemur, aut velut archetypum in Filio Patrem, verum et Filium per generationem e Patris emicantem substantia, et ex ea proprie existentem ac subsistentem Deum Verbum profitebimur, Patrem vero rursus in Filio tamquam in consubstantiali foetu" (In Ioan. l. 1.). Et iterum alibi de Spiritu S. haec docet: „Non est alienus a divina essentia Spiritus, sed tamquam naturalis et substantialis actus ex ipsa procedens et in ipsa manens omnia operatur, quae Deus" (Thesaur. assert. 34.). — Item *Hilarius*, qui ad verba supra citata haec addit: „Pater in Filio, quia ex eo Filius. Filius in Patre, quia non aliunde; quod Filius Unigenitus in Ingenito, quia ab Ingenito Unigenitus; ita in se invicem, quia ut omnia in Ingenito Patre perfecta sunt, ita omnia in Filio Unigenito perfecta sunt" (De Trinit. l. 3. n. 4.) — Praeterea *Fulgentius* discrimen inter praesentiam amici apud amicum et Verbi apud Deum praesentiam explicans, hominem sic apud alterum esse declarat, ut in ipso substantialiter esse nequeat atque dein pergit: „Sed sic est Verbum apud Deum sicut in mente verbum, sicut in corde consilium. Cum enim mens apud se Verbum habet, utique cogitando habet, quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare. Cum ergo mens cogitat, et cogitando verbum inter se generat, de sua substantia generat verbum, et sic illud verbum generat de se, ut genitum habeat apud se. Nec minus aliquid habet verbum, quod ex mente nascitur, quam est mens, de qua nascitur, quia quanta est mens quae generat verbum, tantum est etiam ipsum verbum. Sicut enim de tota mente nascitur

verbum, sic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente non est eius aliquid, ubi in ea verbum non sit, ideo verbum tantum est, quanta est mens ipsa, de qua est, et cum apud illam est in illa est, et quanta illa est tantum etiam verbum est, quia de tota et in tota est. Tantumque est ipsum verbum, quantum simul est et mens ipsa cum verbo. Neque enim sic de illa verbum nascitur, ut ab ea localiter secernatur.“ (Ad Monim. l. 3. c. 7.) — Denique *S. Anselmus:* „Totus Pater est in Filio et communi Spiritu et Filius in Patre et eodem Spiritu, et idem Spiritus in Patre et Filio; quia memoria summae essentiae tota est in eius intelligentia et amore, et intelligentia in memoria et in amore, et amor in memoria et intelligentia.“ (Monolog. c. 57.)

3. Denique circumincessio quadam ratione fundatur etiam in relationibus, quatenus scilicet personae divinae tamquam correlativa se invicem inferunt ac inseparabiles sunt. — Quod iterum *primo* ex ipsa rei natura patet. Apposite iterum *S Thomas:* „Secundum etiam relationes manifestum est, quod unum oppositorum relative est in altero secundum intellectum“ (L. c.). Sane quidem sub conceptu oppositionis relativae personae divinae magis ad invicem quam in invicem esse intelliguntur; verumtamen, quia per relationes oppositionis formaliter constituuntur, vi eiusdem oppositionis relativae una sine altera nec concipi nec esse potest; quare etiam sub hoc respectu tum logice tum ontologice inseparabiles sunt; quae inseparabilitas item circumincessionem fundare vel ad eandem conferre dici potest. 9.

Secundo haec quoque circumincessionis ratio iam apud SS. Patres invenitur. Huc spectant scilicet, quae de catena logica disputant, qua personae divinae necessario connectantur (cf. th. 9. n. 15.) necnon haec *S. Dionysii Alexandrini* apud *Damascenum* (Eclog. c. 1.): „Nominum illorum quodlibet inseparabile est nec a proximo dividi potest: Patrem dixi et priusquam Filium subiiciam, hunc in Patre significavi; Filium subieci et etiamsi Patrem non ante nominassem, prorsus tamen in Filio iam praeconceptus fuisset; Spiritum Sanctum 10.

adieci, simul vero (ipso nomine Spirati) inclusi, et a quo et per quem (a Patre per Filium) processerit."

11. *Tertio* denique etiam *Concilium Toletanum XI.* similiter declarat: „Si attendamus illud, quod Scriptura Sancta dicit de Sapientia: *Splendor est lucis aeternae* (Sap. 7, 26.): sicut splendorem luci videmus inseparabiliter inhaerere, sic confitemur, Filium a Patre separari non posse. Tres ergo illas unius atque inseparabilis naturae personas sicut non confundimus, ita separabiles nullatenus praedicamus. Quando quidem ita nobis hoc dignata est ipsa Trinitas evidenter ostendere, ut etiam in his nominibus, quibus voluit sigillatim personas agnosci, unam sine altera non permittat intelligi; nec enim Pater absque Filio cognoscitur nec sine Patre Filius invenitur. Relatio quippe ipsa vocabuli personalis personas separari vetat, quas etiam, dum non simul nominat, simul insinuat. Nemo autem audire potest unumquodque istorum nominum, in quo non intelligere cogatur et alterum. Cum igitur haec tria sint unum et unum tria, est tamen unicuique personae manens sua proprietas."

12. Demonstratione absoluta *opportune iam hoc loco notantur quaedam intime connexa.* — Et *primo* quidem non immerito Cardinalis Franzelin observare videtur, si praecise spectetur unitas essentiae tamquam fundamentum, forte melius dici circuminsessionem personarum; si vero spectentur processiones ad intra, et quae ex eis logice consequuntur et cum iisdem identicae sunt relationes oppositionis tamquam fundamentum, rem plenius exprimi eam appellando circumincessionem (Thesis 14. I. 2.). Addi posse videtur, praeferendum esse absolute terminum circumincessionis, tum quia Patres non alium fere terminum adhibuerunt quam περιχώρησις, tum praecise, quia personae divinae ita in se invicem exsistunt, ut altera alteram cognoscat et amore beato complectatur; exsistentia igitur in invicem et operatione immanente circumincessio absolvitur.

13. *Secundo* notandum est, tria illa fundamenta circumincessionis, etsi formaliter diversa sint, realiter tamen coincidere vel intime connexa esse atque se invicem postulare.

Etenim processiones immanentes sine unitate vel identitate naturae in principio et termino processionis in Deo esse non possunt, quia, si terminus procedens non habeat naturam divinam, creatura esset adeoque non ad intra, sed ad extra procederet. Praeterea in tribus personis distinctis ideo tantum potest esse una natura divina, quia tres personae divinae nonnisi per oppositionem relativam distinguuntur; si enim aliquo absoluto distinguerentur, eo ipso iam etiam essentia vel natura differrent; quare unitas naturae et oppositio relativa se invicem postulant et inferunt. Denique etiam relationes divinae a processionibus immanentibus vel actibus notionalibus non re neque virtualiter neque proprie formaliter, sed nonnisi modo significandi differunt, ut superius iam probatum est (Th. 14. n. 26.; th. 15. n. 4. ss.). Quae cum ita sint, recte quidem dici potest cum Cardinali Franzelin (l. c.), realem rationem circumincessionis esse naturae unitatem in distinctis personis; verumtamen simul verum manet, tria fundamenta assignari vel tres respectus notari posse, sub quibus personae divinae distinctae inseparabiles esse vel necessario in se invicem exsistere atque sibi immanere a nobis intelliguntur.

Tertio iam illud quoque intelligitur, merito hanc de **14.**
circumincessione doctrinam tamquam compendiosam quandam refutationem considerari omnium fere haeresum mysterio SS. Trinitatis oppositarum. Etenim, ut ex tota thesi declarata et demonstrata patet, circumincessio supponit vel includit tum unitatem naturae, tum personarum distinctionem, tum processiones immanentes unam et alteram, tum denique oppositionem relativam personarum, atque harum omnium veritatum intimam connexionem; atqui his certe continetur summa doctrinae de SS. Trinitate atque profligatae iacent haereses tum Arianismi tum Sabellianismi tum Tritheismi tum denique omnes aliae, quae quacunque ratione cum his connectantur.

Corollarium.

Circumincessio non continetur in praesentia **15**
personarum divinarum ad invicem secundum

immensum ubi. — Haec est scilicet posteriorum quorundam Scholasticorum sententia. *Suarez* v. g. docet, circumincessionem secundum formalem suum conceptum esse praesentiam intimam personarum inter se, quae fundetur in earundem personarum immensitate (L. 4. c. 16. n. 11. 12); et *Ruiz* statuit: „circumincessio quidditative formaliterque consistit in praesentia intima et inseparabili atque perpetua secundum immensum ubi, ratione cuius implicet contradictionem unam personam esse alicubi nisi ibidem exsistente ac proinde praesente alia persona" (Disp. 107. s. 7. n. 9. 14.). — Verum haec sententia minus probabilis apparet, quod ex pluribus rationibus facile patet:

16. 1) *Ratio prima.* — Ex SS. Patrum necnon theologorum sententia doctrina de circumincessione est praeclara quaedam totius fidei Trinitatis summa vel adumbratio, qua omnes circa eandem fidem haereses excludantur. Iamvero hoc grave circumincessionis momentum in illa explicatione non servatur; etenim v. g. etiam in sententia tritheismi tres personae in se invicem necessario et inseparabiliter praesentes forent secundum immensum ubi. Quare illa sententia Tritheismus non excluditur; atqui circumincessione, ut eam Scriptura proponit et Patres conceperunt, omnis Tritheismi species prorsus excluditur, quippe quae essentialiter naturae divinae unitatem involvit vel in ea fundatur. Ergo illa explicatio neque ut probabilis sustineri potest.

17. 2) *Ratio altera.* — Secundum immensum ubi Deus etiam in omnibus creaturis est et omnes creaturae in Deo sunt; in ipso enim secundum Apostolum vivimus movemur et sumus. Neque tamen unquam a Patribus vel theologis asserta est inter Deum et creaturas circumincessio eiusmodi, cuiusmodi inter personas divinas intercedit; et certe alia et alia praesentia vel inexsistentia etiam a scriptura intelligitur, quando ex una parte Christus dicit: *Ego in Patre et Pater in me est.* et ex altera parte Apostolus declarat: *In ipso enim vivimus et movemur et sumus.* Illud enim: *ego in Patre et Pater in me est,* aequivalens est cum altero inciso;

Ego et Pater unum sumus, ut ex ipso contextu patet, ideoque naturae unitatem involvit.

18. *3) Ratio tertia.* — Neque contra rationem priorem forte dici potest, ideo non esse circumincessionem inter Deum et creaturas, quia creaturae non sunt ubique, ubi Deus est. Etenim neque humana Christi natura est ubique, ubi Verbum divinum est; nihilominus inter Verbum et humanam naturam circumincessio a Patribus et theologis asseritur; insuper vero inter Patrem et Spiritum Sanctum ex una parte et humanam Christi naturam ex altera parte nulla ab iisdem circumincessio statuitur. Cuius rei ratio non potest esse alia, quam quod circumincessio non continetur in locali quadam praesentia, sed in substantiali terminorum unitate vel unione fundatur, ut expositum est.

19 *4) Ratio quarta.* — Praesentia Dei, quae cum immensitate connexa est, aliquam relationem rationis ad extra dicit; iamvero talem relationem ad invicem personae divinae profecto habere nequeunt; neque circumincessio quidquam ad extra dicit, sed Deo penitus interna est. Merito igitur *Petavius:* „Nam etsi loci et „ubi" notio omnis excludatur animo, ac solae per se absolutaeque spectentur hypostases divinae, nihilominus tamen περιχώρησις et mutua in seipsis exsistentia personarum illic erit. Quippe et una posita poni necesse erit alteram, nec a se invicem separari poterunt, et altera intime coniuncta erit alteri in eaque inerit et exsistet" (De Trinit. l. 4. c. 16. n. 5.). Atque haec de illa sententia notasse sufficit, utpote quibus eandem parum probabilem esse satis elucet.

20. **2. *Conceptus circumincessionis adhuc paulo accuratius efformatur.*** — Ex his autem et omnibus, quae disputata sunt, conceptus circumincessionis adhuc accuratius efformari posse videtur. Nimirum quae de Deo dicuntur ad intra vel ad extra, praesentiam localem minime spectant; utpote qua spectata nihil extra Deum est, sed omnia in ipso continentur. *In ipso enim*, ait Apostolus, *vivimus movemur et sumus. Ad intra* igitur dicimus quidquid cum divina essentia realiter identicum est, *ad extra* autem

est, quidquid realiter a Deo differt ideoque creatum est. *Duplici autem modo* potest esse aliquid ad intra vel immanens, si Deum spectamus. *Primo modo* dici possunt sibi immanentia, quae sunt absoluta adeoque non realiter sed ratione tantum ab invicem distinguuntur, qua ratione attributa, ut potentia, sapientia in Deo vel in se invicem esse. vel cognitio et amor et actus creativus in Deo immanere dicuntur. Hic autem modus inexsistentiae et immanentiae per identitatem minus proprius est. Alio autem modo et proprio personae divinae sibi inexsistere vel sibi immanere dicuntur, utpote quae sub ratione personae realiter distinguuntur. in communi autem essentia conveniunt. Hanc vero inexsistentiam vel immanentiam expressius significare possumus dicendo: personae divinae realiter distinctae sibi mutuo immanentes sunt, quatenus altera a prima et tertia a prima et altera procedunt in identitate unius numero essentiae. Quare sicut immanentia attributorum absolutorum est eorundem realis identitas cum essentia vel inter se, ita circumincessio tandem nihil est nisi personarum ad intra procedentium et realiter distinctarum mutua in invicem immanentia propter realem et formalem eiusdem numero naturae unitatem.

21. *Opponi quidem potest,* hac ratione circumincessionem nihil differre a consubstantialitate divinarum personarum. Etenim quod realis vel materialis differentia non sit, sane conceditur atque nihil refert. Manet autem formale discrimen, quia circumincessionis conceptus plura in se comprehendit ideoque limatior est, ut ex tota expositione et nominatim ex fundamentis circumincessionis supra expositis satis patet. Atque hoc formale discrimen sufficit, ut merito de eodem argumento separatim agatur (cf. Cardinalis Franzelin. th. 14 in fine.).

Articulus tertius.

De personarum divinarum similitudine et aequalitate.

Thesis 19. **Inter divinas personas ea tantum similitudo intercedit, quae idem est cum earundem secundum essentiam identitate atque perfecta aequalitate; haec vero aequalitas in absolutis solum perfectionibus non autem in relationibus fundatur et spectanda est.**

Declaratio.

Quae in hac thesi vindicatur doctrina, in praecedenti 1.
tractatione jam continetur atque quod rem ipsam spectat pluribus locis transeunter vel implicite vel etiam explicite proposita est. Verum propter duplicem controversiam, quae de hac re viguit, etiam ex professo et enucleatius hoc loco declaranda est, praesertim quia haec declaratio ad melius adhuc et verius intelligendum mysterium SS. Trinitatis multum conferre valet. In antecessum autem ad statum quaestionis accuratius determinandum nonnulla praenotanda sunt:

1. De notionibus similitudinis, aequalitatis, 2.
identitatis. — Ipse *Aristoteles* hanc istarum notionum explicationem tradit: „Sunt eadem, quorum substantia una; similia vero, quorum qualitas una, aequalia autem, quorum quantitas una.“ (Metaphys. l. 5. c. 15). Itaque *identitas* dicit, inter ea quae identica vocantur, esse distinctionem non realem sed tantum rationis secundum eum respectum, sub quo identica esse ponuntur. Qua ratione aliquid est identicum secum ipso. animalitas cum rationalitate in homine, essentia divina cum personis vel relationibus divinis, personae divinae cum invicem, siquidem secundum essentiam vel naturam spectentur.

Aequalitas includit distinctionem realem terminorum, qui 3.
comparantur; non enim quidquam sibi ipsi dicitur vel est aequale. Formalis autem ratio aequalitatis invenitur in convenientia ejusdem quantitatis; quantitas autem hic intelligitur non solum extensionis localis vel molis, sed etiam virtutis vel perfectionis secundum illud *Augustini:* „In his, quae non mole magna sunt, hoc est magnum esse, quod est melius esse.“ (De

Trinit. l. 6. c. 8.); secus enim in rebus spiritualibus et praesertim divinis de aequalitate nullus esse posset sermo. Sub hoc igitur respectu divinae personae perfecte aequales dicuntur.

4 Denique *similitudo* quoque postulat realem terminorum distinctionem, cum neque quidquam sibimetipsi simile esse dicatur. Formalis vero ejusdem ratio posita est in convenientia qualitatis; qua ratione v. g. similes dicuntur duae domus propter convenientiam in figura et constructione, duo homines propter convenientiam in corporis conformatione et physiognomia vel etiam in scientia vel arte. Si qualitas intelligatur accidens, ejusmodi convenientia in qualitate vel similitudo in Deo vel divinis personis sane esse nequit: si vero sub nomine qualitatis comprehendatur etiam proprietas cum essentia identica, etiam Deus vel personae divinae hoc sensu similes esse dici possunt. Verum similitudo etiam latius sumitur atque de iis enuntiatur, quae non quidem in qualitate aliqua, sed in ipsa natura conveniunt: qua ratione unus homo alteri similis dicitur, quia uterque habet naturam humanam specifice eandem. Atque hunc loquendi modum ipsa scriptura adhibet, quando v. g. Apostolus dicit Filium Dei *in similitudinem hominum factum*, quia scilicet naturam humanam assumpsit (Phil. 2, 17.). Haec autem similitudo, quae in convenientia ejusdem naturae specificae fundatur, merito ideo *similitudo naturalis* dicitur. Cum vero similitudo secus ac aequalitas non postulet convenientiam in eodem ordine, etiam participatio naturalis naturae spiritalis Dei per naturam spiritalem entium rationalium atque imprimis participatio supernaturalis naturae divinae per dona supernaturalia in iisdem entibus rationalibus merito similitudo vocatur; verum, ut a naturali distinguatur, supernaturalis vel etiam analoga dicitur. Denique patet, similitudinem naturalem, quae in convenientia ejusdem naturae fundatur, reipsa coincidere cum aequalitate vel etiam identitate secundum eandem naturam, specificam in creaturis in Deo individualem. Atque haec ad terminos in thesis enuntiatione adhibitos declarandos sufficiunt.

5 ***2. De haeretica Arianorum assertione et duplici catholicorum loquendi ratione.*** — Haeretici

Ariani in eo conveniebant, inter Patrem et Filium similitudinem naturalem, quae aequalitatem essentiae inferat, non exstare; quare omnes praedicatum ὁμοούσιος Filio detrectabant. Ceteroquin vero in tres partes diversas abierunt: *alii* omnem fidei et pietatis speciem abjicientes Filium Patri asserebant dissimilem (ἀνόμοιον) ideoque Anomaei dicebantur; *alii* quidem illum Patri similem fatebantur, sed in consensione solum voluntatis et doctrinae vel etiam in virtute; denique *alii* etiam essentia vel natura Filium Patri similem (ὁμοιούσιον) esse fatebantur, verum non similitudine naturali, quae convenientiam in eadem natura dicit, sed similitudine analoga, quae solum adumbrationem aliquam vel participationem naturae divinae inferat; itaque etiam hi Ariani cum caeteris consubstantialitatem Filii cum Patre negabant, atque insuper haereticorum more astuta ratione loquendi termino ὁμοιούσιος abutebantur ad fraudem nectendam dogmati catholico et ad evertendum terminum ὁμοούσιος, quo catholici tamquam tessera fidei utebantur.

Quae cum ita essent, *Catholici multi* terminum ὁμοιού- 6.
σιος penitus recusabant eundemque in divinis adhiberi posse omnino negabant, atque hanc suam sententiam muniebant variis rationibus infra breviter referendis; *alii autem catholici* iique maximae auctoritatis Filium Patri similem dici posse asserebant, dumodo addatur κατὰ πάντα καὶ ἀπαραλλάκτως (sc. in omnibus et sine discrimine); atque ea ratione terminum ὁμοιούσιος ad alterum ὁμοούσιος revocari notabant. Quare inter catholicos nullum fidei, sed tantum terminologiae discrimen exstabat. Iamvero potius cum hac altera catholicorum parte sentiendum esse in 1. thesis parte demonstratur. Patrem autem et Filium et consequenter etiam Spiritum Sanctum perfecte aequales esse ex tota quidem praecedenti tractatione jam constat; sed etiam in hac ipsa 1. parte demonstrationis ab initio argumentis aliquibus collectis ex professo probabitur.

3. De alia et alia hujus divinarum persona- 7.
rum aequalitatis explicatione, quam alii et alii theologi catholici proposuerunt. — Contra hanc autem,

quae in 1. p. vindicatur, divinarum personarum perfectam similitudinem vel aequalitatem non levis oritur difficultas ex relationibus divinis, quibus personae divinae constituuntur et ab invicem realiter distinguuntur. Hae enim relationes paternitatis, filiationis, spirationis passivae, cum realiter distinguantur et opponantur, ita propriae sunt, ut alia in alia persona divina inveniatur; et cum personas constituant, infinitam perfectionem et dignitatem dicere videntur; quare personae divinae singulae neque sibi aequales immo neque infinitae esse videntur. Neque autem satis respondetur ad hanc difficultatem dicendo perfectiones illas vel relationes personales esse aequivalentes adeoque unam defectum alterius compensare adeo, ut nihilominus personae maneant aequales. Etenim *primo* infinitas personarum ea ratione salvari non videtur, cum infinitum perfectione illud dici nequeat, quod perfectione aliqua careat. *Praeterea,* etsi illa ratione aequalitas singularum personarum inter se invicem servetur, non autem servari videtur aequalitas unius personae cum tota Trinitate, cum tamen haec quoque aequalitas ad fidem Trinitatis pertinere videatur. *Denique tertio* illa responsio neque sufficit ad aequalitatem Spiritus Sancti cum duabus ceteris personis explicandam. Etenim tum paternitas tum filiatio in se comprehendunt spirationem activam, ita ut haec non solum ad Patrem et Filium a Spiritu Sancto distinguendum, sed etiam eo ipso ad easdem personas plene constituendas pectet; jamvero unam perfectionem spirationis passivae aequivalentem esse tribus perfectionibus vel relationibus paternitatis, filiationis et spirationis activae, in suppositione, in qua tum objectio tum responsio versantur, vix quisquam dixerit.

8. Iamvero hunc nodum *plerique theologi* inde solvunt, quod, cum relationes generatim formaliter spectatae non ponant aliquid in re, sed tantum rem ad alteram referant. etiam relationes divinae formaliter consideratae, ut virtualiter distinguuntur ab essentia divina. perfectionem novam non ponant vel addant, sed tantum modum, quo eadem absoluta perfectio a singulis personis possideatur, menti sistant. Ita *S. Thomas* (S. Th. 1. p. q. 42. a. 4.); *Scotus* (In 3. d. 1.

q. 1.; quodlib. q. 5.); *Bannes* (In 1. q. 42. a. 4.); *Molina* (In 1. q. 42. a. 6. disp. 2.); et plerique tum *Thomistae* tum *Scotistae*. Et ita quidem omnis sane vel tota difficultas opposita funditus removetur, si quidem fundamentum hujus responsionis, scilicet illa relationum divinarum conceptio, vera sit. — Id ipsum autem alii theologi, ut *Gregorius de Val.* (l, 1. d. 2. q. 3. p. 1.), *Suarez* (l. 3. c. 9. et 10.), *G. Biel* (in 7. q. 3. a. 3.), *Gotti* (tr. 7. q. 3. dub. 3.) aliique negant et ideo aliter quaestionem solvere conantur. Nimirum ex eorum sententia relationes etiam formaliter spectatae, ut solum *esse ad* vel respectum dicunt, perfectiones sunt; id ipsum igitur etiam de relationibus divinis dicunt et quidem eo vel magis, quia secus per SS. Trinitatis mysterium nulla accederet perfectio divinitati. Neque tamen ideo laeditur divinarum personarum aequalitas, cum tres illae perfectiones relativae in una eademque perfectione absoluta essentiae sive naturae tamquam in radice et fundamento eminenter contineantur. Cum igitur singulae personae divinam essentiam habeant, praeter propriam suam perfectionem relativam, quam formaliter habent, relativas ceterarum personarum perfectiones eminenter habent adeoque perfecte aequales manent. *Praeterea* provocant aliqui theologi ad circumincessionem, vi cujus una persona divina perfectiones relativas ceterarum habet immanenter vel correlative. *Denique*, ut infinitam perfectionem unicuique personae divinae salvent, quamvis formaliter non habeat perfectiones personales aliarum personarum divinarum, distinguunt inter perfectiones simpliciter simplices et perfectiones simplices sine addito, quarum priores sunt meliores, quam non ipsae; posteriores autem non meliores quam non ipsae, etsi admixtam non habeant limitationem vel imperfectionem. Ad illas autem spectant perfectiones absolutae, ad has vero relativae; quare consequenter salva infinitate personae divinae nulla quidem deesse potest perfectio simpliciter simplex; deesse autem potest perfectio simplex sine addito propter suam scilicet oppositionem cum alia ejusmodi perfectione ab eadem persona habita. Quare unaquaeque persona divina, etsi perfectiones relativas aliarum personarum divina-

rum formaliter non habeat, nihilominus infinita esse et manere intelligitur. Ita Suarez l. c.

9. Verum multo verior et lucidior et simplicior atque ideo ad difficultatem supra propositam solvendam aptior apparet doctrina S. Thomae; quare haec in altera thesis parte demonstratur et defenditur. Denique in corollariis et scholiis adjectis connexae quaedam quaestiones expediuntur.

Demonstratio.

I. p. **Cum divinae personae perfecte aequales sint, nihilominus etiam similes dici possunt similitudine autem omnino absoluta et perfecta.**

Duabus assertionibus haec pars probatur:

10. *1. Personae divinae perfecte aequales sunt.* — Quae jam in praecedenti tractatione rationes hujus assertionis continentur, hoc loco expressius proponendae et uno conspectu exhibendae sunt:

1) Probatur ex s. scriptura. — Huc spectant imprimis verba Apostoli de Christo Domino: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo.* (Phil. 2. 6.). Cujus textus amplior explicatio proposita est alibi (De Verbo Incarnato, thes. 2. n. 1. ss.). Hoc loco illud unum considerare sufficit, quod testante Apostolo inspirato ipse Christus Iesus sibimet aequalitatem cum Deo vindicavit. — Idem patet ex verbis ipsius Christi: *Philippe qui videt me, videt et Patrem* (Ioan. 14, 19.). Etiam hujus textus fusior declaratio exhibetur loco citato (Thesi 1. n. 32.). *S. Augustinus* in hunc textum ita animadvertit: „Cum Philippus rogasset: *ostende nobis Patrem et sufficit nobis*, Magister arguebat discipulum, quoniam cor postulantis videbat. Tamquam enim melior esset Pater quam Filius, ita Philippus Patrem nosse cupiebat, et ideo nec Filium sciebat, quo melius aliquid esse credebat. Ad hunc sensum corrigendum dictum est: *Qui me videt, vi[illegible] Patrem;* non utique ut ipse sit Pater, qui Filius, sed quod a Patris similitudine in nullo prorsus discrepat Filius.“ (In Ioan. tract. 70. n. 2.). Itaque nihil perfectionis est in Patre, quod non esset in

Filio et ideo Filius Patri prorsus aequalis est. — *Item* aliis verbis Christi iterum idem enuntiatur: *Mea omnia tua sunt et tua mea sunt* (Ioan. 17, 10.). Ejusmodi enim verba pronuntiare vere non potest, qui non omnem, quam Pater habet perfectionem, et ipse habeat: ergo Filius Patri coaequalis est. — *Denique* huc spectant pleraque vel omnia testimonia, quibus in tractatu de Verbo Incarnato divinitas Christi et in hoc tractatu divinitas Verbi nec non Spiritus Sancti demonstrata est. Quae enim sub respectu aequalitatis de Patre et Filio dicuntur, eadem etiam de Spiritu Sancto valent, utpote qui cum eisdem connumeratur et verus Deus est.

2) Ex traditione. — Perfecta personarum aequalitas **11.**
disertis verbis enuntiatur in *symbolo Athanasiano:* „In hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales... Aequalis gloria, coaeterna majestas.“ Etiam *praefatio de SS. Trinitate* hanc aequalitatem praedicat: „Quod enim de tua (Patris) gloria revelante te credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu Sancto sine differentia discretionis sentimus. Ut in confessione verae sempiternaeque deitatis et in personis proprietas et in essentia unitas et in majestate adoretur aequalitas.“ Concilia quoque diversa eandem aequalitatem inculcant: Ita *Concilium Romanum* (*IV*) sub Damaso I. celebratum: „Si quis tres personas non dixerit veras Patris et Filii et Spiritus Sancti aequales, semper viventes, omnia continentes visibilia et invisibilia, omnia potentes, omnia judicantes, omnia vivificantes, omnia facientes, omnia quae sunt salvanda salvantes, anathema sit.“ Deinde *in symbolo a Leone IX edito* Filius cum Patre et Spiritus Sanctus cum utroque dicuntur consubstantiales vel coessentiales, coaeterni, coomnipotentes et *coaequales per omnia.* Item *Concilium Lateranense IV.* eandem veritatem clare profitetur: „Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus S. pariter ab utroque: absque initio semper ac sine fine: Pater generans, Filius, nascens et Spiritus Sanctus procedens: consubstantiales et *coaequales* et coomnipotentes et coaeterni: unum universorum principium.“ (Cap. 1. de fide catholica.). Denique etiam

Concilium Florentinum sub Eugenio IV celebratum de tribus personis divinis declarat: „Nullus alium aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate."

12. Cum haec sit conciliorum professio, non potuit sane alia esse SS. Patrum fides. Quare id expressis eorum testimoniis fusius ostendere superfluum fuerit. Unum autem expresse notandum et considerationi subjiciendum est ad meliorem vel rectam rei intelligentiam: Nimirum ex traditionis fide non tantum personae divinae singulae sibi coaequales sunt, sed nulla prorsus sub ullo respectu inaequalitas in SS. Trinitate concipi potest, ita ut una singularis persona non sit minus perfecta, quam duae alterae simul sumptae, imo vero eandem prorsus perfectionem ac tota SS. Trinitas in se habere dicenda sit. Ita aperte profitetur *Concilium Toletanum XI.*: „Una illis (tribus personis) vel indivisa atque aequalis deitas, majestas sive potestas, nec minoratur in singulis nec augetur in tribus; quia nec minus aliquid habet, cum unaquaeque persona Deus singulariter edicitur, nec amplius, cum totae tres personae unus Deus enuntiatur." (In conf. fidei). Idem etiam sane edicitur verbis *symboli Athanasiani* supra jam relatis: „Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus." Item huc spectant haec Concilii Lateranensis IV. verba: „una summa res, quae veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres simul personae et quaelibet earundem." *Praeterea* eandem veritatem cum aliis SS. Patribus inculcat *S. Augustinus*: „In rebus corporeis non tantum est res una quantum tres simul, et plus aliquid sunt duae, quam una res; ceterum in illa summa Trinitate tantum est una, quantum tres simul nec plus aliquid sunt duae, quam una; et in se infinita sunt." (De Trinit. l. 6. n. 12.). Atque iterum in eodem opere: „Nec quoniam Trinitas est, ideo triplex (i. e. compositus ex tribus quasi partibus) putandus est; alioquin minor erit Pater solus aut Filius solus cum semper atque inseparabiliter et ille cum Filio sit et ille cum Patre, non ut ambo sint Pater aut ambo Filius, sed quia semper in invicem neuter solus." (Ibid. l. 5. c. 7.). — *Denique* ita etiam docent theologi cum *S. Thoma et S.*

Bonaventura, quorum alter docet: „Est naturae unitas et personarum pluralitas, et tantum est in unitate, quantum in pluralitate, sed non tot modis.“ (In 1. d. 19. p. 2. q. 1. ad 3.); prior vero sic declarat: „Neque omnes relationes sunt majus aliquid quam una tantum; nec omnes personae majus aliquid, quam una tantum; quia tota perfectio divinae naturae est in qualibet personarum.“ (S. th. 1. p. q. 42. a. 4. ad 3.).

3) Ex ratione theologica. — Nimirum haec veritas 13.
manifeste consequitur ex doctrina statuta: *Primo* enim personae divinae inaequales essent vel perfectione differrent aut sub ratione naturae aut per accidentia, quae in singulis ad naturam accederent; atqui non differunt sub ratione naturae, quia habent eandem naturam infinitam, neque per accidentia in singulis personis ad naturam addita, quia natura divina omnia prorsus accidentia respuit. — *Secundo* quaevis persona divina, cum Deus sit, infinitam habet perfectionem; atqui neque ad infinitam perfectionem addi neque ab ea demi quidquam potest, vel infinita perfectio non potest esse major vel minor in distinctis subjectis; ergo divinae personae non diversam sed eandem prorsus perfectionem habent ideoque perfecte aequales sunt. — *Tertio* personae divinae ita singulae conveniunt in perfectione essentiae vel naturae ejusdem divinae, ut nihil perfectionis realis ad eam addant sed penitus cum eadem identicae sint; quae autem ita conveniunt atque identica sunt cum eadem prorsus perfectione, necessario aequalitatem habent: ergo personae divinae perfecte aequales sunt.

Notandum vero iterum est, ex his quoque rationibus 14.
patere, nullam prorsus perfectionis diversitatem vel inaequalitatem in SS. Trinitate inveniri, ita, ut neque duae personae neque tota Trinitas perfectiores sint quam una sola persona. Etenim cum eadem infinita perfectio sit in singulis personis et cum singulae personae penitus cum hac perfectione identicae sint ita, ut nihil realis perfectionis ad eam addant: profecto una persona sola tantam habet perfectionem, quantam tota Trinitas vel omnes personae simul.

2. Nihilominus personae divinae etiam similes dici possunt, similitudine autem solum 15.

absoluta et perfecta, quae cum aequalitate coincidit. — Hac similitudine divinas personas similes dici posse jam patet ex ipsa notione similitudinis supra explicata; verum etiam confirmatur ex auctoritate praecipuorum SS. Patrum, qui hunc usum loquendi sectantur et data opera defendunt et declarant. Ita v. g. *S. Basilius:* „Ego vero, si, quid privatim sentiam, dicendum mihi sit, τὸ ὅμοιον κατ᾽ οὐσίαν, dummodo adjunctum habeat ἀπαραλλάκτως, prorsus amplector, tamquam eodem cum ὁμοουσίῳ pertinens secundum sanam τοῦ ὁμοουσίου notionem, qua ratione Nicaeni Patres, cum dixissent lumen de lumine et Deum verum de Deo vero, et id genus alia, atque Unigenitum appellassent, consentanee τὸ ὁμοούσιον subjecerunt. Sane neque luminis ad lumen, neque veritatis ad veritatem unquam, neque substantiae Unigeniti ad substantiam Patris comparatae ulla potest vel cogitatione fingi diversitas. Quare si quis ita, ut dixi, intelligat, ejus vocem admitto. Si quis autem a voce ὅμοιον separet τὸ ἀπαράλλακτον, quod constantinopolitanae synodi episcopi fecerunt, suspecta mihi similitudinis vox redditur, ut quae Unigeniti gloriam minuat. Etenim obscuris plerumque similitudinibus, et plurimum ab archetypo discrepantibus, nomen ὅμοιον accommodare consuevimus. Unde cum minus calumniae sit obnoxium nomen ὁμοιούσιον, sic etiam ipse assentior.“ (Epist. 41.). Et *Cyrillus A.:* „Quae invicem naturalem in omnibus habent similitudinem, ea nulla ratio ab eo prohibebit, ut naturali inter se cognatione contineantur.“ (L. i.) Denique etiam *Augustinus:* „Nam si per omnia similem diceretis, consequenter intelligeremini, quod eos dicimiletis etiam unius ejusdemque esse naturae sive substantiae ... Quomodo enim dicitis et verum Filium vos profiteri, et Patri similem non negare, quando eum negatis unius cum Patre esse substantiae... Quomodo autem Filium Patri similem dicitis, cui Patris substantiam dare non vultis? Nonne similis homini est pictura vel statua, et tamen Filius dici non potest, quia diversa substantia est? Homo nempe ad Dei similitudinem factus est, tamen quia non est unius ejusdemque substantiae, non est verus Filius. Si ergo vultis Dei

Filium verum confiteri, prius illum ac praecipue dicite unius ejusdemque substantiae, ut tamquam verum Filium et Dei Filium per omnia similem Patri esse dicatis. Nam quem substantiam putatis habere diversam, plus eum dissimilem, quam similem dicitis, et omnino verum Filium denegatis" (C. Maximin. l. 3. c. 15.). Itaque ut patet ex his testimoniis, Patres illi similem Patri Filium dici posse admittunt et inculcant, verum similem similitudine ea, quae identica est cum eorum aequalitate et secundum essentiam identitate. — Quae cum ita sint, facile est respondere ad exceptiones, quas contra opposuerunt catholici alterius sententiae. Scilicet:

Primo exceperunt, notionem similitudinis identitatem **16.**
naturae excludere. — *R. n.* Etenim similitudo non exigit quidem identitatem naturae, cum etiam ea, quae diversam naturam habent, in qualitate autem aliqua vel proprietate conveniunt, similia dicantur; verum similitudo etiam minime convenientiam in natura excludit, verum haec convenientia in natura specifica et maxime in individuali similitudinem fundat, quae manifeste perfectior est quavis similitudine in aliqua qualitate accidentali fundata.

Secundo exceperunt, Patrem et Filium similes dici non **17.**
posse, quin duae substantiae esse dicantur. — *R. n.* Etenim duo homines v. g. similes dicuntur, etsi habeant eandem substantiam vel essentiam specificam; scilicet ita naturalem similitudinem habent; idem igitur etiam et quidem a fortiori de personis divinis dicendum est, utpote quae non solum in eadem specifice, sed in eadem numerice essentia conveniunt.

Tertio exceperunt, similitudinem convenientiam in qua- **18.**
litate tantum significare. — *R. n.* prorsus, quia oppositum, ut dictum est, in similitudine naturali vel essentiali aperte cernitur. Nimirum, quod opponitur, de imperfecta quidem, nullo autem modo de perfecta, multoque minus de absoluta et omnibus numeris perfecta similitudine dici potest.

2. p.: Asserta personarum divinarum aequalitas in una eademque absoluta essentiae perfectione non autem in diversis relationibus personalibus fundatur atque spectanda est.

19. Etiam haec pars, in qua statuta personarum divinarum aequalitas accuratius explicanda est, duabus assertionibus commode absolvitur: in prima ex sententiis supra relatis altera, quae est Suarii aliorumque, recusatur atque gravibns incommodis premi ostenditur; in altera vero assertione opposita S. Thomae doctrina magis positive declaratur et confirmatur:

1. Sententia Suarii aliorumque relata gravibus incommodis laborat. — Quod illico apparet, si paulo accuratius inspiciatur haec sententia, prout ab illis auctoribus declaratur et defenditur:

20. *1) Et primo quidem non servatur consubstantialitas personarum divinarum.* — Etenim relationes divinae, si quidem perfectionem dicunt, certe dicunt perfectionem substantialem, non vero accidentalem; cum divinitas quodcunque accidens prorsus excludat. Ergo cum quaevis persona divina careat relationibus propriis aliarum personarum, perfectionibus substantialibus caret, quae in aliis inveniuntur. Quare personae divinae, cum in perfectionibus substantialibus differant, consubstantiales jam merito dici nequeunt.

21. *2) Neque infinitas personarum divinarum in eadem sententia servatur.* — Re quidem vera, quod perfectione infinitum est, nulla perfectione caret; cum igitur singulae personae divinae perfectionibus propriis aliarum personarum careant, infinitae jam non sunt. Praeterea in eadem positione tota Trinitas esset perfectior quam una singularis persona; id autem a Conciliis et SS. Patribus reprobatur atque iterum infinitatem divinam laedit; neque enim infinitum infinito majus vel minus esse potest neque ex pluribus finitis sibi additis unquam infinitum resultare potest.

22. *3) Neque servatur simplicitas divina.* — Profecto enim, si relationes divinae personales dicant positivam perfectionem, essentia divina a relationibus personalibus distinguitur distinctione virtuali majori, quia scilicet relationes personales neque

implicite continentur in essentia divina, imo vero ab ea vero quodam sensu realiter separantur, cum scilicet essentia divina v. g. in Patre inveniatur non autem relationes Filiationis vel Spirationis passivae. Quae autem ita distinguuntur, etsi realiter unum constituant, metaphysice saltem componuntur. Ergo sententia, de qua agitur, cum simplicitate divina non concordat.

4) Neque tandem aequalitas divinarum personarum ser- 23.
vatur. — Nam primo si relationes divinae personales in se dicant positivam perfectionem, jam non intelligitur, qua ratione Spiritus Sanctus aequalis dici possit sive Patri sive Filio. Cum enim Pater et Filius duplicem habeant ejusmodi relationem i. e. Spirationem activam necnon Paternitatem vel Filiationem, Spiritus Sanctus una sola relatione affectus est, i. e. Spiratione passiva. Quomodo autem una perfectio aequalis sit duabus perfectionibus, quarum unaquaeque sibi aequivalens esse ponitur? Praeterea ex eadem ratione minus adhuc intelligitur, qua ratione una persona aequalis esse queat duabus ceteris personis simul sumptis sive toti Trinitati, quod tamen omnino asserendum est, ut ex supra dictis constat. — Neque explicationes, quas illi theologi proposuerunt, aptae sunt, quibus hae difficultates tollantur:

Et primo quidem, quod dicunt, unam personam per 24.
essentiam communem non quidem formaliter, sed eminenter continere perfectionem relativam alterius, admitti nullo pacto potest. Etenim hoc posito, si quidem termino *eminenter* sensus suus relinquatur, Filius v. g. eminenter i. e. dempta imperfectione et altiori modo contineret paternitatem, quod profecto absonum est; praeterea Filius eminenter atque ideo sensu proprio esset et vocari posset Pater, quod pariter ferri nequit. Ergo nihil juvat neque ullo modo dici potest, unam personam perfectionem relativam alterius eminenter continere.

Neque secundo quidquam juvat distinctio supra relata 25.
inter perfectiones simpliciter simplices et simplices sine addito. Haec enim distinctio vana esse videtur: si scilicet relationes personales in se dicant esse vel positivam perfectionem, certe et ipsae meliores sunt, quam non ipsae; atqui

eo ipso, quod ejusmodi perfectio singulari alicui personae deest, sane eidem deest aliquod esse, ideoque plenitudo entis atque infinita esse nequit.

26. *Neque tertio* tandem quidquam juvat provocare ad circumincessionem, vi cujus una persona divina perfectiones relativas aliarum habeat correlative sive immanenter i. e. tamquam principia vel terminos immanentes. Etsi enim una persona divina v. g. Pater perfectionem relativam alterius personae v. g. Filiationem habeat tamquam terminum immanentem, neque tamen per eam formaliter constituitur; si autem de aequalitate personarum divinarum agitur, spectandae non sunt profecto nisi secundum eas perfectiones, quibus formaliter constituuntur; ergo.

27. **2. *Doctrina S. Thomae magis declaratur et confirmatur.*** — Per quosdam quasi gressus vel diversa stadia hanc sententiam explicare et commendare praestat:

1) Relationes divinae ad aequalitatem et similitudinem personarum divinarum praesupponuntur quidem, sed eandem non fundant. — Ratio est *primo*, quia personae divinae secundum relationes oppositas ab invicem distinguuntur et in se individuantur. De aequalitate enim vel diversitate sermo esse nequit nisi inter ea, quae realiter distincta et in se individua sunt. — Ratio est *secundo*, quia aequalitas et similitudo attenduntur secundum convenientiam in perfectione; relationes autem ut tales vel in se spectatae perfectionem non dicunt. Apposite *S. Thomas:* „In divinis personis nihil est considerare nisi essentiam, in qua communicant et relationes, quibus distinguuntur. Aequalitas autem utrumque importat scilicet distinctionem personarum, quia nihil sibi ipsi dicitur aequale, et unitatem essentiae, quia ex hoc personae sunt sibi invicem aequales, quod sunt unius magnitudinis et essentiae.“ (S. th. p. 1. q. 42. a. 1. ad 4.). — Verum illud ipsum, quod in secunda ratione modo assertum est, breviter confirmandum est:

28. *2) Relationes divinae, si secundum „esse ad“ vel in quantum distinguuntur ab essentia divina considerantur, perfectionem nullam ponunt.* — Et *primo* quidem id patet ex

ipso conceptu relationis, ut supra (Thesis 13. n. 3. et 9.) explicatus est. Apposite *S. Thomas;* „Quamvis *ad aliquid* ex ratione sui generis non habeat, quod ponat aliquid, non tamen etiam habet ex ipsa generis ratione, quod nihil ponat, quia sic nulla relatio esset aliquid in rerum natura. Habet autem relatio quod sit aliquid reale ex eo, quod relationem causat" (Quodl. 9. a. 4). — *Secundo* idem patet ex refutatione prioris sententiae; scilicet si relationes divinae dicant perfectiones ad essentiam additas, neque consubstantialitas neque infinitas neque simplicitas neque aequalitas personarum divinarum sustineri vel explicari possunt.

3) Ex praemissis aequalitas personarum divinarum jam **29.**
commode et perfecte explicatur. — Etenim si relationes divinae ad essentiam nullam perfectionem addant, tum manifesto sola essentia est, quae formaliter perfectionem affert tum singulis personis divinis tum toti Trinitati. Manifestum ergo est, eandem perfectionem esse in qualibet singulari persona ac in ceteris sive separatim sive conjuntim sumptis. Aequalis igitur est perfectio sive consideratur essentia sive quaelibet persona sive tota Trinitas.

Atque haec est manifesto doctrina *S. Thomae:* „Aequa- **30.**
litas attenditur secundum magnitudinem. Magnitudo autem in divinis significat perfectionem naturae... et ad essentiam pertinet. Et ideo aequalitas in divinis et similitudo secundum essentialia attenditur; nec potest secundum distinctionem relationum inaequalitas vel dissimilitudo dici. Unde Augustinus contra Maximinum, lib. 3. cap. 13. post med.: „Originis quaestio est, quis de quo sit; aequalitatis autem, qualis et quantus sit." Paternitas igitur est dignitas Patris, sicut et essentia Patris. Nam dignitas est absoluta et ad essentiam pertinet. Sicut igitur eadem essentia quae in Patre est paternitas, in Filio est filiatio; ita eadem dignitas quae in Patre est paternitas, in Filio est filiatio. Vere ergo dicitur quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius; nec sequitur: paternitatem habet Pater; ergo paternitatem habet Filius. Mutatur enim quid in ad aliquid. Eadem enim est essentia et dignitas Patris et Filii, sed in Patre est secundum

relationem dantis, in Filio secundum relationem accipientis." (S. th. p. 1. q. 42. a. 4. ad 2.). Et alibi adhuc clarius forte et expressius: „Quamvis una et eadem essentia sit communis tribus personis, non tamen relatio unius personae communis est tribus propter oppositionem relationum ad invicem. Ipsa enim paternitas est divina essentia, nec tamen paternitas Filio inest propter oppositionem paternitatis et filiationis. Unde potest dici, quod paternitas est divina essentia prout est in Patre, non pront est in Filio; non enim eodem modo est in Patre et Filio, sed in Filio ut a Patre accepta, in Patre autem non. Nec tamen sequitur, quod quamvis paternitatem Filius non habeat quam Pater habet, aliquid habeat Pater, quod non habet Filius: nam ipsa relatio secundum rationem sui generis, in quantum est relatio, non habet quod sit aliquid sed solum, quod sit ad aliquid. Quod sit aliquid secundum rem habet ex illa parte qua inest, vel ut idem secundum rem, ut in divinis, vel ut habens causam in subjecto, sicut in creaturis. Unde cum id quod est absolutum communiter sit in Patre et Filio, non distinguuntur secundum aliquid, sed secundum ad aliquid tantum; unde non potest dici, quod aliquid habet Pater quod non habet Filius; sed quod aliquid secundum unum respectum convenit Patri, et secundum alium aliquid Filio." (De pot. q. 2. a. 5.). Quare tandem alibi ita concludit: „Unde neque omnes relationes sunt majus aliquid quam una tantum; nec omnes personae majus aliquid quam una tantum; quia tota perfectio divinae naturae est in qualibet personarum." (S. th. p. 1. q. 42. a. 4. ad 3.; cf. in 1. d. 26. q. 3 a. 2. ad 3.).

31. *Haec autem S. Thomae explicatio solide fundatur in SS. Patrum doctrina,* utpote qui eadem omnino ratione aequalitatem personarum divinarum concipere videntur. Considerentur v. g. haec *S. Gregorii Naz.:* „Quid ergo est, inquiunt, quod Spiritui deest ad hoc, ut sit Filius? Nisi enim aliquid deesset, Filius esset. Deesse nihil dicimus. Non enim Deo quidquam deest. Verum manifestationis, ut ita dicam, mutuaeque eorum relationis differentia diversa quoque ipsis nomina procreavit. Neque enim Filio aliquid deest ad hoc

ut sit Pater (nec enim defectus est Filiatio), nec propterea tamen Pater est. Alioquin eadem ratione Patri aliquid deerit. ad hoc ut sit Filius. Nec enim Pater Filius est. Sed haec defectum proculdubio undequaque non arguunt nec essentiae submissionem: quin potius ex his verbis „quod genitus non sit, et quod genitus, et quod procedat" hoc effectum est, ut alius Pater alius Filius alius Spiritus Sanctus appelletur, atque ita inconfusa trium personarum distinctio in una divinitatis natura et dignitate conservetur." (Orat. 29. n. 9.) Scilicet, si filiatio perfectio esset, profecto dici non posset, nihil Patri deesse ad hoc, ut Filius sit, vel Filio nihil deesse ad hoc ut sit Pater; profecto enim deesset utrique aliqua perfectio. Ergo ex mente S. Gregorii Naz. relationes non perficiunt personas divinas, sed easdem solum distingunt. — Audiatur etiam *S. Augustinus*, qui praeter sententiam supra jam a S. Thoma allatam haec et similia habet: „In ipso igitur Deo cum adhaeret aequali Patri Filius aequalis, non fit major Deus, quam singuli eorum, quia non est, quo crescat illa perfectio. Perfectus autem sive Pater sive Filius sive Spiritus Sanctus, et perfectus Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus." (De Trinit. l. 6. n. 8.). Et paulo inferius: „Hic in rebus corporeis non tantum est res una quantum tres simul, et plus aliquid sunt duae quam una res; ceterum in illa summa Trinitate tantum est una quantum tres simul, nec plus aliquid sunt duae quam una, et in se infinita sunt. Ita et singula sunt in singulis et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia." (Ibid. n. 12). Nimirum etiam S. Augustinus docet, totam perfectionem ideoque etiam aequalitatem personarum divinarum mensurandam esse ex communi essentia non vero ex relationibus. — Similiter Fulgentius: „Nemo, ait, alium aut praecedit aeternitate aut excedit magnitudine aut superat potestate. Quia nec Filio nec Spiritui Sancto, quantum ad divinae naturae unitatem pertinet, aut anterior aut major Pater est." (De fide ad Petrum, n. 5.). Et paulo inferius de distinctione personarum animadvertit: „Quia aliud est genuisse quam natum esse, aliudque procedere quam

genuisse vel natum esse, manifestum est, quoniam alius est Pater alius Filius alius Spiritus Sanctus" (Ibid. a. 7.). Itaque ex naturae unitate aequalitatem, distinctionem vero ex relationibus originis derivat; quod sane supponit vel involvit, relationes has in se spectatas perfectionem non dicere. — Idem valet de hoc: „Qui (Filius) non creatus, sed ante saecula genitus; verus Deus per omnia sicut Pater, et unius cum Patre substantiae, quamvis alterius sit personae. Nec posterior tempore vel inferior dignitate vel impotentior est virtute; sed omnino tantus est genitus, quantus et ille, qui genuit... Singulus quisque horum plena et perfecta et aeterna substantia, et simul omnes aeque simplex et una substantia. Unde non est majus aliquid vel plenius Pater et Filius et Spiritus Sanctus simul dicti, quam cum dicitur una quaelibet ex eadem sancta Trinitate persona." (De fide cath. c. 1.). — Denique eundem conceptum aequalitatis et distinctionis personarum divinarum prodit haec *Richardi a S. Victore* declaratio: „Quibus per omnia est unum et idem et summe simplex *esse*, nullo modo possunt aliqua qualitatis (perfectionis igitur) differentia ab invicem distare ... Relinquitur ergo, ut credantur juxta modum originis aliquam differentiam habere. Nam ubi nulla differentia est, nulla omnino pluralitas esse potest. Pluralitas itaque personarum convincit, quod in illa Trinitate discretiva proprietas proprietatumque differentia deesse non potest. Sed quoniam identitas substantiae omnem qualitatis differentiam penitus excludit, differentes personarum proprietates circa solam originem quaerere oportebit." (De Trinit. l. 4. c. 15.). Etenim si ponatur, origines vel relationes dicere in se perfectionem, tota haec explicatio aperte sibi non constat.

Scholion.

32. ***Objectiones quaedam solvuntur.*** — Restat, ut objectionibus quibusdam solutis doctrina hujus thesis absolvatur. Et primo quidem expedienda est objectio, quam ex ipso S. Thoma petunt theologi catholici contra explicationem aequalitatis personarum divinarum in altera thesis parte propositam; deinde unam vel alteram objectionem in forma solvere juvabit, qua ipsa illa aequalitas impugnatur:

1) Relationes ut tales vel ut respectus sunt sive secundum ipsum „esse ad“ perfectiones esse auctoritate ipsius S. Thomae confirmatur, utpote apud quem legitur: „Perfectio et bonum, quae sunt in rebus extra animam, non solum attenditur secundum aliquid absolute inhaerens rebus, sed etiam secundum ordinem unius rei ad aliam: sicut etiam in ordine partium exercitus bonum exercitus consistit; huic enim ordini comparat Philosophus ordinem universi. . . oportet ergo in ipsis rebus ordinem quendam esse; hic autem ordo relatio quaedam est. Unde oportet ergo in rebus ipsis relationes quasdam esse, secundum quas unum ad alterum ordinatur.“ (De pot. q. 7. a. 9). *Quare etiam relationes divinae tamquam perfectiones considerandae sunt; et confirmatur, quia secus Trinitatis mysterium, quod per relationes divinas constituitur, nullam divinitati afferret perfectionem, quod profecto dici nequit. — R.:* S. Thomas loco obiecto nihil aliud docet nisi relationes non esse tantum in intellectu concipiente, sed in ipsa etiam rerum natura exstare; hoc autem non pugnat cum explicatione proposita, utpote in qua non negatur relationes esse reales, sed reales esse ponitur non secundum esse ad vel respectum ut talem, sed secundum esse in vel absolutum, quocum connectuntur. Sic etiam relationes divinae, ut paternitas, sane perfectionem dicunt quatenus identicae sunt cum essentia divina, non autem quatenus ad invicem respectum et oppositionem dicunt. Quae explicatio exemplo exercitus vel universi ordinati non excluditur, sed potius confirmatur et illustratur: Sicut enim dispositio ordinata est bonum exercitus et singulorum quoque militum, quin tamen eadem dispositione singulis militibus nova perfectio addatur; ita etiam ordo relationum in divinitate, qua exstat distinctio in tres, est quidem bonum totius Trinitatis et singularum personarum neque tamen singulis personis novam perfectionem propriam addit ad communem essentiam, in qua conveniunt. Ex ipsa enim infinita perfectione et fecunditate divinae naturae est, quod in ea exstent processiones Verbi et Amoris earumque relationes cum essentia identicae; his autem relationibus personae opponuntur

et distinguuntur. Qua ratione simplex natura divina, integra simplicitate et unitate, in Trinitatem extenditur vel consortium distinctarum personarum habetur. Trinitas igitur sane perfectionem dicit et quidem perfectionem infinitam; atvero dicit perfectionem non superadditam naturae divinae, sed cum ea identicam, utpote quae essentialiter et necessario est simul absoluta et relativa sine ullo reali inter has rationes discrimine. Quare sublata Trinitate sive distinctione per oppositas relationes etiam infinita perfectio naturae divinae imo ipsa haec natura tolleretur. (cf. Kleutgen, de ipso Deo n. 1085 ss.)

33. 2) *In divinitate sunt tres perfectiones relativae inter se realiter distinctae; atqui tres perfectiones simul sumptae aliquid perfectius sunt, quam una illarum; ergo una perfectio relativa sive una persona non est aequalis toti Trinitati.* — *R.: D.* maj.: Sunt tres perfectiones realiter distinctae sub ratione perfectionis, quae una eademque est cum essentia divina *n.* sunt tres perfectiones realiter distinctae secundum respectus oppositionis quos dicunt *c.*; *cd.* min.: Tres perfectiones relativae realiter distinctae sub ratione perfectionis, quae una eademque non est cum essentia divina, aliquid perfectius sunt, quam una earum *c.* Tres perfectiones realiter distinctae solum secundum respectus oppositos aliquid perfectius sunt *n.*

34. *Instari vel alio modo urgeri potest objectio:* Filius non habet paternitatem; atqui paternitas est perfectio; ergo Filio aliqua perfectio deest. — *R. d.* maj.: Filius non habet illam em, per quam paternitas est perfectio *n.* Filius non habet paternitatis respectum, quo Pater Filio opponitur *c.*; *cd.* min.: paternitas est perfectio, quatenus dicit respectum oppositionis ad Filium *n.* quatenus sicut omnes relationes divinae est identica cum divina natura *c.* Et *n.* consequens et consequentiam. Scilicet nihil aliud sequitur, nisi eandem perfectionem in Patre esse paternitatem, in Filio filiationem vel alio et alio modo eandem perfectionem infinitam esse in tribus. Apposite S. Bonaventura: „Est naturae unitas et personarum pluralitas, et tantum est in unitate quantum in pluralitate, sed non tot modis.“ (In 1. d. 19.

p. 2. q. 1. ad 3.). Unde etiam intelligitur, minus proprie dici in Deo esse tres perfectiones relativas; non enim perfectio, sed modus eam habendi sive respectus multiplicatur.

Corollarium.

In divinis personis est quidem ordo secundum originem, sed nulla in eisdem invenitur alia quaecunque prioritas sive posterioritas. — 35.
Duo asseruntur, quae facile patent:

1) In divinis personis ordo est secundum originem. — Cum ordo dicatur per comparationem ad aliquod principium, ut notat *S. Thomas* (q. 42. a. 3.), ideo, ubicunque est aliquod principium, ibi etiam ordo est secundum tale principium; jamvero in divinis personis est principium originis sive processionis, qua altera persona a prima atque tertia a prima et secunda procedit; ergo in divinis est ordo secundum originem et processionem. Qui ordo, cum secundum naturalem productionem exstet, recte ordo naturae dici potest.

2) Nulla autem in iisdem invenitur alia quaecunque prio- 36.
ritas sive posterioritas. — Quod manifesto patet aliis, qui inveniri possunt prioritatibus consideratis. Et primo quidem nulla est prioritas temporis, cum personae divinae necessariae sint ideoque coaeternae. — Item secundo nulla est prioritas naturae, cum haec differentiam perfectionis inferat atque proprie nonnisi inter causam et effectum inveniatur; divinae autem personae coaequales sunt neque ratio causae vel effectus inter eas intercedit, utpote quarum productio non est effectio, sed relatio. — Denique tertio neque prioritas est secundum intellectum; nam, ut declarat S. Thomas, etiam in creaturis „si considerentur ipsae relationes causae et causati et principii et principiati, manifestum est quod relativa sunt simul natura et intellectu, in quantum unum est in definitione alterius, Sed in divinis ipsae relationes sunt subsistentes personae in una natura. Unde neque ex parte naturae, neque ex parte relationum, una persona potest esse prior alia neque etiam secundum naturam et intellectum“ (Ibid. ad 2.).

37. *Excipitur primo:* Cum nomen principii dicatur a prioritate, ubicunque est principium, etiam prioritas et posterioritas saltem naturae et intellectus invenitur; atqui in divinis est principium; ergo. — *R.* S. Thomas: „Licet hoc nomen principium quantum ad id a quo imponitur ad significandum, videatur a prioritate sumptum, non tamen significat prioritatem, sed originem; non enim idem est, quod significat nomen, et a quo nomen imponitur" (ibid. q. 31. a. 1. ad 3.). Ceterum quidquid est de etymologia nominis principii, in origine quae est subsistens relatio non autem effectio, nomen principii certe non servat significationem, qua dicat prioritatem, etsi alias semper hanc significationem habeat.

38 *Excipitur secundo:* S. Thomas alibi (q. 40. a. 4.; de pot. q. 10. a. 3.) actus notionales cum proprietatibus conferens concedit in divinis prioritatem et posterioritatem secundum intellectum inveniri; atque idem supra (th. 15. n. 29. ss.) concessum est; ergo contradictio inter hanc doctrinam et illam exsurgit. — *R.* Hoc loco excluditur omne prius et posterius etiam secundum intellectum, quod ullo modo in objecto i. e. in ipso Deo fundetur; supra autem cum S. Thoma tantum illud concessum est, nos pro limitatione intellectus nostri conceptibus analogis et imperfectis aliqua secundum certum ordinem per prius et posterius intelligere; quare contradictio nulla est. Simili modo divina perfectio inter essentiam et existentiam divinam distinctionem rationis cum fundamento in re quidem excludit, distinctionem autem rationis ratiocinantis nequaquam. Apposite Cajetanus in commentario in h. l.: „Ad evidentiam hujus difficultatis scito, quod de Patre et Filio in divinis contingit loqui dupliciter. Uno modo secundum rem pure, et sic loquitur hic auctor (i. e. S. Thomas) negans omnem prioritatem et posterioritatem, et probat hoc efficacissima ratione, scilicet quod in eis non est nisi relatio et essentia. In essentia nulla est prioritas, cum sit una; relationes sunt simul natura et intellectu. — Alio modo contingit loqui de eis sub aliquo partiali conceptu seu modo concipiendi, et sic locutus est superius; et merito, quia et

titulus erat de praeintellectione proprietatum respectu actuum et e converso et sic Pater conceptus ut hypostasis praecedit secundum intellectum generationem et Filium; unde nulla est in dictis contradictio."

Excipitur tertio: Nihilominus omnis prioritas a divinis 39. personis excludi nequit; nam essentialia in divinis secundum ordinem intellectus priora sunt notionalibus; ergo a fortiori inter personas ejusmodi prioritas esse potest. Et revera est: etenim Filius ad Spiritum Sanctum praesupponitur ideoque eodem prior dicendus est (cf. S. th. q. 33. a. 3. ad 1.). — ***R.*** Etiam essentiae divinae prae relationibus nulla est prioritas ontologica vel objectiva, utpote quae essentia in summa sua simplicitate est identica cum tribus relationibus oppositis; cum autem essentia et relationes distinctis conceptibus a nobis apprehendantur et illa prius his a nobis cognosci soleat, ideo essentia prae relationibus prioritatem aliquam habet secundum nostrum modum concipiendi, in se autem vel ontologicam nullam habet. — Filius autem relate ad Spiritum Sanctum habet quidem ordinem vel prioritatem originis, quatenus uterque terminus intellectualis processionis est principium Spiritus Sancti; sed etiam haec prioritas est solum in modo nostro concipiendi; nam ex una parte Spirator non est posterior Patri et Filio, sed idem et simul cum eis; ex altera autem parte Spiritus Sanctus, quippe qui est relative oppositus Patri et Filio necessario spirantibus prorsus simul cum iisdem est.

Quaestio quinta.
De cognitione SS. Trinitatis naturali.

Articulus unicus.
De ratione mysterii SS. Trinitati convenienti.

Thesis 20. Dogma SS. Trinitatis est mysterium proprie dictum; quare vana et inania sunt argumenta, quibus aliqui eandem Trinitatem divinam ex sola ratione demonstrare conati sunt.

Declaratio.

1. ***1. Argumentum quaestionis.*** — Cum quaestio de missione personarum initio huius tractatus (prooem. n. 6.) notata, quatenus praesentem tractatum spectat, jam supra (thes. 8. n. 24, ss.) satis explanata sit, tractanda restat sola quaestio de cognitione SS. Trinitatis per rationem naturalem; haec autem quaestio, utpote ad quam declarandam et intelligendam spectant tum thesis 15. de mysteriis in tractatu de vera religione, tum theses 31. et 32. de Dei invisibilitate et incomprehensibilitate in tractatu de Deo uno, tum plura in hoc ipso tractatu jam explanata, hoc loco commode una thesi absolvitur. Ne autem in ancipiti versetur inquisitio, ab initio accurata notio mysterii tradenda est.

2 ***2. De notione mysterii.*** — Itaque veritatum divinarum, quatenus ad nostram cognitionem naturalem referuntur, cum omnes quidem conceptibus analogis apprehendantur, triplex tamen vel etiam quadruplex genus discerni potest: Et *primo* quidem plures veritates divinae tum quoad existentiam tum quoad essentiam suam sive rationem internam satis a nobis cognosci possunt, ut v. g. omnipraesentia vel bonitas divina. — *Deinde* aliae cognoscuntur quidem quoad exsistentiam suam, internam autem eorum rationem non comprehendimus; cujusmodi v. g. veritates sunt immutabilitas et libertas divina, utpote quarum existentiam ex ipsa essentia et infinitate

divina quidem certo inferimus, mutuam autem habitudinem et harmoniam nonnisi valde imperfecte et difficulter intelligimus; quod idem valet de invisibilitate, incomprehensibilitate, scientia et cooperatione divina aliisque. — *Iterum* aliarum veritatum exsistentiam quidem naturaliter ignoramus; sed essentia earum vel ratio interna nullam intellectui consideranti difficultatem specialem praebet; quales veritates sunt diversa instituta divina religionis christianae, ut primatus Romani Pontificis, condonatio peccatorum pro casu poenitentiae actae, et alia similia. — *Denique* plures veritates divinae neque quoad existentiam neque quoad essentiam sive possibilitatem internam naturaliter cognosci possunt; quare sola revelatione divina cognoscuntur adeo ut etiam hac revelatione supposita neque tamen ex natura divina deduci neque positive ut possibiles demonstrari vel intelligi queant. Quae cum ita sint, ejusmodi veritates intellectum humanum atque creatum omnem absolute excedunt et mysteria absoluta sive stricte vel proprie dicta appellantur.

***Itaque mysterium absolutum definiri potest**: veritas divina* 3.
ita omnem intellectus humani virtutem naturalem excedens, ut ratio sola eam neque invenire neque revelatione accepta positive demonstrare queat; vel aliis verbis: ***veritas simpliciter superrationalis adeo, ut sola revelatione ejus existentia nobis certa fiat, internus autem subiecti cum praedicato nexus sive quomodo et quare res ita sit, omnino non possit naturali ratione positive intelligi.*** Quae ambae definitiones objective identicae sunt. — Cum hac autem mysterii ratione nequaquam pugnat sed prorsus consonat, quod mysteria negative demonstrari sive argumenta contra facta ita solvi possint, ut certo appareant inefficacia et vana vel futilia; nam aliud est rem positive intelligere possibilem, aliud non patere ejusdem repugnantiam. Neque cum mysterii ratione pugnat sed consonat, quod ratio fide illustrata imperfectam aliquam mysteriorum intelligentiam assequi possit tum ex veritatum naturalium analogia tum ex mysteriorum ipsorum inter se et cum ultimo fine nexu et harmonia, quemadmodum ipsum Concilium Vaticanum notat (sess. 3. c. 4.). Atque

cum tota ejusdem Concilii de mysteriis doctrina explicatio hic tradita perfecte consonat.

4. ***3. Doctrina catholica.*** — Porro dogma SS. Trinitatis inter mysteria christiana inveniri eorumque primum et altissimum esse, inde ab exordiis religionis christianae communis semper in ecclesia vigebat persuasio; atque hanc persuasionem ipsum magisterium authenticum nutrivit et fovit et defendit, etsi definitionem directam et sollemnem hujus determinatae veritatis nunquam edidit. Sed documenta ejusdem magisterii opportunius infra in ipsa demonstratione producentur.

5. ***4. Opinatio semirationalistarum.*** — Ex opposito Semirationalistae qui vocantur, mysteria stricte dicta sive absoluta in revelatione contineri ulla aperte infitiantur; verum veritates revelatas omnes, saltem postquam per revelationem innotuerunt, posse etiam ex internis necessariis principiis lumine rationis perspectis intelligi et demonstrari, imo hoc ipsum esse munus philosophiae proprium, praefracte contenderunt. Atque ejusmodi demonstratione vere philosophica nominatim dogma SS. Trinitatis probari statuerunt necnon plures tales demonstrationes construere reipsa conati sunt. Cujusmodi tentaminibus vanis etiam catholici nonnulli variis temporibus se dederunt, recentiore aetate imprimis Güntheriani; item Schell huic errori semirationalistico favit, utpote qui ex conceptu Dei tamquam causa sui ipsius acriter et clamore propugnato Trinitatem personarum divinarum supposita ejusdem revelatione ex sola ratione explicare et demonstrare videtur. Ceterum de his aliisque tentaminibus inferius in 2. parte thesis accuratius dicendum erit.

6. ***5. Divisio thesis.*** — Contra hunc errorem semirationalisticum in praesenti thesi doctrina catholica stabilitur et vindicatur; et quidem in 1. parte dogma SS. Trinitatis esse mysterium absolutum vel stricte dictum positive demonstratur; in altera autem parte potissimis demonstrationis philosophicae tentaminibus examinatis et refutatis eadem doctrina confirmatur. — In corollariis denique et scholiis adjectis quaestiones quaedam connexae opportune expediuntur.

Demonstratio.

I. p. SS. Trinitatis dogma rationem habet mysterii stricte dicti.

1. Probatur ex s. scriptura. — Huc spectat atque 7.
breviter accomodari potest tota demonstratio, qua in tractatu de vera religione (Th. 15. n. 18. ss.) ex 1. Cor. 2, 1. ss.; Matth. 11, 25. 26.; Joan. 1, 18. ostensum est, in revelatione mysteria stricte dicta contineri:

1) Ex 1 Cor. 2, 1. ss. — Nimirum Apostolus loco citato haec secundum ordinem exsequitur: *Primo* (v. 6. 7. 8.) duplicem sapientiam vel cognitionem discernit, naturalem alteram alteram vero supernaturalem; scilicet haec est valde sublimis, non est hujus saeculi, sed a Deo originem ducit, per rationes divinitus revelatas procedit, abscondita est et in mysterio posita, humanae rationi naturaliter impervia, nobis autem per Deum communicata. Quibus dotibus consideratis jam manifestum est, ab Apostolo tamquam objectum sublimis illius scientiae veritates exhiberi, quae naturalem cognitionem absolute excedunt. — *Secundo* (v. 9.) expressius earundem veritatum omnem sive per experientiam sive per testimonium humanum sive per cogitationem mentis acceptam notitiam impossibilem declarat; quare cum alii nulli fontes naturalis cognitionis supersint, earundem veritatum supernaturalitas instanter et efficacissime inculcatur. — *Tertio* (v. 11.) rationem ignorantiae humanae respectu harum veritatum explicans Apostolus declarat, solum Spiritum Sanctum eas veritates naturaliter cognoscere, quia solus utpote Dei Spiritus profunda Dei scrutatur, i. e. contemplando penetrat. Quare veritatum ordinem adstruit, cujus cognitio non solum hominis sed omnis creaturae vires naturales tam longe excedit, ut nulla creatura nisi per supernaturalem revelationem ad eum pervenire possit. — *Quarto* (v. 12-15.) denique Apostolus declarat, nos nonnisi per Spiritum qui ex Deo est, illas accipere et quadantenus intelligere veritates, utpote quae absconditae sint in profundis Dei ideoque rationi suis viribus relictae stultae appareant.

Quibus satis manifestum est, illas de quibus Apostolus 8.
agit, veritates rationem naturalem omnem ita excedere, ut

non tantum ab eadem inveniri nequeant, sed etiam cum revelatae sint, homini naturaliter spectato imperviae atque indemonstrabiles maneant atque sola fide teneri et solo hoc praelucente lumine divino quadantenus intelligi queant. Haec est autem ratio mysteriorum stricte dictorum. Quare ex doctrina Apostoli in revelatione christiana mysteria stricte dicta continentur.

9. Jamvero ex mente Apostoli in his mysteriis contineri primarium dogma SS. Trinitatis dubium esse nequit. Directe quidem et explicite Apostolus considerare videtur mysteria incarnationis et redemptionis; haec autem primo loco Christum Dei Filium, secundam SS. Trinitatis personarum spectant ideoque hoc mysterium implicite saltem continent et involvunt. Et profecto ad *profunda Dei*, quae in cor hominis non ascenderunt, quae solus scrutatur Spiritus Dei, quae stulta apparent homini animali, nihil magis pertinet, quam immanentes processiones et relationes, quibus personae divinae distinguuntur et constituuntur. Ergo ex doctrina Apostoli dogma SS. Trinitatis rationem habet mysterii stricte dicti.

10. 2) *Confirmatur ex verbis Christi apud Matth.* 11, 25, 26. — Christus enim ibi directe agit de cognitione personarum vel relationum divinarum, atque expressis verbis declarat, cognitionem earundem naturaliter non convenire nisi ipsis personis divinis, communicari autem eandem cognitionem parvulis (i. e. humilibus) per revelationem, sapientibus autem et prudentibus (i. e. superbis) eandem denegari. Itaque quamvis humilitas tamquam conditio exhibeatur, sine qua ad cognitionem illius veritatis perveniri non possit, medium tamen unicum, quo quis ad cognitionem illam pervenire possit, sola assignatur revelatio divina.

11. 3) *Confirmatur item ex Joanne* 1, 8. — Verbis enim illis: *Deum nemo vidit unquam; Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit,* evangelista doctrinam suam de Deo Verbo concludit, quae centrum est atque medulla dogmatis SS. Trinitatis. S. Joannes igitur testatur, hanc veritatem naturaliter imperviam esse omni intellectui creato, utpote quae solis personis, quae in sinu Dei sunt, naturaliter pateat.

2. *Ex SS. Patrum doctrina.* — Jam inde ab exordiis 12. ecclesiae vel theologiae christianae per totam antiquitatem christianam Patribus et doctoribus ecclesiae semper in comperto erat, dogma SS. Trinitatis naturalem facultatem intellectus humani imo cujusvis intellectus creati prorsus excedere. *Quod imprimis manifestum est ex multis et praeclaris eorum disputationibus, quibus contra haereticos fidem Trinitatis negantes et impugnantes nominatim Monarchianos et Eunomianos dogma catholicum egregie vindicarunt.* Illi enim, Monarchiani, non aliam rationem negandae unitatis personarum habebant vel proferebant, quam quod eadem cum essentiae unitate componi vel ratione intelligi nequeat. In eundem scopum, sc. negandae trinitatis personarum propter ejus incomprehensibilitatem et superrationalitatem, tendebat etiam absurdus Eunomianorum error, de quo jam dictum est in tractatu de Deo uno (Thes. 4. 12. 31. 32.). Scilicet haeretici illi ex clara essentiae divinae visione et perfecta ejusdem comprehensione, quam sibi absone vindicabant, nihil rationem humanam excedens in divinitate esse concluserunt atque ideo imprimis trinitatem personarum rejecerunt.

Jamvero SS. Patres hos errores refutantes concedebant 13. imo etiam inculcabant saepius, personarum trinitatem naturale rationis lumen ita excedere, ut ab eodem nec inveniri nec supposita ejusdem revelatione argumentis rationis demonstrari vel positive intelligi queat. Sed haereticorum superbiam atque jactantiam redarguentes tum ex ratione tum ex revelatione invicte demonstrarunt, Deum pro naturali intellectus creati lumine prorsus invisibilem et incomprehensibilem esse, atque hac ratione ipsum fundamentum jactantiae haereticae diruerunt. Posita enim hac Dei invisibilitate et incomprehensibilitate nihil sane mirandum restat, imo vero probabile et conveniens esse apparet, quod revelatio plura de divinitate credenda proponat, quae rationem naturalem prorsus excedant, quin tamen cum eadem pugnent. Inter haec autem mysteria trinitatem personarum in unitate naturae eminere atque primum locum tenere iidem Patres declararunt. Quapropter hoc dogma non secundum placita philosophica scrutandum et examinan-

dum, sed humiliter a Deo revelante suscipiendum atque ita, quemadmodum Apostolus loquitur (2. Cor. 10, 5.), in captivitatem redigendum esse omnem intellectum in obsequium fidei, graviter monuerunt atque inculcarunt. Atque hac ratione procedunt imprimis Patres graeci dogma catholicum explicantes et contra haereticos Arianos imprimis Eunomianos vindicantes, ut Athanasius (Ep. ad Paulum Samos.; et in illud: *omnia mihi tradita sunt*), Basilius et Gregorius Nyssenus (in libris contra Eunomium), Gregorius Naz. (in orationib. de theolog.), Cyrillus Hierosolymitanus (in catech. 6.), Epiphanius (haeres. 76.), Chrysostomus (in 5 homiliis de incomprehensibili Dei natura), Cyrillus Alexandrinus (in thesaur.). Verum et latini Patres simili ratione procedunt atque eandem fidem in superrationalitatem SS. Trinitatis aperte profitentur. Luculenta igitur exstat hujus doctrinae apud SS. Patres confirmatio.

14. *Verum speciminis causa expressa quaedam adjicere testimonia juvabit.* Itaque *Athanasius* his verbis Arianos compellat: „O stulti atque ad omnia audaces et praecipites, quare non potius SS. Trinitatem curiose scrutari desinitis, eamque esse duntaxat creditis, magistrum Apostolorum in hac re imitati, cujus haec sunt verba: *Credere enim oportet accedentem ad Deum.*" (Ep. 1. ad Serapion.). Et *Gregorius Nyssenus:* „At ne aliquis obstrepat, quod illud etiam, quod a nobis pro confesso habetur, rationibus et argumentis roboretur; sciat is, sufficere nobis ad nostri dogmatis probationem, quod venientem ad nos a majoribus traditionem habemus, velut haereditatem quandam, per successionem ab apostolis, continuata per sequentia saecula serie transmissam" (C. Eunom. l. 4.). Et alibi: „Nullo sermone declarari potest ineffabilis profunditas mysterii, quomodo res eadem numerabilis est et numerum fugit, et cernitur in distinctione et in monade intelligitur, et distinguitur hypostasi et non dirimitur subiecto (sc. natura)." (Orat. catech. c. 3.). Item *Epiphanius:* „Deus ingenitus, et ex ipso genitus, et Spiritus Sanctus procedens . . . Neque cum rebus universis quidquam commune habet, neque quispiam cum ipso communicat dignitate: prae-

tervolant enim et cedunt omnia (si quidem intellectus ex iis ad Trinitatem cognoscendam velit procedere) et pro ratiociniis totam causam relinquunt verbo doctrinali in divina Scriptura, quo dicitur: *nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem nisi Filius, et cui revelaverit.* Revelat autem per Spiritum Sanctum non iis, qui syllogismis intelligere volunt, sed sincere et perfecte in ipsum credentibus." (Haer. 76. ad caput 7. Aëtii). — Similiter *Cyrillus Alex.:* „Dificillima res est, Hermia, et propemodum inextricabilis, ac vel disertissimo cuique dictu inaccessa, imo intellectu. Quae enim mentem superant, mente comprehendi nequeunt, neque dicendo explicare licet, quae sunt oratione majora. Nam Patrem esse Deum et ex sua substantia vere genuisse nobis Filium, fides tradidit; scriptura divinitus data obsignavit ac verum esse docuit, Patrem et generationem ubique nominando. Existimo autem id quod fide susseptum est, non ulterius audaciori inquisitione scrutandum esse ... Itaque sicut accedentem ad Deum credere oportet quod sit, non ultra inquirere; ita sentiendum et existimandum est, cum Patrem esse Deum tum genuisse: quomodo autem eruere, ceu incomprehensibile relinquendum. Nec enim ullum prorsus fore arbitror, qui derideat eos, qui rebus ultra mentem nostram positis cedendum esse bene sapienterque statuerunt. Omni autem menti superior censebitur divinae generationis modus" (De Trinit. dial. 2.). Ita Patres graeci.

Neque aliter latini, ut v. g. *Hilarius:* „Immensum est **15.**
autem, quod exigitur, incomprehensibile est quod audetur (sc. expositio dogmatis Trinitatis); ut ultra praefinitionem Dei sermo de Deo sit. Posuit naturae nomina Patrem, Filium, Spiritum Sanctum. Extra significantiam sermonis est, extra sensus intentionem, quidquid ultra quaeritur; non enuntiatur, non attingitur, non tenetur. Verborum significantiam rei ipsius natura consumit, sensus contemplationem imperspicabile lumen obcoecat, intelligentiae capacitatem quidquid fine nullo continetur excedit." (De Trinit. l. 2. c. 5; cf. ibid. cc. 6. 9. 21.). Item *Ambrosius:* „Impossibile est generationis (divinae) scire secretum: mens deficit, vox silet, non mea

tantum, sed etiam angelorum" (De fide ad Gratianum l. 1. c. 10.) — Et *Hieronymus:* „De mysterio Trinitatis recta confessio est ignoratio scientiae" (In Isaiam, prooem. in l. 18.). Necnon *Augustinus:* „Experiantur, et esse illud summum bonum quod purgatissimis mentibus cernitur, et a se propterea cerni comprehendique non posse, quia humanae mentis acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per justitiam fidei nutrita vegetetur." (De Trinit. c. 2. n. 4.). Praeterea *Fulgentius:* „Quoties humanae conditionis infirmitas, semetipsam protinus arguitura, fines molitur aliquatenus suae paucitatis excedere atque coelestis illuminationis praegnata conceptu conditoris sui ac redemptoris inquisitionem coeperit parturire, sola quantum arbitror, immutabilis illa sempiternitas Trinitatis reperietur incomprehensibilitatis digna miraculo, quae sic excedit omne quod cogitare vel sapere possumus, sicut superat omne quod sumus." (Ad Trasim. l. 2. c. 1.). Et ibid. inferius: „Sola vero se potest Trinitas revelare, quia sola se potest ipsa Trinitas nosse, et quantum se dederit agnoscendam, tantum se condonat revelandam." (C. 10.). — Denique *S. Bernardus:* „Quaerit quis, quomodo illud quod catholicum esse dicimus (sc. personarum divinarum trinitas) possit esse? Sufficiat ea tenere sic esse. Atque hoc non rationi perspicuum, nec tamen opinioni ambiguum, sed fidei persuasum. Sacramentum hoc magnum est, et quidem venerandum, non scrutandum." (De consid. l. 5. c. 8.).

16. ***3. Ex communi theologorum consensu.*** — A doctrina, quae in scriptura solide fundatur atque SS. Patrum consensu confirmatur, non potest esse dissonum commune theologorum suffragium; revera theologi cujusvis scholae, paucis solum exceptis, unanimiter docent, trinitatem personarum in unitate naturae rationem humanam et creatam omnem absolute excedere. Audiatur imprimis *S. Thomas:* „Qui probare nititur trinitatem personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. Primo quidem quantum ad dignitatem ipsius fidei, quae est, ut sit de rebus invisibilibus, quae rationem humanam excedunt; unde Apostolus dicit ad Hebraeos 11, 1., quod *fides est de non apparentibus;* et idem Apo-

stolus dicit 1, Cor. 2, 6.: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam vero non hujus saeculi, neque principum hujus saeculi; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est.* Secundo quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes quae non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim, quod hujusmodi rationibus innitamur et propter eas credamus. Quae igitur fidei sunt, non sunt tentanda probari nisi per auctoritates his qui auctoritates suscipiunt: apud alios vero sufficit defendere non esse impossibile quod praedicat fides." (S. th 1. p. q. 32. a. 1.).

Item *S. Bonaventura* clare docet superrationalitatem **17.** SS. Trinitatis: „Pluralitas personarum cum unitate essentiae est proprium divinae naturae solius, cujus simile nec reperitur in creatura, nec potest reperiri nec rationabiliter cogitari: ideo nullo modo trinitas personarum est cognoscibilis per creaturam, rationabiliter ascendendo a creatura in Deum. Sed licet non habeat omnino simile, habet tamen aliquo modo quod creditur simile in creatura. Unde dico quod philosophi nunquam cognoverunt per rationem personarum trinitatem nec pluralitatem, nisi haberent aliquem habitum fidei, sicut habent aliqui haeretici. Unde qui dicunt hanc trinitatem aut locuti sunt non intelligentes aut fideí radio illustrati." (In 1. d. 3. p. 1. q. 4.).

Denique *Suarez* totius scholae sensum his assertionibus **18.** comprehendit: „Dico primo: Seclusa omni revelatione divina impossibile est per evidentem demonstrationem cognoscere, in Deo esse plures personas. Ita docent theologi omnes . . . Dico secundo: Absque revelatione divina non solum demonstrari non potest Trinitatis mysterium, verum nec cogitari potest tamquam possibile cum aliquo assensu probabili vel opinativo aut formidoloso. Hanc etiam assertionem videntur supponere theologi omnes . . . Dico tertio fieri non posse, ut angelus vel intellectus creatus virtute naturali cognoscat hoc mysterium directe et immediate in se ipso . . . Dico quarto nihilominus asserendum non esse mysterium Trinitatis esse contra rationem naturalem. Ita sentiunt omnes." (L. 1.

c. 11.). Quid tandem intellectus valeat hac in re supposita revelatione, definit hac quinta assertione: „Dicendum est intellectum fide formatum et per voluntatis affectionem applicatum invenire posse rationes, quibus convenientiam hujus mysterii ostendat . . . Et hoc ad summum probant rationes, quae afferri solent contra primam assertionem.“ (Ibid. c. 12.).

19. **4. *Ex declarationibus magisterii authentici.*** — Etsi magisterium authenticum nunquam quidem directe et expresse superrationalitatem dogmatis SS. Trinitatis definiverit, ea tamen iteratis vicibus enuntiavit et statuit, cum quibus sola consonat doctrina in hac thesi vindicata, opposita autem prorsus pugnat. Imprimis huc spectat declaratio *Concilii Vaticani* de mysteriis christianis in genere cum canone adjecto: „Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit ac tenet, duplicem esse ordinem cognitionis non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione et in altero fide divina cognoscimus; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae nisi revelata divinitus, innotescere non possunt . . . Nunquam (ratio) idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita *peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus et non per speciem* [2. Cor. 5, 6. ss.]“ (Sess. 3. c. 4.). „Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam et naturalibus principiis intelligi et demonstrari: anathema sit“ (De fide et ratione can. 4.). Jamvero ad haec mysteria in Deo abscondita, quae etiam revelatione tradita et fide suscepta ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta manent, etiam ex mente concilii primo loco pertinere SS. Trinitatem per se apertum esse videtur, cum tota Traditione testante et quavis

mente facile intelligente et concedente SS. Trinitas omnium veritatum revelatarum summa sit atque rationi humanae maxime abscondita atque ardua.

Verum idem confirmatur duabus vel tribus aliis magisterii authentici enuntiationibus. Nimirum cum recentiore aetate Güntherus theologiae id munus assignaret, ut dogma SS. Trinitatis tamquam rationalem vel naturalem veritatem ostendat adeoque ex ignominia mentis humanae in decus ejusdem convertat, atque reipsa ejusmodi rationales demonstrationes mysterii institueret, *Pius P. IX.* hunc conatum utpote rationalismo infectum graviter reprehendit atque aperte reprobavit: „Et re sane vera, quod non sine paterni animi nostri dolore significamus, neque pauca neque levia in commemoratis libris reperiuntur, quae tum verbis tum rebus a catholica veritate non minimum discedunt. Quo quidem numero ea praesertim censentur, quae auctor tuetur et affirmat de augustissima Trinitate ..., de habitu philosophiae ac theologiae, scientiae ac fidei. Neque enim satis intellexit, philosophiae esse, in iis, quae ad religionem pertinent, non dominari, sed ancillari, non praescribere, quid credendum sit, sed rationabili obsequio amplecti, neque altitudinem scrutari mysteriorum Dei, sed illam pie humiliterque revereri." (Breve ad episcop. Wralislav. d. 30. Mart. 1857.; cf. Breve ad Cardin. archiepisc. Colon. d. 15. Inn. 1857. necnon epistol. ad archiepiscop. Monac. d. 11. Dec. 1862.). — Similiter *S. Officium* decreto d. 14. Dec. 1887. a *Leone XIII.* approbato et edito inter 40 errores Antonii de Rosmini etiam hunc notavit et reprobavit: „Revelato mysterio SS. Trinitatis, potest ipsius existentia demonstrari argumentis mere speculativis quidem et indirectis, hujusmodi tamen ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revocetur, atque fiat propositio scientifica sicut ceterae; si enim ipsa negatur, doctrina theosofica purae rationis non modo incompleta maneret, sed etiam omni ex parte absurditatibus scatens annihilaretur." — Denique etiam *Concilium provinciale Coloniense* anno 1860 habitum atque a Pio IX. approbatum superrationalitatem dogmatis SS. Trinitatis declarat et inculcat: „Augustissimum hoc Tri-

nitatis mysterium, quamvis SS. Patres ecclesiaeque Doctores similitudinibus ad fidelium eruditionem illustrare conati sint, tamen uno quasi ore ineffabile et incomprehensibile esse proclamant. Et jure quidem merito. Etenim cum Dei invisibilia per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciantur, e rebus creatis ad personarum Trinitatem pertingendum nobis esset. Id autem fieri nequit, cum actus ille, quo Deus creavit mundum, utpote tribus personis communis, unitatem quidem essentiae, non vero personarum trinitatem manifestet." (P. 1. tit. 1. c. 9.).

21. ***5. Ex ratione.*** — Argumentum rationis continetur in declaratione modo relata Concilii Coloniensis, desumptum autem est ex S. Thoma: „Impossibile est per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis divinarum personarum pervenire. Ostensum enim est supra (q. 12. a. 4. et 12.) quod homo per rationem naturalem in cognitionem Dei venire non potest nisi ex creaturis. Creaturae autem ducunt in Dei cognitionem sicut effectus in causam. Hoc igitur solum ratione naturali de Deo cognosci potest, quod competere ei necesse est, secundum quod est omnium entium principium... Virtus autem creativa Dei est communis toti Trinitati; unde pertinet ad unitatem essentiae, non ad distinctionem personarum. Per rationem igitur naturalem cognosci possunt de Deo ea, quae pertinent ad unitatem essentiae, non autem ea, quae pertinent ad distinctionem personarum." (S. th. 1. p. q. 32. a. 1.). Quod argumentum sane solidum, ut plene perspiciatur, pauca quaedam addere juvat:

22. *1) Nimirum primo, argumentum sic efformari potest.* — Ut manifestum est ex tractatu de Deo uno, ad cognoscendas perfectiones singulas divinas eo pervenimus, quod Deo tamquam primo principio omnium rerum atque enti a se omnes perfectiones creaturarum sive eminenter sive formaliter necnon summam perfectionem puram possibilem in summo et infinito gradu convenire intelligimus. Ut igitur ea via ad cognoscendam Trinitatem perveniamus, ex sola ratione intelligendum foret tum trinam subsistentiam in unitate naturae necnon alteram et alteram immanentem et substantialem

processionem easque solas esse perfectiones puras in se possibiles vel cum aliqua ejusmodi perfectione necessario connexas. Atqui haec neque ex perfectione aliqua divina neque ex rerum creatarum consideratione cognoscimus neque ullo alio modo naturaliter intelligere valemus. Imo vero, si res naturali solum rationis lumine vel mere philosophice inspiciatur, potius proni simus ad negandam possibilitatem trinae subsistentiae in unitate naturae, utpote quae cum principio identitatis comparatae nec facile sane nec positive componitur; scilicet eatenus tantum repugnantia removetur, quatenus tres personae divinae non absoluta ulla perfectione, sed relationibus substantialibus distinguuntur et constituuntur; sed hoc ipsum iterum, scilicet Deum subsistere per trinam relationem substantialem ratione nec inveniri nec positive intelligi posse perspicitur, utpote cujus subsistentiae relativae ne vestigium quidem in creaturis exstat. — Neque alterum, quod, ut ex nominibus Patris et Filii et Spiritus Sancti patet, ad constituendam Trinitatem spectat, sc. duplex processio immanens substantialis, altera per intellectum altera per voluntatem, naturali rationis lumine sive inveniri sive positive intelligi potest: cum nullus nexus necessarius inter has processiones et ullam perfectionem divinam naturali rationi appareat, generationis vero exempla, quae in creaturis inveniuntur, ad hoc manuducere nequaquam possint. Etenim generatio animalis, cum propter suam ex materialitate et multiplici compositione provenientem imperfectionem vel a spiritibus creatis excludatur, multo et infinite magis a Deo exulat. Generatio autem spiritualis, quae cernitur in intellectione et amore creaturarum, potentialitatem subaudit et accidentia a substantia distincta infert; quae in Deo esse nequeunt, utpote qui est actus purissimus atque ideo omnem potentialitatem et omne accidens prorsus excludit. Neque rationem naturalem subire potest cogitatio possibilem esse processionem, qua neque accidens neque nova substantia procedat, sed potius procedentibus personis una numero natura communicatur; neque etiam ratio naturalis ex se inveniet vel tamquam possibile concipiet, esse aliam et aliam processionem per intellectum

et voluntatem, cum tamen inter intellectum et voluntatem et actus eorundem nulla sit realis distinctio. Imo vero ratio naturalis sibi relicta potius prona est ad judicandum, ejusmodi processiones in Deo non esse nec esse posse.

23. *2) Paulo aliter argumentum sectando vestigia S. Thomae sic exponi potest:* „Ex sensibilibus non potest perveniri ad propria personarum, sicut ex effectibus devenitur ad causas; quia omne illud quod in divinis causalitatem habet ad essentiam pertinet, cum Deus per essentiam suam sit causa rerum. Propria autem personarum sunt relationes, quibus personae non ad creaturas sed ad invicem referuntur. Unde naturali cognitione in propria personarum devenire non possumus." (De verit. q. 10. a. 3.). Aliis verbis: Ex creaturis Deus eatenus cognoscitur, quatenus nexus naturalis exstat inter Deum et creaturas; atqui creaturae naturaliter cum Deo non connectuntur, nisi quatenus Deus est causa prima earundem efficiens, exemplaris et finalis; porro Deus causa creaturarum est secundum essentiam suam vel quatenus unus est, non autem secundum relationes, utpote quibus personae divinae in se constituuntur et ad invicem nullo autem modo ad extra referuntur. Ergo ex creaturis vel naturali cognitione Deus quidem cognoscitur secundum essentiam suam vel quatenus unus non autem secundum relationes personales vel quatenus trinus est. — *Neque contra dici potest,* creaturas etsi a Deo uno tamquam effectus a causa procedant, nihilominus repraesentare posse Deum tamquam trinum vel secundum relationes personales, sicut imago quaedam artefacta non repraesentat solum artificem, sed etiam aliam personam vel rem repraesentare potest. Etenim creaturae non sunt repraesentatio formalis sed tantum objectiva creatoris; i. e. Deum non repraesentant aliter ac quivis effectus suam causam repraetentat; effectus autem generatim causam non repraesentat nisi quatenus est participatio vel imitatio perfectionis causae, cum causa eam tantum perfectionem communicare possit, quam ipsa habet. Neque tamen causa praesertim libere agens omnem suam perfectionem communicat. sed eam quae in effectu apparet. Cum igitur creaturae tamquam

effectus Deum non repraesentent nisi ut causam. Deum secundum essentiam quidem, non autem secundum relationes repraesentant. Revera nihil in creaturis invenitur, quod determinate divinas relationes exhibeat. Ergo ex creaturis Trinitas cognosci non potest.

3) Haec autem tota argumentatio valet etiam supposita 24. *SS. Trinitatis revelatione.* — Nimirum revelatio dogmatis non efficit, ut mysterium esse desinat, vel ut naturali ratione demonstrari et positive intelligi queat. Ratio est, quia revelatio divina, quam fide suscipimus, nullo pacto mutat nostrum modum cognoscendi naturalem. Apposite *S. Thomas:* „Divinae revelationis radius ad nos pervenit secundum modum nostrum, ut Dionysius dicit. Quamvis enim per revelationem elevemur ad aliquid cognoscendum, quod alias esset nobis ignotum; non tamen ad hoc quod alio modo cognoscamus nisi per sensibilia; unde Dionysius (I. cap. coel. hierarch.) dicit, quod impossibile est nobis aliter superlucere divinum radium, nisi circumvelatum varietate sacrorum velaminum. Via autem quae est per sensibilia non sufficit ad ducendum in substantias supernaturales secundum cognitionem quid est, sed solum cognitione an est, sive naturali ratione ex effectibus creaturarum sive etiam ex revelatione quae est per similitudines a sensibilibus sumptas." (In Boëth. de Trinit. q. 6. a. 3.). Re sane vera, ut conscientia unicuique renuntiat, revelatio divina fide suscepta tamquam fons et norma externa cognitionis conceptus et judicia nostra objective perficit, auget vel etiam corrigit: verum tamen internam nostrae cognitionis naturam vel ipsum modum concipiendi, judicandi ratiocinandi nequaquam mutat. Quare etiam supposita revelatione divina nonnisi cognitione analoga et mediata ex creaturis deducta cognoscimus. Neque igitur revelatione supposita et fide suscepta ratio naturalis SS. Trinitatem demonstrare vel etiam tantum ut positive possibilem cognoscere potest.

6. Ex solutione quarundam objectionum con- 25. ***firmatur.*** — Verum excipiuntur aliqua sive contra veritatem demonstratam, sive contra demonstrationem institutam, quae jam hoc loco commode expediuntur. Itaque:

1) *Excipitur primo:* Cum in Deo nulla sit potentialitas, Deus quodcunque esse potest, hoc est; atqui nulla argumenta exstare possunt, quibus demonstretur, Deum in tribus personis subsistere non posse: ergo Deus subsistit in tribus personis. — *R. c.* maj.; *d.* min.: de hac veritate constat nobis ex revelatione *c.*; ex sola ratione *sbd.* ita, ut trinitatis possibilitatem positive intelligamus *n;* ita ut argumenta contra facta negative solvantur vel aliquo defectu laborare ostendantur *sbd.* revelatione supposita *c.* ea non supposita tr... Scilicet Trinitatem positive possibilem esse ex sola revelatione cognoscimus, ex ratione autem sola nequaquam: aliud enim est, rem ut positive possibilem cognoscere vel demonstrare, aliud cognoscere argumentis contra factis repugnantiam non evinci; illud rationi naturali denegandum est; hoc autem eidem saltem post factam revelationem concedi potest.

26 2) *Excipitur secundo vel urgetur:* Vera necessaria etiam necessariis argumentis demonstrari possunt, ut recte notat Richardus a S. Victore: „Credo sine dubio, quoniam ad quorumlibet explanationem, quae necesse est esse, non modo probabilia, imo etiam necessaria argumenta non deesse, quamvis illa interim contingat nostram industriam latere." (De Trinit. l. 1. c. 4.). Sed Trinitas certe veritas necessaria est. Ergo etiam necessariis argumentis demonstrari potest. — *R.* Trinitas sane veritas necessaria est cum ipsa essentia divina connexa; sed rationes hujus necessitatis, ex quibus inferri possit, omnem intellectum latent, qui Deum intuitive non videat. Atque hoc ipsum forte etiam Richardus insinuare vult dicendo, illas rationes interim intellectum nostrum latere.

27. 3) *Excipitur tertio:* Dogma SS. Trinitatis, saltem postquam ex revelatione fide susceptum est, etiam ratione comprobari potest. Ita sentiunt veteres tum Patres tum etiam theologi scholastici. *Augustinus* v. g. dicit: „Oportet, ut creatorem per ea, quae facta sunt, intellectum conspicientes, Trinitatem intelligamus, cujus in creatura, quo modo dignum est, apparet vestigium." (De Trinit. l. 6. c. 10. n. 12.). Et inferius notat, Trinitatem cognosci in mente humana repraesentatam: „Ecce mens meminit sui, intelligit se, diligit se:

Haec si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei." (l. 14. c. 8. n. 11.); atque ut mens ita Trinitatem repraesentet necesse esse dicit, cum homo factus sit ad imaginem Trinitatis (Ibid. l. 12. c. 6.). Si autem creaturae sunt vestigia, imo imagines Trinitatis, haec ex illis saltem revelatione supposita demonstrari potest. — S. Augustinum secuti etiam theologi veteres idem senserunt, non solum Raymundus Lullus, sed etiam Richardus a S. Victore et Anselmus, imo ipse S. Thomas. Et *Lulli* quidem sententia notissima est; *Anselmus* autem haec notat: „Duo parva opuscula mea, Monologium scilicet et Proslogium ad hoc maxime facta sunt, ut quod fide tenemus de divina natura et personis praeter incarnationem necessariis rationibus sine scripturae auctoritate probari possit." (De fide Trinit. c. 4. cf. Monolog. c. 64.). *Richardus* vero: „Erit intentionis nostrae in hoc opere ad ea, quae credimus, in quantum Dominus dederit, non modo probabiles sed etiam necessarias rationes adducere" (De Trinit. l. 1. c. 4.; cf. ib. l. 3. c. 5. et l. 4. c. 1.). Denique S. Thomas vestigia S. Augustini premens saepius ex verbi et amoris processione Trinitatem rationis argumentis demonstrat.

R. n. assert. Ad probationem quod attinet, plura notanda 28. sunt: Et *primo* quidem considerandum est, quod sapienter notat *S. Thomas:* „Ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio: uno modo ad probandam sufficienter aliquam radicem . . . Alio modo inducitur ratio, non quae sufficienter probet radicem, sed quae radici jam positae ostendat congruere consequentes effectus . . . Primo ergo modo potest induci ratio ad probandum Deum esse unum et similia. Sed secundo modo se habet ratio, quae inducitur ad manifestationem Trinitatis, quia scilicet Trinitate posita congruunt hujusmodi rationes, non tamen ita quod per has rationes sufficienter probetur Trinitas personarum." (S. th. 1. p. q. 32. a. 1. ad 2.). Itaque inter rationes demonstrantes et illustrantes distinguendum est. — Quo posito *secundo* dicendum est S. Augustinum, quando in creaturis vestigium vel imaginem Trinitatis detegit et notat, in iisdem invenire vel ex eisdem

derivare rationes quidem illustrantes, non autem demonstrantes. Quod patet ex aliis locis ejusdem operis de Trinitate. Sic varias analogias vel vestigia et imagines Trinitatis breviter comprehendens animadvertit: „Ecce jam quantum necesse fuerat, aut forte plus quam necesse fuerat, exercitata in inferioribus intelligentia ad summam Trinitatem, quae Deus est, conspiciendam nos erigere volumus nec valemus“ (Lib. 15. c. 6. n. 10.). Itaque fatetur, humanam rationem ex ejusmodi analogiis ad scopum intentum scilicet certam Trinitatis intellectionem non pervenire. Atque insuper addit, Trinitatem non esse inter ea invisibilia, quae per creationem manifestata sunt: „Profecto aut invisibilia ejus per ea quae facta sunt, nulla intellecta conspicimus, aut si ulla conspicimus, non in iis conspicimus Trinitatem et est illic, quod conspiciamus, est quod etiam non conspectum credere debeamus.“ (Ibid.). — *Tertio* Raymundus Lullus revera sicut alia mysteria ita etiam SS. Trinitatem ex sola ratione demonstrari posse opinatus est atque ejusmodi argumentis ex sola ratione derivatis dogma Trinitatis reipsa demonstrare tentavit. Verum frustra, atque ista ejus opinatio ab ecclesia reprobata est; nam *Gregorius IX* cum aliis propositionibus Raymundi etiam hanc 96. proscripsit: „Omnes articuli fidei et ecclesiae sacramenta ac potestas papae possunt probari et probantur per rationes necessarias. demonstrativas, evidentes.“ — *Quarto* quod attinet Richardum a S. Victore et S. Anselmum, res utique magis difficilis est. Etenim locis objectis de vera naturali vel philosophica demonstratione loqui videntur: alibi autem aliter loquuntur. Ita Richardus alicubi verbis claris declarat, dogma SS. Trinitatis ita esse „praeter omnem humanam rationem, ut nunquam ei ratio acquiesceret, nisi ad hujus rei certitudinem fides eam sublevaret.“ (De praeparat. ad contemplat. c. 82. cf. de contemplat. l. 4. cc. 2. 3.). S. Anselmus autem similiter alibi altitudinem et inconprehensibilitatem ejusdem dogmatis prae intellectu humano maxime praedicat et urget (Proslog. c. 1.; Monolog. cc. 43, 64, 65.; de fide Trinit., prooem.); quod suadere videtur, rationes pro mysterio allatas etiam ab ipso

considerari non ut demonstrantes sed ut declarantes vel illustrantes; verum in expressionibus saltem adhibitis S. Anselmum exagerasse vim illarum rationum concedendum est. Sed quidquid senserunt Richardus et Anselmus, consensus SS. Patrum et theologorum neque ipsorum auctoritate labefactari potest. — *Quinto* immerito prorsus opponitur *S. Thomas*, ut jam apertum est ex testimoniis ejusdem superius allatis. Quando autem ex processionibus verbi et amoris ad explicandas divinas processiones procedit, mysterii quidem declarationem nequaquam autem philosophicam demonstrationem exhibere intendit; imo vero expressis verbis data occasione inculcat, id fieri non posse: „Similitudo intellectus nostri non sufficienter probat aliquid de Deo, propter hoc, quod intellectus non unicove invenitur in Deo et in nobis. Et inde est, quod Augustinus (super Ioan. tract. 27. circ. med.) dicit, quod ,per fidem venitur ad cognitionem' et non e converso." Deinde S. Thomas ex processionibus divinis divinitus revelatis tamquam principio procedens alias circa Trinitatem veritates infert vel declarat, quod multum sane confert ad excludendos errores et aliqualem mysterii intelligentiam gignendam et ideo ejusmodi processus legitime omnino instituitur (cf. De pot. q. 2. a. 1.; ibid. q. 9. a. 5.; c. 9. l. 4. c. 11.). Sed haec non est philosophica mysterii demonstratio, verum potius theologica argumentatio et declaratio, utpote quae ex fide procedit. Cf. th. 14. n. 35 ss.

4) Excipitur quarto: Secundum SS. Patres maxime 29.
vel unice modus essendi vel procedendi personarum divinarum absconditus nobis est; atqui hic modus etiam in creaturis nos latere saepe solet, ut iidem SS. Patres monent; ergo sub hoc respectu nullum essentiale discrimen inter Trinitatem et res creatas intercedit. Quare nihil obstat, quominus Trinitatem ea ratione intelligamus, qua generatim intelligere possumus et etiam res creatas intelligimus. — *R.* Quomodo res sint vel oriantur, ex essentiis earundem necnon causis cognoscimus; utrumque autem quoad res creatas cognoscimus vel cognoscere possumus. Quia vero res et causas per accidentia potius et effectus earundem quam per seipsas

cognoscimus, ideo etiam rerum creatarum naturas imperfecte cognoscimus et saepius ignoramus, quomodo res sint vel oriantur. Hinc vero inferri nequit, eodem modo se habere relate ad nostram cognitionem Trinitatem et res creatas; verum potius concludendum est: Cum jam rerum creatarum naturas valde imperfecte cognoscamus, utpote quae per accidentia sua et effectus a nobis cognoscuntur, multo minus et imperfectius Dei naturam cognoscimus, utpote quae non per accidentia sibi inhaerentia, sed per effectus tantum, qui infinite ab ipsa distant et eam imperfectissime repraesentant, nobis manifestatur. Quare multo minus, quam origines creatas, generationem et spirationem divinam intelligere valemus. Quinimo non tantum ex natura divina non intelligimus rationem generationis et spirationis, sed ab hac generatione et spiratione et trinitate inde consequenti repugnantiam nonnisi difficulter et solum negative non autem positive removere possumus. Atque in hoc praecise SS. Trinitas ab omnibus rebus creatis essentialiter discriminatur. Neque quidquam aliud hac in re SS. Patres docent. Apposite v. g. Gregorius Naz.: „Si tuam cognoscis (generationem), non protinus etiam divinam: sin vero ne tuam quidem, quomodo divinam? Quanto enim difficilius est Dei naturam quam hominis indagare; tanto quoque difficilius intelligi potest suprema illa et divina generatio, quam tua“ (orat. 29.).

2 p. Vana et inania sunt argumenta, quibus aliqui SS. Trinitatem philosophice demonstrare conati sunt.

30 In hac parte jam examinanda sunt systemata quaedam vel argumenta, quibus aliqui Trinitatem divinam philosophice demonstrare frustra tentaverunt. Jam a nonnullis scriptoribus vel plures ex antiquis philosophis gentilibus scilicet Plato et Neoplatonici quidam dogma Trinitatis naturali ratione novisse atque argumentis declarasse et munisse dicuntur; verum falso id assertum est, cum vera et integra doctrina de Trinitate apud illos philosophos nequaquam inveniatur, quasdam autem ideas connexas vel cognatas e revelatione hausisse et simul corrupisse videantur. Quod cum pluribus

demonstraverit *Cardinalis Franzelin,* merito ita concludit: „Certum omnino est, Platonis doctrinam de ideis et de mente divina nihil pertinere ad mysterium Dei, qui sit unus essentia et trinus personis. Si quae vero de distinctione personarum apud Philonem et post evangelium longe lateque jam propagatum apud Neoplatonicos occurrunt, ea ex revelatione ad hos philosophos pervenerunt, et adhuc ab eis interpretatione ex principiis mere philosophicis in sensum falsum detorta sunt.“ (Thes. 18. in fine). Quare diversis his doctrinis philosophicis immorandum non est. Verum decursu aerae christianae aliqui theologi vel christiani nominis scriptores veram Trinitatem argumentis philosophicis demonstrare conati et reipsa demonstrasse opinati sunt. Ita Abaelardus, Raymundus Lullus, Marcus Mastrofinius, Antonius Rosmini, G. Lessing, A. Günther, H. Schell. De Abaelardo ejusque hac in re doctrina sufficit notare judicium *S. Bernardi*: „Ut Platonem facit christianum, se probat ethnicum“ (De errore Abaerlardi). De argumentis R. Lulli ita judicat *Ruiz:* „Demonstrationes, quibus Trinitatem probat Raymundus, ridiculae sunt, deliria somniantis et male sani capitis.“ (Disp. 41. sect. 1.). Simile judicium Cardinalis Franzelin fert de tribus demonstrationibus Mastrofinii, utpote quas dicit neque umbram demonstrationis habere, esse aegri somnia, continere plura theologice falsa et absurda. Neque censuram multo meliorem merentur argumenta a Rosmini constructa, ut facile patet, si vel obiter considerentur 25. et 26. ex propositionibus ejusdem a *Sacro Officio* notatis et rejectis; scilicet Sabellianismi instaurationem continent. His igitur omnibus missis (cf. Cardin. Franzelin th. XVIII) paulo accuratius inspicienda sunt argumenta a Germanis Lessing, Hegel, Günther, Schell proposita, quamvis et haec graviter deficiant et ea partim supponant vel adstruant, quae satis absona sunt. Omnes enim istae et aliae quae confictae sunt vel confingi possunt demonstrationes hoc commune habent, quod vel nullam efficaciam habent vel ipsum dogma revelatum pervertunt atque in alienum necnon absurdum sensum pervertunt; quod alterum praesertim valet, si neque conceptus

dogmatis a revelatione propositus satis prae oculis habetur, sed demonstratio tentatur mere rationalis i. e. tum quoad conceptum quid sit tum quoad veritatem an sit. Atque hoc ipsum satis patebit ex tentaminibus illis paulo accuratius inspectis quae jam examinanda sunt.

31. ***1. Demonstratio a Lessing proposita.*** — Lessing hanc demonstrationem instituit: „Ab omni aeternitate Deus, utpote qui ens perfectissimum est, perfectissimum i. e. seipsum cogitet necesse est; Dei autem cogitatio necessario productiva est; quare quod ea cogitatione producitur, Deus Filius est: et Deus quidem est, quia omnes ejusdem perfectiones possidet; Filius autem est, quia repraesentatio posterior est ipso repraesentante. Imago Dei est, sed imago cum ipso identica. Quia igitur Patri et Filio omnia sunt communia, perfectissima inter eosdem intercedit harmonia. In hac autem harmonia totum invenitur, quod in Patre et Filio est i. e. natura divina; quare et ipsa Deus est; Deus scilicet Spiritus. Haec vero harmonia Deus non esset, si Pater et Filius Deus non essent; neque ambo essent Deus, si haec harmonia non adesset: tres igitur unum sunt.“ [1])

32. *Respondetur:* Aliis praetermissis duo circa hanc demonstrationem animadvertenda sunt: *Primo* non clare elucet, quid per harmoniam inter Patrem et Filium intelligatur. Forte amor, quo Pater et Filius se invicem amplectuntur? — Verum *secundo* hoc etiam posito dicendum foret non amorem producentem sed amorem productum Spiritum Sanc-

[1]) Von Ewigkeit muss Gott das vollkommenste Wesen, das Vollkommenste, d. i. sich selbst denken. Gottes Denken aber ist produktives Denken. Es ist daher das Produkt, der Sohn, Gott; — Gott, weil alle seine Eigenschaften besitzend; Sohn, weil die Vorstellung später ist als das Vorstellende. Er ist ein Bild Gottes, aber ein identisches Bild. Da Vater und Sohn alles gemein haben, herrscht zwischen ihnen die vollkommenste Harmonie. In dieser ist alles, was im Vater ist und was im Sohne, d. i. das göttliche Wesen; sie ist selbst Gott. Es ist der Geist. Diese Harmonie wäre nicht Gott, wenn der Vater und Sohn nicht Gott wären, und beide könnten nicht Gott sein, wenn diese Harmonie nicht wäre, d. i. alle drei sind Eins. (Erziehung des Menschengeschlechtes § 73.)

tum esse. — Sed *tertio* et maxime demonstrandum foret, intellectionem divinum et amorem divinam esse productivos; id autem non probatur sed gratis assumitur. Etenim revelatio quidem nos id edocet, ratio autem humana idem nec probare nec positive intelligere valet, ut supra demonstratum est. Quibus notatis evidens est, demonstrationem a Lessing propositam gravibus defectibus laborare atque prorsus nullam esse.

2. *Ratiocinatio absurda Hegeliana.* — Etsi 33
Hegel non trinitatem christianam, sed potius larvam ejus absonam et blasphemam demonstrare praesumpserit, tamen eruditionis causa absurda ejusdem sophismata breviter notare juvat. Itaque hoc modo pantheisticam suam Trinitatem probare tentavit: „Deus est purum intelligere . . . Sed intelligere infert aliud, quod intelligitur. Eo autem quod intelligit, intellectum a se sibi proprium reddit. Itaque Deus, ipsum esse a se et aeternum, semetipsum ab aeterno generat tamquam Filium suum . . . Illud autem, quod hac ratione a semetipso distinguitur, formam alterius distincti non habet; sed quod distinguitur immediate nonnisi illud est, a quo est discretum.“ [1]) — *Sed quo sensu haec accipienda sint, breviter considerandum est:* Nimirum Deus est idea logica, quae in rerum universitatem se evolvit. Haec autem evolutio triplici stadio seu motu seu conceptu logico perficitur et absolvitur. Primus motus seu conceptus logicus intra se evolutus est idea abstracte sumpta: Deus in se; secundus motus sive conceptus logicus est idea ad extra evoluta: natura; tertius motus sive conceptus logicus est idea in se reversa, Deus sui jam conscius factus in homine: ipse homo. Sicut igitur triplex hic conceptus dicit trinitatem, ita tertius motus infert incarnationem, homo est simul Deus, et Deus incarnatus est. Ita Hegel. — *Respondeo:* Haec notasse satis est, quia pro-

[1]) „Gott ist die Tätigkeit des reinen Wissens . . . Zum Wissen gehört ein anderes, das gewusst wird; und in dem das reine Wissen es weiss, ist es ihm angeeignet. Hierin liegt, dass Gott, das ewig und an und für sich Seiende, sich ewig erzeugt als seinen Sohn . . . Was aber so sich von sich unterscheidet, hat nicht die Gestalt eines anderseins, sondern das Unterschiedene ist unmittelbar nur das, von dem es geschieden worden“ (Religionsphilosophie II, 185.).

fecto contra ejusmodi hallucinationes blasphemas, quae evidenter absurditatibus scatent, serio argumentari nec necessarium nec operae pretium est. Recte et apposite schema *a Concilio Vaticano* praeparatum, sed non editum: „Suae autem impietati in sententiis ipsis Pantheistae supperaddunt aliam in verbis, quod monstra opinionum, quae confinxerunt, sanctissimis nominibus mysteriorum christianae religionis obtegere consueverunt, atque dum trinitatem, incarnationem, redemptionem, resurrectionem nominant, id assequi student, ut suis doctrinis aliquid christianum subesse, incautis persuadeant, ac ipsa veneranda mysteria verae religionis ad perversissimos sensus detorqueant atque depravent." (Cap. 1. condemnat. materialismi et pantheismi).

Sed jam ad theologos illos catholicos supra nominatos veniendum est, qui longe quidem ab impietate blasphema Hegeliana distant, verum ideis philosophicis falsis et pantheismum redolentibus infecti in graves errores inciderunt et similiter dogma catholicum perverterunt et in alienos sensus detorserunt.

34. *3. **Demonstratio Güntheriana.*** — Günther opinatus omnes veritates revelatas, saltem necessarias, philosophice demonstrari posse an sint et quid sint, etiam mysterium SS. Trinitatis demonstrare agressus est. Qua in demonstratione Hegelianis ideis infectus ex modo, quo mens pervenit ad conscientiam sui, progressus est. Totam demonstrationem *Kleutgen*, qui in doctrina Güntheriana versatissimus ejusdem multiplices et graves errores solide et profunde refutavit (Theologie und Philosophie d. Vorzeit), ita comprehendit: „Quoniam homo sui conscius fit per actus suos, apud recentiores philosophos satis receptum est, in quavis natura intellectuali conscientiam per thesin, antithesin et synthesin explicare. Ut, ajunt, mens se cognoscat, ex se et in se aliquid debet gignere, quod ut a se distinctum sibi opponat (thesis et antithesis), atque deinde ut aliquid sui cognoscat, et ad se ut ad principium reducat (synthesis). Itaque Pantheistae nostrates absolutum sive infinitum (Deum) sui conscium fieri dicunt ex se relativa et finita (mundum) producendo, in

quibus sibi appareat. Quos refutans Günther de conscientia divina sic statuit: Deus sibi objectum (cognitionis) fieri non potest, ut homo, per phaenomena (accidentia), quae in ipso sint, multo etiam minus per res finitas, quas substantiam suam in partes infinitas dirimendo, gignat, sed solum per emanationem, qua totam suam substantiam secundo ponit sive in se duplicat. Substantia igitur prima (thesis) et altera (antithesis) sibi invicem objectum cognitionis sunt. Hac tamen cognitione utraque non solum alteram et se, sed etiam aequalitatem sive potius identitatem suam intuentes, hanc affirmando substantiam divinam, simul operando, tertio ponunt (synthesin): quemadmodum etiam homo, postquam actum suum cognovit, alium actum elicit, quo illum tamquam principium agens cognoscit. Sed actus hominis accidentales sunt, Dei substantiales.“ Ita Kleutgen (De ipso Deo n. 939.). Quae demonstratio, ut rite ad mentem Güntheri intelligatur, duo adhuc notanda sunt: Et primo quidem conscientia actualis est forma personalitatis vel ipsum illud quod formaliter personam ut talem vel ut subsistentem constituit; secundo secundum Güntherum tres personae divinae ea ratione constituti unitatem naturae habent non realem et numericam, sed formalem et organicam, quatenus scilicet summam aequalitatem habent, altera et tertia a prima et secunda procedunt, et omnes ad invicem referuntur. Atque his demonstratio Güntheriana adaequate est proposita.[1])

[1]) Cf. Vorschule zur spekulativen Theologie, Bd. 1. S. 105. ff. S 352; Bd. 2. S. 29. ff. 535. 536. das Gastmahl des Peregrinus S. 149; Lydia S. 441 ff. Speciminis causa sint haec: „Ist Gott als Sein durch sich, auch deshalb schon Erkennen durch sich, d. h. absolutes Selbstbewusstsein: so wird der Charakter dieses absoluten Selbstanschauens eben darin bestehen, dass er sein absolutes Wesen als solches unmittelbar zum Objekt der Anschauung macht ... daraus folgt, dass Gott, wenn er sich unmittelbar in seiner Substantialität erfasst (d. h. seiner selbst bewusst wird) sein eigen Wesen abermals setzt. Mit anderen Worten: Nur dadurch wird es für uns denkbar, dass Gott sich in seiner Wesenheit zum Objekte unmittelbarer Anschauung macht, dass er sich in sich, als Substanz real engegenstellt und verdoppelt; und dieses nach derselben Weise, vermöge welcher der kreatürliche Geist seine Erscheinungen und Tätigkeit zum Gegenstande unmittelbarer Anschauung macht. Der Ge-

35 *Respondetur.* — Hanc vero demonstrationem non tantum omni efficacia carere sed penitus pervertere ipsum mysterium, consideranti facile elucet:

1) Demonstratio caret efficacia. — Et *primo* quidem falso fundamento innititur. Nimirum mens humana sane non cognoscit semetipsam immediate et directe, sed ad conscientiam sui non pervenit nisi per actum a se productum, quatenus in eo cognito semetipsum tamquam principium et subjectum ejusdem cognoscit; sed hoc inde provenit, quod corpori alligata substantias nonnisi per accidentia cognoscere valet. Quare ab hoc processu mentis nostrae neque ad eundem vel similem processum in mente puri spiritus creati concludi potest; minime autem gentium ejusmodi illatio fieri potest

---

danke oder die Vorstellung kann nur durch einen zweiten gleich lebendigen Gedanken unmittelbar angeschaut worden ... — Was nun aber von dem Objekte im Selbstbewusstsein Gottes gilt (das in seiner Gleichheit mit dem göttlichem Subjekte, wie dieses, absolute Substanz ist): das gilt auch (nach den oben angeführten und allgemein anerkannten Axiomen über die Natur des Bewusstseins) von dem zweiten Momente der Selbstobjektivierung, das zugleich (nebst dem Subjecte und dem Objekte) ein drittes Element im absoluten Selbstbewusstsein setzt. Es ist wie die beiden früheren Momente, absolute Substanz. — So ist demnach in Gott, wie in der Kreatur, das Selbstbewusstsein eine wesentliche Form, dort des absoluten, hier des relativen Seins; nur mit dem Unterschiede, (der von der Qualität des Seins bestimmt ist), dass dort die Elemente der Form (d. i. die Momente des einen ungeteilten Bewusstseins) Substanzen (Noumena), hier bloss Tätigkeiten (Phänomena) sind. Kurz: der Geist gelangt zu einem Wissen um sein Sein durch Potenzierung seiner Erscheinung; — Gott ist Wissen von seinem absoluten Sein durch Potenzierung seines absoluten Seins. Oder, da alles Selbstbewustsein nichts anderes ist, als eine Ueberzeugung vom Sein: so kann diese auch nur erwachsen aus vorangegangener Zeugung; diese aber ist in der Kreatur die Erscheinung der Substanz, in Gott aber die Substanz selber, sein Wesen, als Sein durchsich. — Und dieses Ueberzeugungs- oder Potenzierungsgeschäft vollendet sich in nicht mehr und nicht weniger Momenten, als in dreien, nämlich: in der Synthese aus der Antithese, durch den Erkenntnisakt der Gleichheit zwischen Subjekt und Obiekt. Und dieser Vollendungsakt des Selbstbewusstseins, da er durchaus von den vorhergehenden Momenten bedingt ist, kann in Gott wiederum nur die Setzung seiner Substanz sein, sowie er in der Kreatur abermal nur Erscheinung sein kann, als Erkenntnis oder Gedanke der Uebereinstimmung zwischen dem Erkennenden und Erkannten" (Vorrschule l. c.).

quoad spiritum increatum. Scilicet cum spiritus creatus nihil ex se producere debeat, in quo sibimetipsi manifestetur, sed directe et immediate semetipsum intueatur: multo magis Deus ipsa intellectio semetipsum directe et immediate intuetur neque quidquam prius ex se gignere debet, in quo sibi manifestetur. — *Praeterea* tota argumentatio sibi non cohaeret; si enim prima persona sui conscia non sit nisi aliquid ex se producendo, quomodo altera et tertia persona sine ejusmodi productione conscientiam sui habeant? Si dicatur forte alteram ad perfectam sui cognitionem pervenire per productionem tertiae, manet saltem, quod tertia sine ulla ejusmodi productione conscientiam sui habeat vel nulla omnino fruatur, quod profecto absurdum foret. Igitur tertia quoque persona novam personam produceret et haec iterum aliam et ita sine fine multiplicandae essent persone divinae. Quare apertum est, aut principium demonstrationis relinquendum esse aut manifestas absurditates incurri. — *Deinde* ex una parte tria illa momenta: thesis antithesis synthesis etiam in Deo non possunt constituere nisi unam conscientiam, cum quaelibet conscientia iisdem essentialiter constitui dicatur; ex altera autem parte ex mente Güntheri persona formaliter in ratione personae per conscientiam sui constituitur, et ideo inferendum esset, in Deo non esse nisi unam personam; sed Günther sane retinere vult, tres esse personas divinas. Ergo demonstratio Güntheriana etiam ex hoc capite sibi non cohaeret vel contradictione laborat. Atque haec contradictio vitari nequit, nisi multiplicentur i. e. triplicentur quodammodo illa momenta; id autem fieri nequit, quin tota argumentatio vel explicatio corruat. — *Denique* demonstratio Gütheriana neque umbram explicationis continet personae tertiae, vel minime declarat, qua ratione haec persona constituatur. Asseritur quidem, personas primam et alteram cognoscendo suam aequalitatem substantiam divinam tertio ponere. Sed haec assertio nullum fundamentum habet atque absurdum figmentum est, cum assertio aequalitatis inter duo eadem duo eorumque aequalitatem supponat, non autem tertium ponat. — In tota hac demonstratione id unum vere dicitur, in Deo esse immanen-

tem processionem per intellectionem; sed haec veritas demonstrari nequit neque igitur a Günthero demonstrata, verum deformata est, ut jam patet et adhuc magis patebit. Atque haec sufficiunt ut intelligatur, Güntherianam demonstrationem neque umbram demonstrationis prae se ferre. Sed gravius alterum est, quod de ea valet:

36. 2) *Demonstratio eadem ipsum dogma pervertit et in alienos sensus detorquet.* — Quod facile patet consideratis hinc figmentis Güntherianis, illinc doctrina catholica; scilicet: *Primo* secundum Güntherum Deus Pater producit Filium, ut ad intellectionem sui perveniat; quare generatio tamquam ratio cognitionis exhibetur; secundum doctrinam catholicam autem Deus Pater Verbum vel Filium coaequalem generat, quia se perfecte cognoscit; non igitur generatio cognitionis sed cognitio ratio generationis est. — *Secundo* in systemate Güntheriano substantia divina dicitur active producere vel generare necnon passive emanari vel produci; secundum fidem catholicam vero non substantia divina, sed personae divinae prima et altera producunt, nec non altera et tertia procedunt vel emanant i. e. divina substantia per realem communicationem in pluribus i. e. tribus personis subsistit. — *Tertio* in eodem illo systemate dicendum est et dicitur, etiam tertiam personam per intellectionem procedere; secundum doctrinam catholicam Filius quidem per intellectionem, Spiritus Sanctus autem per amorem procedit. — *Quarto* secundum Güntherum, cum tres personae divinae non eandem numero naturam sive substantiam habere dicantur, simul cum altera et tertia persona etiam ipsa natura vel substantia divina proprio sensu producitur; insuper Pater et Filius se evolvunt et perficiunt, ille per antithesin, hic per synthesin; denique cum Pater ponat antithesin et synthesin et Filius solam synthesin, Spiritus Sanctus autem nullam aliam personam, et cum eaedem tres personae non eandem numero naturam habeant, neque inter se intrinsecus aequales esse possunt; quod Günther expresse concedit, atque ad hanc inaequalitatem tollendam ad diversa vana effugia recurrit. Haec omnia iterum aperte pugnant cum doctrina catholica, utpote secundum quam

natura vel substantia divina nullo pacto producitur, neque personae divinae ullo modo se evolvunt vel perficiunt, neque ulla vel minima inaequalitatis differentia inter easdem personas esse possunt. — *Quinto* secundum doctrinam Güntherianam personae divinae, cum non habeant eandem numero naturam, neque eandem numero operationem habent; quare Pater et Filius non tamquam unum principium neque una emanatione activa producunt Spiritum Sanctum, sed tamquam duo principia et emanatione duplici; necnon creatio non tamquam communis tribus personis exhibetur, sed tamquam propria uni personae: atque ex hac creatione quam necessariam esse asserit, etiam illam personarum inaequalitatem compensari opinatur. Ex doctrina catholica autem Pater et Filius unica communi spiratione Spiritum Sanctum spirant adeoque non duo sed unum principium Spiritus Sancti dicuntur et sunt; necnon tres personae divinae unum idemque principium operationis ad extra sunt vel operatio ad extra omnis communis est tribus personis divinis; atque omnis operatio ad extra omnino libera est. — *Denique sexto* quod cum praecedentibus plerisque connexum et jam notatum est, sed maxime ponderari debet et radicem vel centrum illorum errorum constituit, ex mente Güntheri, unitas naturae divinae non est numerica realis: etenim substantia divina secundo et tertio ponitur vel duplicatur et triplicatur et tres substantiae sic constitutae sibi opponuntur et se ut distinctas cognoscunt. Quare unitas naturae divinae est tantum formalis et organica i. e. una est natura divina, quatenus tres illae substantiae numerice distinctae perfecte aequales sunt, altera a prima et tertia a prima et secunda procedunt nécnon omnes per conscientiam sui ad invicem se referunt ita, ut ex tribus conscientiis una absoluta conscientia componatur. Ita Günther de unitate divina. Ex adverso secundum doctrinam catholicam dogma fidei fundamentale est, naturam vel essentiam divinam esse unam in stricto sensu ita ut quaevis multiplicatio eidem metaphysice repugnet, hanc autem naturam unam esse realiter communem tribus personis divinis necnon cum natura divina etiam conscientiam divinam atque omnia, quae rationem absoluti habent. — Jam

ex omnibus, quae breviter notata sunt, manifestum est, Güntherum in pluribus et fundamentalibus doctrinae capitibus a catholica veritate graviter aberrasse.

37. *4. Demonstratio a Kuhn proposita.* — Cum Günther dogma SS. Trinitatis rationali demonstratione proprie demonstrare praesumeret, Kuhn contra semper illud tamquam fidei mysterium agnovit et professus est. Verumtamen eam ejusdem mysterii declarationem ex ratione derivare posse sibi visus est, quae, si quidem valeret, vera dogmatis demonstratio esset; quare etiam haec declaratio sive demonstratio admitti nequit. Est autem hujusmodi: Ab initio circa notionem personae duo ponit principia, ex quibus procedat: primum est, quod persona concipi nequeat absque ejusdem ad aliam personam oppositione (Die christl. Lehre von der göttlichen Dreieinigkeit § 36. S. 553); alterum vero, quod ratio formalis personae in spiritualitate posita sit (Ibid. § 37 p. 619). In quibus principiis hanc fundat argumentationem: Cum Deus rationem personae habeat, quatemus spiritus est, personalitas divina ex spiritualitate divina explicetur necesse est; essentia spiritus autem in intellectu et voluntate posita est. Quare Deus per operationes immanentes cogitandi et volendi tum se a semetipso distinguit tum in unitatem secum redit atque hac ratione Deus est in tribus personis divinis. Nimirum per operationem immanentem cogitandi distinctio fundatur personalis inter τό ego et τό non-ego, et per operationem immanentem volendi ulterior distinctio inter duo illa, scilicet τό ego et τό non-ego tamquam unum ego ex una parte et horum non-ego ex altera parte efficitur. Primo igitur Deus per operationem immanentem cogitandi se distinguit a se ipso tamquam Patrem a Filio et in hac distinctione ad unitatem essentiae redit, quatenus Pater in Filio et Filius in Patre propriam suam essentiam agnoscit. Qua in distinctione simul et unitate Deus est spiritus sui conscius. Deinde altera distinctio fundatur per operationem volendi, utpote quae operationem cogitandi supponit eamque immediate sequitur. Spiritus enim sui conscius esse nequit, quin simul continuo sit voluntas semetipsam determinans. Itaque Deus tamquam

Pater et Filius sive hoc ego in se operatione cogitandi distinctum operatione volendi se distinguit a se ipso tamquam a Spiritu, atque in hac distinctione, quae fundamentalem illam distinctionem in unitatem (personalem) vertit, secumipso in unitatem redit, quatenus scilicet Pater et Filius in Spiritu Sancto et hic in ipsis propriam essentiam sive seipsos cognoscunt. Atque hac demum personali distinctione sui ipsius et essentiae unitate Deus evadit vel est spiritus sui conscius et compos i. e. persona.[1])

[1]) „Persönlichkeit ist Gott, sofern er Geist ist; das Wesen, der Grund seiner Persönlichkeit muss also aus seinem Geistsein, aus dem Wesen des Geistes erkannt und erklärt werden. Das Wesen des Geistes ist Verstand und Wille. Denken und Wollen sind somit als die Wurzeln (origines), als die immanenten Tätigkeiten (Processionen) zu begreifen, in welchen und durch welche Gott sich von sich unterscheidet und in die Einheit mit sich zurücknimmt, persönlicher Gott in drei göttlichen Personen ist; und dies eben dadurch ist, dass die immanente Tätigkeit des Denkens einen persönlichen Unterschied wie zwischen Ich und Nicht-Ich, und die immanente Tätigkeit des Wollens den weiteren persönlichen Unterschied dieses Ich und Nicht-Ich als eines Ich von seinem Nicht-Ich begründet. Also zuerst durch die Tätigkeit des Denkens. Kraft dieser Tätigkeit als einer immanenten unterscheidet sich Gott von sich als Vater vom Sohne und fasst sich in diesem Unterschiede zur Einheit des Wesens zusammen, indem der Vater im Sohne, der Sohn im Vater das eigene Wesen erkennt. So in diesem Unterschiede und in dieser Einheit ist Gott selbstbewusster Geist. Sodann durch die des Wollens. Diese Tätigkeit setzt die des Denkens voraus und schliesst sich an sie unmittelbar an. Daher ist der Unterschied Gottes von sich, den sie vermittelt, nicht wie der erste einfache Grundunterschied zu denken, sondern als ein durch diesen vermittelter, bestimmter, wie hinwiederum jener erst in ihm zu seinem völligen Abschluss kommt. Denn es kann ja der Geist ein selbstbewusster nicht sein, ohne dass er sofort und zugleich sich selbst bestimmender Wille ist, wie er dieses nicht sein kann, ohne zuvor und zugleich jenes zu sein. So unterscheidet sich also Gott kraft des ihm als Geist wesentlichen und immanenten Wollens als Vater und Sohn, als dieses in sich differenzierte Ich, von sich als hl. Geist, dem anderen dieses Ich, und fasst sich in diesem Unterschiede, worin der Grundunterschied zur (persönlichen) Einheit aufgehoben ist mit sich zur Wesenseinheit zusammen, indem der Vater und Sohn im hl. Geiste und dieser in jenen das eigene Wesen, sich selbst erkennen. So in dieser persönlichen Selbstunterscheidung und Wesenseinheit ist oder wird (denn das göttliche Werden ist ein einiges Sein) Gott seiner selbst bewusster und seiner selbst mächtiger, d. h. persönlicher Geist.“ (§ 37. S. 619.)

Respondemus: Etiam hunc explicationis modum, quatenus differt a communi theologorum doctrina, omnino reiciendum esse rationibus certis constat: Et *primo* quidem falsum est primum principium, in quo tamquam in supposito argumentatio innititur, sc. personam cogitari non posse sine oppositione ad alteram personam ejusdem rationis realiter existentem. Etenim necesse quidem est, ut altera persona ab altera distinguatur eique opponatur, si altera existat, nequaquam autem ad rationem personae requiritur, ut alia persona existat cui opponatur. Adamus enim certe persona erat, priusquam ulla alia persona humana existebat.

39. *Secundo* posito hoc eodem principio vel fundamento manifesto consequitur, aut naturali ratione demonstrari posse esse in Deo pluralitatem personarum, aut vere deesse argumenta, quibus contra Pantheismum demonstretur, Deo competere rationem personae; quare Kuhn reipsa suis principiis innixus tum contra Pantheismum, Deum necessario trinum demonstrare esse, tum Monnarchianismum, qui scilicet unam tantum personam divinam agnoscat, argumentis rationis refutare praesumit. At vero neutra ex illis consequentiis admitti potest; admitti nequit prima, quia, quamvis Deus necessario trinus sit, haec tamen veritas fidei mysterium est, quae neque ex conceptu personae neque aliunde philosophice demonstrari potest; admitti nequit altera, quia Deo rationem personae convenire eumque a mundo distingui certissimis argumentis demonstramus.

40. *Tertio* alterum quoque principium a Kuhn positum ambiguum est et, prout ab ipso adhibetur, etiam falsum. Etenim persona essentialiter quidem dicit naturam spiritualem atque hac spiritualitate ab hypostasi irrationali differt, verum ipsa ratio formalis personalitatis vel subsistentiae continetur in perfecta substantialitate vel in illa totalitate, qua est in se et sibi vel sui juris. Quare ex spiritualitate nihil inferri potest circa personarum distinctionem vel pluralitatem.

41. *Quarto* tandem in illa demonstratione vel explicatione Deus demum producto Spiritu perfecta et absoluta persona esse videtur, cujus velut momenta evolutionis sint tres per-

sonae relativae. Atqui hoc quoque cum catholica dogmatis conceptione parum consonat, utpote quae nullam evolutionis umbram in divinitate admittit atque quamvis personam divinam in ipsa ratione personae perfectam ponit. Ergo etiam ex hac parte illa explicatio graviter deficit.

Quinto denique Kuhn quoque nonnunquam ita loquitur, **42.** acsi personalitas in actuali conscientia atque in autonomia actuali voluntatis reponenda sit. Quodsi reipsa sentit ac dicere vult, plura ex iis argumentis etiam contra ipsum valent, quibus supra demonstratio Güntheriana rejecta est.

5. Declaratio dogmatis a Schell conficta. — **43.** Ultimo loco consideranda venit declaratio vel demonstratio dogmatis, quam Schell ex conceptu *positivae aseitatis,* ut loquitur, derivavit; de qua jam dictum est in tractatu de Deo uno (th. 15. n. 30.). Haec scilicet positiva aseitas, qua Deus dicitur esse causa sui efficiens, semetipsum actuare vel causare, sicut aliorum plurium problematum theologicorum veram solutionem praebere exhibetur, ita etiam tamquam clavis venditatur et praedicatur, qua sola demum via ad rectam mysterii SS. Trinitatis intelligentiam aperiatur. Quare ista illius theologi theoria penitus praetermitti nequit, sed paulo accuratius inspicienda est.

1) Theoria Schelliana exponitur. — Tota declaratio **44.** vel theoria ad haec capita revocatur:

Primo ad thesis instar ponit hanc sententiam: Actus et processiones, quibus Trinitas constituitur, nihil sunt nisi efficientia unius Dei per seipsum secundum essentiam et existentiam, cognitionem et voluntatem. Trinitas et aseitas ut unum idemque considerandae sunt; Trinitas nonnisi forma est, per quam Deus absolute est ex seipso et per seipsum; Trinitas est aseitas Dei vivi, prout explicata est per revelationem.[1])

---

[1]) Die trinitarischen Akte und Hervorgänge sind die Selbstbegründung des einen Gottes in Wesen und Dasein, Erkenntnis und Willen. Trinität und Aseität sind in eins zu setzen; die Dreieinigkeit ist die Form des absoluten Aus- und durch- sich- selber- seins; die Trinität ist die von der Offenbarung erklärte Aseität des lebendigen Gottes. (Dogmatik 2. t. p. 21.)

45. *Secundo:* summa declarationum vel deductionum, quod thesis ista stabilitur, his continetur: Cum Deus spiritus sit, spiritus autem duabus viribus fundamentalibus gaudeat, cognitione scilicet et volitione, Deus semetipsum producit per cognitionem et volitionem; et quidem per absolutam cognitionem producitur et generatur Verbum, per volitionem vero Spiritus Sanctus (l. c. p. 23. 66.). Haec autem duplex processio respondet distinctioni, quae etiam in divinitate viget inter essentiam et existentiam, inter ordinem idealem et realem; scilicet processio per intellectum spectat essentiam et ordinem idealem, processio per voluntatem existentiam et ordinem realem. Illa ratione prior est quam haec, verum per se in ordine ideali sistit et ad terminum idealem terminatur; haec autem per se realis est atque cum ea et per eam etiam prior realis redditur et ordinem existentiae ingreditur; ideale enim reale non evadit nisi per voluntatem. (L. c. p. 27. 28.)

46. *Tertio* his positis jam paulo accuratius consideranda est utraque processio et quidem primo ea Filii: Itaque essentia Dei est aseitas, qua ens absolutum semetipsum causat. Quatenus igitur hoc ens actus cognitionis est et logica sui ipsius causa, immanentem rationem dicit generationis Verbi, atque oppositionis inter Patrem et Filium vel veritatem dicentem et veritatem dictam. Oppositio enim et existentia Patris et Filii resultat ex efficientia, qua Deus semetipsum actuat in perfectione infinita propter logicam necessitatem et veritatem internam existentiae suae aeternae. Deus Pater igitur est veritas causans, vel intelligere quod apparenter esse tamquam ratio ejusdem praecedit; Deus Filius vero est veritas causata atque existentia divina, quae ex interna necessitate procedit et generatur. Veritas existentiam Dei causat atque est ipsa Dei essentia; quatenus vero existentiam Dei causat, eatenus in Patre subsistit per ipsam hanc generationem; quatenus autem existentia Dei per logicam veritatem et necessitatem essentiae suae causatur, eatenus subsistit tamquam Filius, qui cum plena hujus necessitatis perspicientia a Patre procedit (cf. l. c. p. 31. 32.). Ita de processione Verbi vel Filii.

Quarto processio Spiritus Sancti sic declaratur: Logica entis infiniti efficientia sui ipsius completur et absolvitur in ethica sui ipsius efficientia. Cognitio enim potentiam et actum voluntatis postulat tamquam realem conditionem praerequisitam ad actuationem sui ipsius; voluntas vero cognitionem intrinsecus supponit. Cognitio sine voluntate absolvi nequit, quia per voluntatem tamquam realem suam conditionem virtus et actus evadit; voluntatis autem conditio idealis in cognitione continetur, utpote quae est obiectum atque ratio illius. — Voluntas itaque virtus est, quae ideale reddit reale; quae virtus, si in veritatem tamquam obiectum et rationem suam terminatur, sanctitas est. Quare metaphysica necessitas existentiae Dei in se formalis jam apparet tamquam sanctus voluntatis actus, utpote ethica necessitate et virtute infinita insignitus. Veritas idealis, quae relate ad conscientiam intellectualem dicit necessitatem logicam, relate ad voluntatem evadit ethica necessitas. Quare existentia Dei considerari debet tamquam effectus actus voluntatis, qui infinita virtute, interna veritate, sancta necessitate insignitus est. In quantum Deus tamquam sancta necessitas concipitur existentiam suam causans, tamquam actus voluntatis aeternus eandem cum perfecta sanctitate utpote cum autocratia producens, in tantum principium spirationis est. Essentia ejusdem infinite perfecta utpote ethica necessitas et sancta voluntatis potentia est principium quo eiusdem productionis. In quantum Deus per hanc sanctam necessitatem atque bonam voluntatis actionem fundatur in existentia, est Deus Spiritus Sanctus.[1] 47.

[1]) Quod hic expositum est, scilicet primam processionem per se esse tantum in ordine ideali nec realem esse vel versari in ordine existentiae nisi per secundam, a Schell iterum iterumque inculcatur. Speciminis causa haec sint, quae sequuntur: Erst in dieser (der 2.) Produktion ist das Wesen und die Dreipersönlichkeit Gottes in aktueller Vollendung gedacht; auch die erste Produktion, welche an sich in der idealen Erkenntnissphäre stattfindet, ist eine reale Produktion kraft ihrer notwendigen Beziehung zu dem von ihr innerlich begründeten Hervorgang im göttlichen Willen. Dass dem so ist, dass die beiden ersten Personen nicht als reale Zweipersönlichkeit für sich denkbar sind, wenn nicht die Spiration des hl. Geistes infolge der ewigen Willensbetätigung aus ihr

48. *Quinto* denique his omnibus positis Schell ulterius progreditur ad divinas relationes atque personalitates ex eodem conceptu aseitatis explicandas. Sed haec praetermitti possunt, utpote quae quidquam essentialiter novum non continent. — Verum iam sine ambagibus apertum simul et aequum de his iudicium ferendum est. Itaque:

49. *2) Haec theoria Schelliana multipliciter absurda est atque ipsum dogma pervertit et tollit.* — Quod ex pluribus rationibus facile patet:

Et *primo* quidem ipse ille conceptus aseitatis divinae internam repugnantiam includit atque absonus est. Etenim imprimis Deus, ut tum revelatio tum ratio docet, actus purissimus est et ideo omnem actuationem sive transitum de potentia in actum sive per seipsum sive per aliam causam effectum prorsus excludit. Deinde generatim repugnat, quominus quidquam sit causa efficiens sui ipsius quoad ipsam suam exi-

---

hervorginge, ist eine Bestätigung für die Richtigkeit dieser Auffassung.., Wie die Erkenntnis dem Willem seinen idealen Inhalt und Grund gibt, so empfängt sie von ihm die reale Tatkraft, Energie und Wirklichkeit, auch für ihre eigene Betätigung; denn alle Betätigung des Geistes, auch die Erkenntnis, ist Willenstätigkeit, insofern sie Tätigkeit und Energie ist, wie sie andererseits immer Erkenntnistätigkeit ist, insofern sie einen idealen Grund und Inhalt hat. (L. c. p. 34.)

Aus alle dem ergibt sich, dass die Realität des ersten Lebensprozesses in Gott erst dadurch begrifflich gegeben ist, dass er nicht blos als Gegensatz der idealen Erkenntnissphäre, sondern zugleich als energische Willensmacht, als vollbringende und festhaltende Kraft der Wahrheit , d. i. als Spirator erkannt wird. Erkenntnis, welche nicht zugleich Willenskraft ist, ist keine lebendige Geistestat, sondern abstrakt, ideal, unwirklich; die lebendige konkrete Erkenntnis ist eben als Geistestat und Lebensvollzug wesentlich Willensmacht, Verwirklichung der Wahrheit und geistigen Vollkommenheit. Sowohl der die Wahrheit aussprechende Gedanke, als der Gedanke, in dem die Wahrheit ausgesprochen wird, sind reale Erkenntnistat nur vermöge der innewohnenden Willenskraft und Liebesmacht, mit welcher sie die Wahrheit sprechend und gesprochen umfassen und verwirklichen. Vater und Sohn sind ewige Realität, nicht blos logische Idealität als willenskräftige Geistesmacht, als Spiration und Prinzip des hl. Geistes . . . Aus der Willensmacht, mit welcher Vater und Sohn die sprechende und ausgesprochene Wahrheit und ideale Notwendigkeit tatkräftig sind, geht der hl. Geist hervor. (Ibid.)

stentiam, cum pro eodem momento simul existere et non existere deberet; quod profecto absurdum est et ipsum contradictionis principium tollit. Sed haec iam accuratius explicata et demonstrata sunt in tractatu de Deo uno (l. c.) Haec autem evidentia principia, scilicet contradictionis et causalitatis etiam quoad mysterium SS. Trinitatis servanda sunt, utpote quod profecto repugnantiarum receptaculum non est.

Secundo revera ille conceptus positivae aseitatis prorsus **50.**
pugnat cum dogmate Trinitatis catholice intellecto. Etenim in propositione illa: ***Deus est causa sui*** terminus ***Deus*** aut pro essentia divina aut pro persona aliqua divina supponit; atqui neutrum vere dici potest; ergo propositio ipsa cum dogmate pugnat. Minor manifeste probatur. Etenim non potest dici terminum ***Deus*** supponere pro essentia divina, cum sensus foret: essentia est causa sui, prout essentia est, aut vero essentia divina est causa alicuius personae v. g. Filii; iamvero essentia divina sane non est causa essentiae divinae neque si esset hac ratione persona prodiret. Neque vero essentia est causa personae alicuius divinae, quod inculcat Concilium Lateranense: „Illa res (essentia divina) non est generans, neque genita nec procedens, sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit;“ idem patet etiam ex certissimo axiomate: omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Sed neque pro persona terminus Deus supponere potest; etenim in hac suppositione sensus esset: Aliqua persona divina v. g. Pater causa sui est; id autem manifesto falsum est, cum Pater non sui sed Filii et cum Filio Spiritus Sancti causa vel potius principium sit. Denique neque pro tribus personis simul sumptis terminus ***Deus*** supponere potest, quia sensus foret: tres personae divinae sunt causae sui; hoc enim posito altera persona iam non esset ab alia, altera alteri non esset opposita neque igitur ab ea distincta; qua ratione ipsa Trinitas tolleretur. Itaque assertio, Deum esse causam sui, nullo sensu cum Trinitate componitur, sed eam penitus pervertit atque tollit. Schell vero hoc vel illo sensu eam pro-

miscue enuntiat, imo ea ratione eam adhibet et declarat, qua adhuc magis absurda redditur: scilicet per actum sanctum voluntatis divinae redditur reale et existens, quidquid in Deo est reale et existens; nimirum essentia divina, generatio divina atque eiusdem terminus uterque, Pater et Filius, et sane etiam Spiritus Sanctus. Quomodo enim actus absolutus voluntatis concipi possit realis et efficax, quin simul essentia absoluta et realis et existens sit? Sed mitto haec et similia absurda. Aliud his iam implicitum considerandum venit:

51 *Tertio* scilicet theoria illa Schelliana ipsae processiones divinae pervertuntur et tolluntur. Etenim in hac theoria iterum iterumque ponitur, processionem per intellectum in se et per se versari in ordine idali non in ordine existentiae, esse igitur mere idealem non realem; ergo una tantum asseritur realis processio, cum secundum dogma catholicum duplex sit. Neque quidquam iuvat dicere, priorem processionem realem et existentem reddi per alteram in se realem, quae est per voluntatem; etenim tunc actus voluntatis vel amor sanctus veritatis, ut Schell loquitur, duplicem vel triplicem effectum sive terminum immanentem haberet: primo realem redderet primam processionem, i. e. intellectualem atque Patrem et Filium in ordine existentiae poneret, secundo produceret Spiritum Sanctum. Sed cur haec processio per voluntatem adhuc aliud efficiat in ordine reali praeter illud, quod per processionem intellectualem iam prodierat in ordine ideali? Et qua ratione una actio immanens habeat duos vel tres terminos realiter distinctos, concipi nequit. Ceterum eadem assertione alia nova absurda statuuntur. Si enim Verbum ut est terminus processionis intellectualis non est reale, quomodo potest esse principium reale realis spirationis? Et ulterius si iam per absurdum tamquam principium spirationis sit reale, tunc ut principium spirationis semetipsum redderet reale ut est terminus processionis intellectualis; Verbum igitur a Verbo esset! Similiter autem dicendum est de persona Patris. Scilicet cum etiam ipse ante spirationem non sit nisi in ordine ideali, quommodo potest esse principium reale realis spirationis? Et nonne etiam ipse ut est principium spiratio-

nis seipsum existentem redderet ut est principium processionis intellectualis? Igitur etiam Pater a Patre esset. Quis non videat hac ratione absurda multiplicari et omnia susque deque verti? Sed de his iam satis.

Quarto plura adhuc ex theoria Schelliana notari possent, 52.
v. g.: quod Pater demum per generationem Verbi sapientiam acquirere dici videtur; quod deinde relationes ita exaggerando vel falso concipiendo formaliter inseparabiles exhibentur, ut relativum secum habere videatur correlativum ad omnem suam functionem, qua ratione cum Filio etiam Pater et Spiritus Sanctus necessario incarnati esse dicendi forent; necnon alia, quae cum catholico dogmatis intellectu manifesto pugnant. Verum his missis unum in fine expressius notandum et considerandum restat, propter quod tota haec theoria Schelliana hoc loco adducta et examinata est. Nimirum Schell quidem alicubi aperte fatetur, dogma SS. Trinitatis mysterium absolutum esse et ex sola ratione demonstrari non posse; attamen in theoria examinata ita procedit, ut tota expositio speciem demonstrationis mere philosophicae omnino prae se ferat. Etenim fundamentum theoriae, aseitas illa positiva, sane ex sola ratione probatur; ex hac autem aseitate considerata duplici spiritus facultate necnon distinctione inter ordinem idealem et realem Trinitas personarum divinarum deducitur. Revera Schell aseitatem illam suam positivam ita connectit vel potius convertit cum personarum divinarum trinitate, ut inter hanc et illam nexus logicus appareat prorsus necessarius. Quare in hac theoria sicuti aseitas illa positiva ita etiam Trinitas probari dicenda est. Itaque etiam sub hoc respectu theoria Schelliana cum doctrina catholica pugnat. Sed etiam hoc demonstrationis tentamen non tantum inefficax mansit et infeliciter cessit, sed tot et tam gravia in eodem cumulantur absurda, ut merito mireris, quod ejusmodi theoria potuerit a theologo catholico confingi, immo vero tamquam magnus scientiae theologicae progressus venditari et praedicari. Hac igitur imprimis theoria spectata illud valet: „*Qui scrutator est majestatis opprimetur a gloria.*“ Prov. 25, 27.).

Corollaria.

53. ***1. Revelatione supposita ratio naturalis perfectiorem aliquam mysterii SS. Trinitatis cognitionem assequi potest.*** — Cum in corpore thesis explicatum sit, quid ratio naturalis non valeat circa dogma SS. Trinitatis, declarandum restat, quid eadem circa idem dogma valeat. De hac re quidem jam satis constat ex toto tractatu modo ut ita dicam exercito atque etiam incidenter diversis locis in hoc tractatu (v. g. thes. 14. n. 31. ss.) necnon in tractatu de vera religione (l. c.) expresse dictum est; sed operae pretium est, omnia quae huc spectant uno conspectu exhibere. Itaque:

54. *1) Ratio dogma secundum sensum suum verum concipere eique assensu inhaerere potest.* — Atque haec quidem assertio *primo* prorsus manifesta est ex revelatione ejusdem sive revelationis notionem sive ejus scopum consideras. Revelatio enim dicit manifestationem occultae veritatis divinitus factam atque in eum scopum impertitur, ut propositam veritatem mente concipiamus eamque assensu firmissimo amplectamur. Itaque revelationis interna ratio non subsisteret neque scopus ejus obtineretur, si ratio dogma SS. Trinitatis non posset recte concipere vel assensu suo non amplecti; verum in hoc casu propositio dogmatis per revelationem nihil aliud esset nisi merus lusus vocabulorum sonantium, nihil vero nobis significantium, quod profecto absurdum et impium est cogitare. Ergo. Huc spectat illud *Augustini*: „Etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus“ (Ep. 120. n. 3.).

55. Idem *secundo* ipsa conscientia testatur. Profecto enim unusquisque sibi conscius est, se confitentem Trinitatem non vacuis vocabulis nihil significantibus vel meris vocabulorum phantasmatibus ludere, sed ideas concipere easque judicando componere, etsi internam convenientiam inter notiones subjecti et praedicati non perspiciamus; haec enim interna perspicientia eminenter suppletur per infinitam auctoritatem veritatis primae. Nimirum cum radius divinae revelationis, ut jam supra dictum est, ad nos perveniat secundum modum

nostrum, per eam non novi conceptus nobis infunduntur, sed nova iudicia communicantur. Etenim sub hoc respectu revelatio divina se eadem ratione habet ac revelatio vel communicatio alicujus veritatis occultae per testimonium humanum. Nimirum utraque connectitur cum rationibus mentis nostrae jam praehabitis et cum veritatibus praecognitis atque iisdem notionibus et notitiis objective naturalibus utitur ad novas cognitiones communicandas; in utroque etiam casu interna perspicientia per auctoritatem loquentis suppletur. Itaque in re praesenti, dum per revelationem edocemur, unam naturam divinam subsistere in tribus distinctis personis: Patre, Filio, Spiritu Sancto, qui et singuli et tres simul unus Deus sint; in mente nostra omnes hae notiones multiplices, sc. Dei, naturae, personae, subsistentiae, unius et trini, Patris, Filii, Spiritus, sancti, praesupponuntur non infunduntur, et ope illarum novum nobis judicium adeoque nova cognitio communicatur; et differentia non est a naturali cognitione nisi quod in hac plene perspicitur vel perspici potest, an praedicatum subjecto conveniat, in illa autem idem perspici non potest. Ceterum actualis haec perspicientia interni nexus non requiritur ad veram cognitionem, cum etiam in assensu testimonio humano praestito deesse possit et saepe desit. Itaque ex his omnibus manifesta est assertio posita, scilicet rationem humanam dogma SS. Trinitatis secundum verum sensum concipere et assensu amplecti posse.

Verum in hac cognitione per solam fidem non sistit 56.
humana ratio, sed ulterius progreditur. — Etenim ut declarat *Concilium Vaticanum* „fide illustrata, cum sedulo pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit analogia, tum e mysteriorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; numquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius objectum constituunt.“ (Sess. 3. c. 4.) Quae scilicet non minus de SS. Trinitate quam de aliis mysteriis valent. Haec autem aliquatenus perfectior et profundior SS. Trinitatis intelligentia partim differt a perfectiore naturali Dei cogni-

tione partim cum ea convenit. Et differt quidem, quia in naturali cognitione ratio suis viribus cognoscit veritatem divinam tum quoad existentiam suam tum etiam regulariter quoad essentiam suam eatenus, quatenus simul etiam nexum internum necessarium inter subjectum et praedicatum vel internam veritatis rationem perspicit; in Trinitatis autem cognitione rationi utrumque exhibetur per revelationem, quatenus per eam tum existentia veritatis proponitur tum etiam saltem aliquatenus interna ejusdem ratio panditur secundum analogias ex perfectionibus creatis derivatas. Conveniunt autem, quatenus his positis tamquam fundamentis ratio ulterius fere eodem passu vel eodem modo progreditur ad perfectiorem et profundiorem cognitionem acquirendam per analysin notionum, per deductiones, per comparationes et similia. — Quae cum ita sint, manifesto intelligitur, quam merito SS. Patres et magni ecclesiae Doctores sanctum et certissimum habuerint in theologia mysteriorum et praesertim SS. Trinitatis principium: *Nisi credideritis, non intelligetis.* (Is. 7. 9. sec. LXX vers.). Scilicet theologica mysteriorum nominatim SS. Trinitatis inquisitio tota quanta in fide inniti atque ex ea procedere debet; quod si observatur, ejusmodi inquisitio maximam commendationem et laudem meretur. Apposite S. *Augustinus* ad Consentium explicationem SS. Trinitatis rogantem: „Si rationem a me vel a quolibet doctore non irrationabiliter flagitas, ut quod credis intelligas, corrige definitionem tuam, non ut fidem respuas sed ut ea, quae fidei firmitate jam tenes, etiam rationis luce conspicias. Absit namque ut hoc in nobis Deus oderit, in quo nos reliquis animantibus excellentiores creavit. Absit, inquam, ut ideo credamus, ne rationem accipiamus sive quaeramus, cum etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus. Ut ergo in quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione nondum percipere valemus sed aliquando valebimus, fides praecedat rationem, qua cor mundetur, ut magnae rationis capiat et perferat lucem, hoc utique rationis est. Et ideo rationabiliter dictum est per prophetam: *nisi credideritis, non intelligetis.* Ubi procul dubio discrevit haec duo,

deditque consilium, quo primo credamus, ut id quod credimus, intelligere valeamus. Proinde ut fides praecedat rationem, rationabiliter visum est ... Si jam fidelis rationem poscat, ut quod credit intelligat, capacitas ejus intuenda est, ut secundum eam ratione reddita sumat fidei suae, quantum potest, intelligentiam; majorem, si plus capit. minorem si minus, dum tamen quousque ad plenitudinem cognitionis perfectionemque perveniat, ab itinere fidei non recedat" (Ep. 120. n. 2. 4.). — Eadem via quoad theologicam mysteriorum explicationem incesserunt magni doctores scholastici Anselmus, Petrus Lombardus, Alexander Halensis, Albertus M., Thomas Aqu., Bonaventura; atque ceteri quoque deinceps theologi scholastici iisdem principiis theoretice et practice inhaeserunt; imo in hac dogmatum ex fide per rationes procedente inquisitione intellectus propria ratio theologiae speculativae invenitur. Praeclare haec principia expressit parens theologiae scholasticae *S. Anselmus* imprimis prae oculis habens ipsum mysterium SS. Trinitatis: „Nam Christianus per fidem debet ad intellectum proficere, non per intellectum ad fidem accedere, aut si intelligere non valet, a fide recedere. Sed cum ad intellectum valet pertingere delectatur; cum vero nequit, quod capere non potest, veneratur." (Ep. 41. ad Fulconem Episcop. Belovac.). Et alibi: „Non tento, Domine, penetrare altitudinem tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum; sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit et amat cor meum. Neque enim quaero intelligere ut credam, sed credo, ut intelligam. Nam et hoc credo, quia nisi credidero non intelligam." (Proslog. c. 1.). Atque iterum alibi: „Quibus sacra pagina nos ad investigandam rationem invitat, ubi dicit: *Nisi credideritis non intelligetis.* Aperte nos monet intentionem ad intellectum extendere, cum docet qualiter ad illum debeamus proficere. Denique quoniam inter fidem et speciem (visionem beatificam) intellectum, quem in hac vita capimus, esse medium intelligo, quanto aliquis ad illum proficit, tanto eum propinquare speciei, ad quam omnes anhelamus, existimo." (De fide Trinit. praefat.). Sed his

praemissis jam paucis videndum est, quibus modis diversis ratio fide illustrata ad penitiorem quandam Trinitatis intelligentiam pervenire possit. Itaque:

57. 2) *Ratio fide illustrata ea, quae revelatio de SS. Trinitate proponit, ad modum scientiae excolere et systematice redigere potest.* — Etenim cum id generatim theologiae speculativae munus sit praecipuum, idem sane etiam circa mysteria atque ipsam SS. Trinitatem exerceri potest atque etiam debet. Itaque, quae notiones et judicia SS. Trinitatem spectantia in revelatione proponuntur, a ratione analysi subjici, cum invicem comparari, cum aliis veritatibus sive rationalibus sive superrationalibus conferri, conclusionibus deductis evolvi possunt. Qua ratione, si v. g. in terminos Verbi, Filii, Unigeniti, Spiritus, Amoris, Doni inquiratur, amplissimam segetem veritatum theologicarum praebent, quibus mysterium luce quadam non spernenda aspergitur atque perfectius cognoscitur. Exemplo sit haec *S. Basilii* in terminum Verbi inquisitio vel commentatio: „Cum de Unigenito loqueretur, Verbum ipsum dixit ... Cur Verbum? Ut perspicuum sit, ipsum processisse ex mente. Cur Verbum? Quia citra passionem genitum est. Cur Verbum? Quia imago est Genitoris, totum in se ipso genitorem ostendens, nihil inde separans, et per se ipsum perfectum existens; quemodmodum et verbum nostrum totius nostrae cogitationis refert imaginem ... Verbum igitur dixit, ut tibi ostendat Patris generationem passioni non subjici, teque doceat Filii, qui videlicet Deus est, perfectam existentiam et ut aeternam Filii cum Patre conjunctionem per haec commonstret. Nam et verbum nostrum mentis foetus citra passionem generatur; neque enim secatur neque dividitur neque fluit, sed mens tota in sua propria substantia permanens, verbum totum et perfectum producit; atque verbum procedens omnem mentis generantis virtutem in se complectitur. Postquam igitur tantum ad unigeniti theologiam ex nomine Verbi desumpseris, quantum pium fuerit, tum quidquid alienum esse ac dissentaneum repereris, id devita et omni studio praetergredere." (Homil. in illud: *In principio erat.*). Alia ejusmodi exem-

pla theologicae veritatum revelatarum explicationis vel evolutionis ex Patribus vel Doctoribus ecclesiae deprompta sat multa sparsim exstant in praecedentibus thesibus. Imo ipse tractatus scholasticus de SS. Trinitate assertionis hujus secundae documentum manifestum est, utpote in quo veritates revelatae ratione, qua dictum est, explicantur, cum invicem logice connectuntur, in systema rediguntur. Maxime autem illud ponderetur, quod jam supra (Thesis 14. n. 35. p. 5. ss.) notatum est et explicatum: Nimirum processiones divinae per intellectum et voluntatem ad instar radicis sunt omnium aliarum veritatum, quae ad Trinitatem spectant; si itaque hoc ipsum, quod naturali rationi quidem impervium est, ex revelatione constat, scilicet in Deo esse immanentem processionem tum per intellectionem tum per amorem, jam cetera fere omnia non tantum probabiliter, sed certo logice consequuntur. Quod adeo verum est, ut praeter tractatum de Deo uno, in quo ad instar radicis veritatum est aseitas, nullus alius tractatus theologicus exstet, in quo omnia ita logice se excipiant atque cum invicem connectantur, ac in praesenti tractatu de SS. Trinitate; quod facile perspicit, quicunque rem serio consideraverit. Revera tractatus de SS. Trinitate in pulchrum et mirabile systema excrevit, ex quo in totum doctrinae christianae organismum lux inexspectata atque suavissima respergitur.

3) Ratio fide illustrata cognitionem Trinitatis etiam ex 58.
collatione ejusdem cum aliis mysteriis superrationalibus et cum fine hominis ultimo perficere potest. — Etenim huc spectat, quod jam notatum est *in tractatu de vera religione* (Thes. 15. n. 37.), scilicet: „mysteria religionis christianae non esse tantum singulares quasdam disparatas veritates; verum mirabile systema constituunt, sublimem ordinem, mundum supernaturalem atque coelestem. Miro enim modo cum invicem connectuntur, ita ut unum fere ex altero consequatur vel saltem illustretur. Mysterium SS. Trinitatis tamquam fons et exemplar quodammodo ceterorum apparet; sicut enim in mysterio illo communicatio naturae divinae ab una persona ad aliam habetur, ita etiam aliquo quamvis diverso modo

in Incarnatione, in Filiatione doptiva communicatio quaedam divinae naturae invenitur. Verum SS. Trinitas finis quoque quodammodo ceterorum mysteriorum est; ad hoc enim Incarnatio, gratia, gloria tendunt, ut vita divina, quae intra ipsum Deum in tres personas se explicat, creaturis quantum fieri potest, in participationem communicetur.“ Jamvero his cum aliis mysteriis relationibus perspectis ipsam cognitionem dogmatis SS. Trinitatis multum perfici posse, per se manifestum est. Cf. etiam *Tractat. de vera religione* thes. 38. n. 5. ss.

59. *4) Ratio fide instructa dogma SS. Trinitatis analogiis quibusdam ex creatione derivatis magis intelligere et illustrare potest.* — Innumerae fere sunt analogiae vel similitudines, quibus mysterium SS. Trinitatis illustrari potest et a SS. Patribus praesertim illustratum est. Omnes autem ejusmodi analogiae duplicem classem constituunt: pleraeque sunt ad modum vestigii, ad modum imaginis una vel duae. Rationem utriusque classis et differentiam inter easdem ita explicat *S. Thomas:* „Omnis effectus aliqualiter repraesentat suam causam, sed diversimode. Nam aliquis effectus repraesentat solum causalitatem causae, non autem formam ejus, sicut fumus repraesentat ignem et talis repraesentatio dicitur esse repraesentatio vestigii; vestigium autem demonstrat motum alicujus transeuntis, sed non qualis sit. Aliquis autem effectus repraesentat causam quantum ad similitudinem formae ejus, sicut ignis generatus ignem generantem; et statua Mercurii Mercurium et haec est repraesentatio imaginis.“ (S. th. 1. p. q. 45. a. 7.) Et alibi rationem imaginis adhuc accuratius definit: „Imago aliquid addit supra rationem similitudinis, scilicet quod sit ex alio expressa. Imago enim dicitur ex eo, quod agitur ad imationem alterius; unde ovum quantumcunque sit alteri ovo simile et aequale, quia tamen non est expressum ex illo, non dicitur imago ejus; aequalitas autem non est de ratione imaginis ... Est tamen de ratione perfectae imaginis; nam in perfecta imagine non deest aliquid imagini, quod insit illi, de quo expressa est.“ (Ibid. q. 93. a. 1.) Et iterum adhuc accuratius rationem imaginis determinat: „Requiritur ad rationem imaginis quod

sit similitudo secundum speciem, sicut imago regis est in filio suo; vel ad minus secundum aliquod accidens proprium speciei, et praecipue secundum figuram, sicut hominis imago dicitur esse in cupro.“ (Ibid. a. 2.) Denique differentiam inter vestigium et imaginem denuo urgens notat: „Imago enim repraesentat secundum similitudinem speciei; vestigium autem repraesentat per modum effectus, qui sic repraesentat suam causam, quod tamen ad speciei similitudinem non attingat.“ (Ibid. a. 6.) Quibus de ratione vestigii et imaginis notatis, jam concretae ejusmodi analogiae exhibendae sunt et facile intelliguntur. Itaque:

a) Vestigia Trinitatis a Patribus et theologis exhibentur 60.
varia et diversa, scilicet alia quae in omni creatura inveniuntur, alia quae singularibus creaturis propria sunt, atque iterum alia quae magis unitatem in Trinitate spectant et alia quae ad processiones magis referuntur. Ita v. g. *S. Thomas* plura enumerat et declarat, quae in omnibus creaturis inveniuntur et magis unitatem in Trinitate spectant: „Quaelibet creatura subsistit in suo esse, et habet formam, per quam determinatur ad speciem, et habet ordinem ad aliquid aliud. Secundum igitur, quod est quaedam substantia creata, repraesentat causam et principium; et sic demonstrat personam Patris, qui est principium non de principio. Secundum autem quod habet quandam formam et speciem, repraesentat Verbum, secundum quod forma artificiati est ex conceptione artificis. Secundum autem quod habet ordinem, repraesentat Spiritum Sanctum, in quantum est amor, quia ordo effectus ad aliquid alterum est ex voluntate creantis. Et ideo dicit Augustinus, in 6. lib. de Trinit. c. 10. circ. fin., quod vestigium Trinitatis invenitur in unaquaque creatura, secundum quod unum aliquod est, et secundum quod aliqua specie formatur, et secundum quod quendam ordinem tenet. Et ad haec etiam reducuntur illa tria: *numerus, pondus et mensura,* quae ponuntur Sap. 11. Nam mensura refertur ad substantiam rei limitatam suis principiis, numerus ad speciem, pondus ad ordinem. Et ad haec tria reducuntur alia tria, quae ponit Augustinus in libr. de natura boni cap. 3.: *Modus,*

species et ordo; et ea quae ponit in libr. 83 QQ. q. 18. in princip.: *quo constat, quo discernitur, quo congruit.* Constat enim aliquid per suam substantiam, discernitur per formam congruit per ordinem. Et in idem facile reduci possunt, quaecunque sic dicuntur" (L. c. q. 45. a. 7.).

61. Quibus vestigiis ab aliis alia adduntur, quae sive in omnibus creaturis inveniuntur, sive aliquibus propria sunt, verum item magis unitatem in Trinitate spectant v. g.: quod creaturae in triplici ordine inveniuntur, quatenus sunt vel mere spirituales vel mere corporales vel mixtae i. e. corporales simul et spirituales; quod omne ens est unum, verum bonum; quod omne corpus trinam dimensionem habet; quod in tempore tria stadia discernuntur: praeteritum, praesens, futurum; quod omnis operatio corporalis brachio manu digito perficitur (Cyrillus Alex., Thes. assert. 34.); quod iris una variorum colorum est et similia. De analogia proxime allata ita *Basilius,* postquam iridem pulchre descripsit: „Quemadmodum igitur in proposito exemplo et colorum discrimina aperte dignoscimus et divisionem alterius ab altero non possumus sensu apprehendere; sic mihi cogita de rebus divinis rationem iniri posse: hypostaseo quidem proprietates, veluti quendam florem eorum, quae in iride apparent, micare et relucere in unaquaque earum personarum, quae in SS. Trinitate creduntur, et proprietatis secundum naturam nullum omnino discrimen, quo alter ab altero secernatur, excogitari, sed in communitate essentiae proprietates, ex quibus unaquaeque persona dignoscitur in unaquaque resplendere. Nam et heic in exemplo una est essentia per solares radios refracta, ex qua multicolor ille splendor effulget; flos autem, qui apparet multipex est" (ep. 38.).

62. Alia simul cum unitate in Trinitate etiam origines vel processiones respiciunt, ut v. g.: *Victorinus Afer* ita canit: „Fons, flumen, irrigatio, o beata Trinitas! Semen, arbor, fructus, o beata Trinitas." (Hymn. 3. de Trinit.). Alii tamquam ejusmodi vestigium adducunt, quod unus sol splendorem et calorem profundit et alia similia. Audiatur de hac ultima analogia v. g. *Cassiodorus,* qui tria dicit in hac re

distinguenda esse: „Speciem ignis, splendorem et calorem. Splendor ab igne nascitur, calor ab igne et splendore generatur. Splendor est de igne et tamen sunt coaeva. Sic tria in sole occurrunt: ipsa solis substantia, radius et lumen et tamen in his tribus est eadem lux; ut radius de sole nascitur, sic Filius de Patre generatur, calor ab utroque spiratur." (Ep. 1. n. 30.). Alia insuper exempla ex SS. Patribus affert Hurter, opusc. SS. PP. t. VI p. 141. Cf. etiam Ianssens p. 808.

b) Imagines vero SS. Trinitatis duae universim exhibentur: prior cernitur in mente humana intelligente et volente: altera in patre generante et filio generato humanis; cum prior autem communiter apud Patres et theologos occurrat, altera solum a paucis proponitur. Neque merito altera haec analogia tamquam imago SS. Trinitatis vel potius Patris et Filii in divinitate exhiberi videtur; nam generatio humana est corporalis; imago autem Dei in homine est solum secundum mentem, non secundum corpus, quia scilicet imago repraesentat secundum similitudinem speciei, quae relate ad Deum solum secundum mentem vel animam spiritualem in homine quodammodo invenitur. Rectius igitur et verius dicitur, in sola mente humana imaginem Trinitatis inveniri; quare etiam haec imago Trinitatis communiter a Patribus et Doctoribus agnoscitur et affertur et excolitur; aliqua saltem specimina afferre juvat: **63.**

Imprimis *S. Augustinus* hac imagine delectatur eamque iterum iterumque volvit, ut v. g.: „Est quaedam imago Trinitatis ipsa mens et notitia ejus, ac de seipsa verbum ejus et amor tertius, et haec tria unum atque una substantia: nec minor proles, dum tantum se novit mens, quanta est; nec minor amor, dum tantum se diligit, quantum novit et quantus est." (De Trinit. l. 9. c. 12.; cf. l. 11. c. 11.; l. 14. c. 7.; De civit. Dei l. 11. c. 26.). — Similiter *S. Anselmus:* „Habet igitur mens rationalis, cum se cogitando intelligit, secum imaginem suam ex se natam, i. e. cogitationem sui ad sui similitudinem, quasi sua impressione formatam, quamvis ipsa se a sua imaginatione nonnisi ratione sola separare possit, quia imago ejus verbum ejus est... Quis neget, summam **64.**

sapientiam cum se dicendo intelligit, gignere consubstantialem sibi similitudinem suam, id est Verbum suum.“ (Monolog. c. 33. cf. cc. 39. 40. 41.). — Item *S. Thomas* saepius versatur in eadem imagine excolenda, ut v. g.: „Cum increata Trinitas distinguatur secundum processionem Verbi a dicente, et amoris ab utroque... in creatura rationali, in qua invenitur processio verbi secundum intellectum et processio amoris secundum voluntatem, potest dici imago Trinitatis increatae per quandam repraesentationem speciei.“ (S. th. 1. p. q. 93. a. 6. cf. ibid. a. 8.; c. g. l. 4. cc. 11. et 26.). — Denique audiatur etiam *S. Bonaventura:* „Habet creatura intellectualis memoriam, intelligentiam et voluntatem, seu mentem, notitiam et amorem; mentem ad modum parentis, notitiam ad modum prolis, amorem ad modum nexus ab utroque procedentis et utrumque connectentis, non enim potest nemo non amare verbum, quod generat. In iis autem non tantum attenditur origo et emanatio, per quam est in eis distinctio, verum etiam aequalitas et consubstantialitas et inseparabilitas, ex quibus expresso testimonio clamatur, Deum esse trinum.“ (QQ. disp. de myster. Trinit. 1, 2.).

65. *Opponi posset,* cum hac de vestigiis et imagine doctrina connexum videri, ex iisdem, cum repraesentent Trinitatem, eandem etiam demonstrari posse. — *R. n.* Etenim vestigia atque etiam imagines Trinitatis in creaturis ut tales non cognoscuntur nisi ex revelatione vel eadem supposita. Nimirum valde imperfecte Trinitatem repraesentant vel (saltem vestigia) potius appropriata in se spectata ut veritatem vel cognitionem atque bonitatem vel amorem divinum directe manifestant, non autem propria personarum; quare explicari possunt sine recursu ad trinitatem personarum, neque ex cognitione appropriatorum in se spectatorum ad cognitionem propriorum procedi potest. Quare argumenta supra facta in suo valore permanent.

66. *5) Ratio fide illustrata mysterium Trinitatis argumentis quibusdam tamquam congruum demonstrare potest.* — Etenim ratio positive ostendere potest, Trinitatem tum divi-

nitati tum creaturis convenire; ergo Trinitatem tamquam congruam demonstrare potest. Antecedens facile probatur:

Et *primo* quidem Trinitas convenit divinitati. Quod patet ex his rationibus adductis a S. Thoma in commentario in libros sentent.: „Sicut dicit Dionysius (De divin. nomin. c. 4 § 1.) bonum est communicativum sui. Sed Deus est summe bonus. Ergo summe se communicabit. Sed in creaturis non summe se communicat, quia non recipiunt totam bonitatem suam. Ergo oportet quod sit communicatio perfecta, ut scilicet totam suam bonitatem alii communicet. Hoc autem non potest esse in diversitate essentiae. Ergo oportet esse plures distinctos in unitate divinae essentiae. — Hoc idem arguitur ex perfectione divinae beatitudinis, quae ponit summum gaudium, quod sine consortio haberi non potest. — Hoc etiam arguitur ex perfectione divinae caritatis. Perfecta enim caritas est amor gratuitus qui tendit in alium. Sed non erit amor summus, nisi summe diligat. Summe autem non diligit creaturam, quae non summe diligenda est. Ergo oportet, quod in ipsa creatrice essentia sit summe diligens et summe dilectus, distincti in essentiae unitate." (In 1 d. 2. q. 1. a. 4.). Verum ibidem notat S. Thomas has rationes non concludere certo quare ut rationes congruae tantum considerandae sunt; quod ipsum in Summa theologica etiam animadvertit et declarat v. g. quoad rationem ex beatitudine petitam; „Quod sine consortio non potest esse jucunda processio alicujus boni, locum habet, quando in una persona non invenitur perfecta bonitas. Unde indiget ad plenam jucunditatis bonitatem bono alicujus alterius consociati sibi." (1. p. q. 32. a. 1. ad 2.).

Secundo SS. Trinitas etiam creaturis congruere intelli- 67.
gitur, quia omnes ternario quasi sigillo obsignantur atque eatenus Dei creatoris sui, ut trinus est, vestigium vel etiam imaginem referunt. Effectibus enim convenit vel congruit suam causam et praesertim primam causam referre. Sed de his vestigiis et imagine Trinitatis jam satis dictum est.

6) Denique ratio fide illustrata mysterium SS. Trini- 68.
tatis etiam negative demonstrare potest. — Per negativam demonstrationem nihil aliud intelligitur, quam quod ratio

argumenta contra mysterium facta ita solvere possit, ut eadem efficacia carere intelligi queant. Jamvero id ratio certissime praestare potest. Ergo. Minor probatur ex natura veritatis. Etenim repugnat profecto, quominus propositio certissime vera. qualis est Trinitas divinitus revelata, argumento legitimo et certo ostendatur esse falsa, quia idem sane non potest esse simul verum et falsum; quare quodcumqu argumentum contra Trinitatem humana industria inventum et constructum sophisma sit necesse est atque ideo naturali rationis lumine solvi potest vel ostendi defectu aliquo laborare atque inefficax esse.

69. *Idem confirmatur ex Concilio Vaticano,* utpote quod generatim de mysteriis supernaturalibus declarat: „Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest; cum idem Deus. qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non potest, nec verum vero unquam contradicere.“ (Constit. dogm. de fide et ratione 1. c. 4.). Ex hac enim impossibilitate dissensus inter fidem et rationem *S. Thomas* merito concludit: „Ex quo evidenter colligitur, quaecunque argumenta contra fidei documenta ponantur, haec ex principiis naturae inditis per se notis non recte procedere. Unde nec demonstrandi vim habent. sed vel sunt rationes probabiles vel sophisticae: et sic ad ea solvenda locus relinquitur.“ (c. g. l. 1. c. 7). Solutionem vero plerumque adhibendam innuit idem *concilium Vaticanum* post verba relata inmediate addens: „Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem ecclesiae intellecta et exposita non fuerint vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur.“ (L. c.).

70. *Denique idem confirmatur experientia et inductione.* Nam tum Patres tum theologi, quae ex ratione contra mysterium objecta sunt, efficacia carere, sufficienti ratione semper ostenderunt. Atque in hoc ipso tractatu praecipua Rationalistarum sophismata insistendo Patrum et Doctorum vestigiis eodem modo rejecta et refutata sunt. (Conf. imprimis thesis 14. n. 31. ss.).

Attendendum autem in his est semper discrimen inter duo valde diversa: Aliud est positive demonstrare possibilitatem mysterii, et aliud negative vindicare ejus non repugnantiam ostendendo argumenta contra facta non concludere ideoque vana et irrita esse. Quoad mysteria tantum hoc alterum, non autem illud primum fieri potest. Apposite omnino *S. Thomas:* „Si quid in dictis philosophorum inveniatur contrarium fidei, hoc non est philosophiae, sed magis philosophiae abusus ex defectu rationis. Et ideo possibile est ex principiis philosophiae hujusmodi errorem refellere, vel ostentendo esse omnino impossibile, vel non esse necessarium. Sicut enim ea, quae fidei sunt, non possunt demonstrative probari, ita quaedam contraria his non possunt demonstrative ostendi esse falsa, sed potest ostendi, ea non esse necessaria. Sic igitur in sacra doctrina philosophia possumus tripliciter uti: primo ad demonstrandum ea, quae sunt praeambula fidei; secundo ad notificandum per aliquas similitudines ea quae sunt fidei; tertio ad resistendum his, quae contra fidem dicuntur sive ostendendo ea esse falsa, sive ostendendo ea non esse necessaria." (In Boëth. de Trinit. Procem. q. 2. a. 3.). 71.

Atque his habitudo inter mysterium SS. Trinitatis et 72.
rationem satis explicata est. Qua habitudine intellecta et prae oculis habita theologica scrutatio et consideratio ejusdem mysterii sicut ceterorum nonnisi laudem et commendationem meretur. Apposite *S. Augustinus:* „Cum inconcusse crediderint Scripturis sanctis tamquam veracissimis testibus, agant orando et quaerendo et bene vivendo, ut intelligant, i. e. ut quantum videri potest, videatur mente, quod tenetur fide. Quis hoc prohibet? Imo vero ad hoc quis non hortetur?" (De Trinit. l. 15. c. 27.). Et *S. Thomas:* „Utile est, ut in hujusmodi rationibus (ex ratione vel creatione petitis) quantumcunque debilibus se mens humana exerceat, dummodo desit comprehendendi et demonstrandi praesumptio; quia de rebus altissimis etiam parva et debili consideratione aliquid posse inspicere jucundissimum est," „et maximam animae perfectionem confert." (C. g. l. 1. c. 8. et c. 5. in fine). Quare

etiam SS. Patres ad diligentem considerationem mysterii hortantur, ut v. g. *S. Hilarius:* „Incipe, procurre, persiste: etsi non perventurum sciam, tamen gratulabor profecturum. Qui enim pie infinita persequitur, etsi non contingat aliquando, tamen proficiet prodeundo.“ (De Trinit. l. 2. n. 10).

73. ***2. Mysterium SS. Trinitatis convenienter humano generi revelatum est.*** — Rationem hujus assertionis ita reddit *S. Thomas*: „Cognitio divinarum personarum fuit necessaria nobis dupliciter. Uno modo ad recte sentiendum de creatione rerum. Per hoc enim, quod dicimus Deum omnia fecisse Verbo suo (igitur intellectu praelucente) excluditur error ponentium Deum produxisse res ex necessitate naturae. Per hoc autem quod ponimus in eo processionem amoris, ostendimus quod Deus non propter aliquam indigentiam creaturas producit (sc. jam diffudit suam bonitatum ad intra in consortium aliarum personarum), neque propter aliquam aliam causam extrinsecam, sed propter amorem suae bonitatis. Unde et Moyses, postquam dixerat Gen. 1, 1: *In principio Deus creavit coelum et terram* subdit: *Dixit Deus, Fiat lux,* ad manifestationem divini Verbi; et postea dicit: *Vidit Deus lucem quod esset bona* ad ostendendum probationem divini amoris. Et similiter in aliis operibus. Alio modo et principalius ad recte sentiendum de salute generis humani, quae perficitur per Filium incarnatum et per donum Spiritus Sancti.“ (q. 32. a. 1. ad 3.). Aliae insuper rationes addi possunt, ex quibus item convenientia revelationis SS. Trinitatis manifesto intelligitur; quae exponuntur *in tractatu de vera religione* (Thes. 17.), ubi quaestio de convenientia vel necessitate revelationis mysteriorum generatim tractatur. Nam omnes rationes ibi adductae etiam de Trinitate valent atque plures eam nominatim spectant.

74. Ex his omnibus autem valde manifestum est, mysterium SS. Trinitatis nequaquam tantum ad experiendam et exercendam fidem nostram revelatum esse, ut aliqui somniati sunt; verum, ut thesis citata ex tractatu de vera religione enuntiatur: tum in ordine intellectuali tum in ordine morali plurima emolumenta confert atque in hypothesi elevationis

ad ordinem et finem supernaturalem etiam necessaria fuit. Conferatur hac de re etiam Kleutgen, Theologie der Vorzeit, t. 1. n. 151 et 168.

Scholion.

De regulis loquendi circa SS. Trinitatem. — 75.
Quo rei alicujus intelligentia est magis ardua et difficilis, eo major etiam ex una parte est difficultas eandem sermone humano apte explicandi et eo magis ex altera parte etiam crescit periculum, ne sermone humano vel insueto vel ambiguo vel quocunque modo imperfecto proposita male et perperam intelligatur. Quare semper cautum fuit in ecclesia, ut dogmata et inprimis mysteria sine ambiguitate perspicuis, determinatis, castigatis verbis proponerentur et explicarentur, ne negligenti et imperfecto de rebus fidei sermone errori aditus aperiretur. Ita v. g. jam Apostolus hortatur Timotheum: *Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide et in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis* (2. ad Tim. 1. 13. 14.). Et *S. Augustinus* declarat: „Liberis verbis loquuntur philosophi nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosam aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quae his significantur, impiam gignat opinionem.“ (De civit. Dei l. 10. c. 23.). Atque ipsum magisterium authenticum non paucos terminos atque formulas loquendi sancivit, quibus veritates fidei exprimerentur atque errores oppositi proscriberentur. Cf. etiam ep. Gregori IX *Tacti dolore* ad theologos Parisienses. Jamvero quod generatim de dogmatibus et mysteriis fidei valet, hoc imprimis servandum est circa altissimum et fundamentale mysterium, SS. Trinitatem, quae adeo mentem humanam excedit. Quare in theologia catholica certae et determinatae regulae loquendi circa idem mysterium invaluerunt et sancitae sunt, quae sancte observari debent. Aliquae earum jam in decursu hujus tractatus adductae sunt; aliae autem restant; quare hoc loco praecipuas saltem omnes uno conspectu exhibere juvat; generales quasdam prius, deinde magis speciales:

76. 1) *Nihil innovandum est contra loquendi usum ab ecclesia sancitum vel approbatum sive in scholis catholicis communi consensu receptum.* — Quamvis scilicet plures termini, si vim vocis vel ethymologiam spectas, alio et alio sensu usurpari possint atque ex se determinatam significationem non habeant; attamen significatio, ad quam ex usu ecclesiastico et theologico restricti sunt, omnino retinenda et servanda est. Item novi termini vel novae loquendi formulae contra consuetudinem saeculorum usu sancitam generatim introducendi non sunt, etsi in se nullam offensionem praebeant. Ratio vel scopus hujus regulae manifesta est, ne verborum multiplicatione et confusione ipsa fides damnum patiatur vel periclitetur. Quare magisterium ecclesiasticum traditam loquendi formam contra novatores eam incaute violantes saepius severe vindicavit, ut v. g. Pius VI. contra Synodum Pistoriensem necnon Pius IX. contra Güntherum. Cf. concilium Toletanum 11.

77. 2) *Abstinendum est ab omnibus terminis et formulis loquendi, quae vel naturae unitatem vel personarum distinctionem vel earundem aequalitatem implicite negant vel obscurant.* — Ratio manifesta est, quia sic ipsum dogma impeteretur et perverteretur. Quare dicendum non est v. g.: *ter* Deus, neque: Deus in tribus personis distinc*tus*, quam formulam Synodi Pistoriensis Pius VI. reprobavit, sed dici potest vel dicendum est: Deus in tribus personis distinc*tis*. Praeterea dici quidem potest: Deus trinus, quia terminus trinus tantum modum subsistendi multiplicat; dici autem nequit: Deus triplex, quia vocabulum triplex ipsam Deitatem triplicare videtur. Deinde dici quidem potest vel dicendum est: Pater est distinctus a Filio, est alius ac Filius, est unum cum Filio, est idemipsum ac Filius; dici autem nequit: est aliud ac Filius, diversus a Filio, separatus ab eodem; ubi notandum est, neutrum semper significare naturam, masculinum autem personam. Denique dici nequit divinas personas esse unitas, cum potius unum sint; neque Filius vocari potest portio Patris. Quod autem Filius a Tertulliano vocatur: portio ex summa (Apol. c. 21.), spectata intentione

Tertulliani excusari potest ab errore, quia intelligit portionem per communicationem naturae, non per abscissionem; verum eadem locutio certe contorta et ambigua est. Cf. S. Thomas, de pot. q. 9. a. 8. — Sequuntur jam regulae magis speciales.

3) Nomina substantiva concreta multiplicantur multi- 78.
plicata natura et supposito; nomina adjectiva vero et personalia concreta multiplicantur multiplicato solo supposito; abstracta vero sive substantiva sive adjectiva multiplicantur multiplicata sola natura vel forma. — Quae regula jam supra (thes. 1. n. 47 ss.) fusius explicata est.

4) Nomina essentialia, quae scilicet naturam divinam 79.
vel attributa sive absoluta sive relativa operativa ad extra significant, tum substantiva tum adjectiva, tum abstracta tum concreta de singulis personis recte praedicantur. — Ratio est, quia in ejusmodi praedicatione perfecta identitas inter subjectum et praedicatum servatur. Qua ratione recte dicitur: Pater est sapientia, creator, Deus, omnipotens, misericors, justitia et similiter.

5) Nomina personalia adjectiva non possunt praedicari 80.
de essentia, substantiva vero possunt. — Haec regula in terminis statuitur a *Concilio Lateranensi IV* in capite *Dammanus:* „Et illa res (sc. essentia divina) non est generans neque genita neque procedens, sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit; ut distinctiones sint in personis et unitas in natura." — Ratio autem hujus regulae ita reddi potest: Quando de essentia personalia substantiva praedicantur, ut v. g. essentia est Pater, haec praedicatio sumi potest et sumi debet sensu materiali, quo scilicet non identitas rationum objectivarum, sed ipsarum rerum potius identitas enuntiatur; hoc sensu autem sane verae sunt ejusmodi propositiones, cum inter essentiam et Patrem non quidem identitas obiectiva, sed identitas realis exstet. Quando autem de essentia personalia adjectiva praedicantur, ut v. g. est generans, ejusmodi praedicatio, quia adjectiva tamquam formae essentiae inesse concipiuntur, ex more loquendi sumitur in sensu specifivativo vel

formali i. e. in eadem identitas rationum objectivarum enuntiatur, atque hinc ut vera sit, identitas adaequata inter subjectum et praedicatum requiritur. Haec autem in ejusmodi praedicatione non habetur, cum essentia sit abstracta ab actu notionali neque implicite eundem includat atque ideo sine actu notionali generationis v. g. inveniatur tum in Filio tum in Spiritu Sancto. — Ita haec regula verius explicatur, quam a Kleutgen (n. 706.) inde solum, quod personalia adjectiva, si praedicentur de essentia, tamquam formae eidem inesse significentur. Per hoc solum enim possibilitas praedicationis excludi non videtur, quia secus essentia vel substantia divina non posset praedicari omnipotens vel omniscia; quod nemo dicet. Neque verum est propositionem: Voluntas in Deo intelligentia est, esse veram tantum in sensu materiali per identitatem realem; sed etiam in sensu specificativo haec propositio vera est; neque iterum verum est, prorsus falsam esse propositionem: Voluntas divina intelligit vel perspicax est; haec enim propositio vera est in sensu specificativo, tantum in sensu reduplicativo falsa esset. Cf. Tractatum de Deo uno; th. 16. n. 47. ss.

81. *6) Excepto nomine essentiae, cetera nomina divina absoluta sive abstracta sive concreta supponunt pro personis; quare nomina personalia sive substantiva sive adjectiva de eisdem praedicari possunt.* — Qua ratione v. g. dici potest: Omnipotens genuit sibi Filium; omnipotentia incarnata est; omniscius est Pater; ipsa sapientia est Filius; ipsa veritas est Spiritus Sanctus, et similia. — Ratio autem est, quia non solum illa concreta, sed etiam illa abstracta in Deo significant subjectum habens illam perfectionem, vel melius significant formam sive perfectionem seipsa subsistentem, atque ideo, cum non habeant subjectum in quo recipiantur, aequivalent nominibus concretis, atque hinc ut nomen Deus supponunt indefinite pro subjecto habente eam perfectionem vel definite pro una, pro duabus, pro tribus personis. Quo posito illico intelligitur, in illis praedicationibus, in quibus de nomine abstracto divino enuntiatur nomen personale perfectam servari identitatem inter subjectum et praedicatum,

quod ad veritatem propositionis requiritur et sufficit. (cf. Tract. de Verbo incarnato, 1. p. th. 19. n. 9.).

Immerito igitur Kleutgen haec nomina abstracta in eodem 82 censu habet ac nomen ipsius essentiae; nam nomen, essentia divina, abstracta est a personalitate quavis eamque omnem excludit; ipsa veritas autem vel ipsa sapientia tantum secundum formam externam est nomen abstractum; sensu vero suo spectata non excludit sed implicite includit indeterminate personalitatem atque ideo aequivalet nomini concreto.

Excipienda autem esse videntur ab hac regula nomina 83. personalia abstracta eatenus, quatenus haec de nominibus absolutis sive concretis sive abstractis sensu specificativo praedicari nequeunt. Sic v. g. dici nequit: omnipotens vel omnipotentia est Paternitas. Ratio est, quia haec nomina personalia abstracta significant actum subsistendi ut distinctum ab essentia adeoque quodammodo partem totius supposit significant; quare in ejusmodi propositione identitas adaequata inter subjectum et praedicatum non exstat ideoque veritas deest. — Verumtamen in sensu materiali ejusmodi propositio adhiberi potest, quia v. g. omnipotentia revera per identitatem realem est Paternitas.

7) Cum nomina relativa opposita de invicem sane non 84. *praedicentur, nomina relativa non opposita concreta de invicem praedicantur, nomina relativa non opposita abstracta autem de invicem praedicari nequeunt, neque abstracta de concretis neque concreta de abstractis.* — Sic profecto dici nequit: Pater est Filius, vel: Paternitas est Filiatio; ratio aperta est, quia in ejusmodi praedicatione inter subjectum et praedicatum non identitas, sed potius oppositio exstat. — Dici autem potest: Pater est Spirator, Filius est Spirator; ratio est, quia in ejusmodi praedicatione perfecta identitas inter subjectum et praedicatum exstat. — Sed iterum dici posse non videtur: Paternitas est spiratio activa, vel: Pater est spiratio activa, vel: Spiratio activa est Filius; ratio est iterum, quia nomina personalia abstracta significant actum notionalem tamquam distinctum ab essentia adeoque quodammodo partem suppositi significant: quare etiam in ejusmodi

propositione identitas inter subjectum et praedicatum ideoque veritas deficit. — In sensu autem materiali etiam ejusmodi propositiones manifesto verae sunt, ut patet.

85. *8) Actus notionales non praedicantur de relativis abstractis, sed de relativis concretis.* — Qua ratione dici nequit: Paternitas generat, Filiatio spirat; sed dicendum est: Pater generat, Filius spirat. Ratio est, quia actiones sunt suppositorum non autem formarum abstractarum. Neque contra sic inferri potest: Paternitas est Pater; atqui Pater generat; ergo Paternitas generat. Nam mutatur in hoc syllogismo sensus materialis sive identicus in sensum formalem sive specificativum. Quod fieri sane nequit. Nam verbum substantivum *est* facile sensu identico accipitur, si nulla est inter subjectum et praedicatum realis distinctio; quare hoc sensu facile dici potest: Paternitas est Deus, est Pater. Verbum autem adjectivum actionem significans potius fundat sensum specificativum sive formalem; quare sicut dici nequit: Paternitas intelligit, amat, creat, ita nec dicendum est: Paternitas generat.

86. *9) Quoties actus notionalis vere praedicatur de Deo sub aliquo nomine, non potest de eo sub eodem nomine negari.* — Sic v. g. cum vere dicatur: Deus generat, falso dicitur: Deus non generat; etsi tantum Deus Pater generat, non autem Filius et Spiritus Sanctus, qui etiam sunt Deus. — Ratio hujus regulae his continetur: Ut aliquid de Deo affirmetur, sufficit, quod in una persona divina verificetur, ut autem simpliciter negetur, necesse est, ut in nulla persona verificetur. Nam propositio negativa universalis est ideoque removet praedicatum a subjecto simpliciter vel in omni suppositione. Sic si de Petro in tribus simul locis replicato in uno autem tantum scribente enuntietur propositio: Petrus non scribit, haec propositio simpliciter falsa est, quia praedicatum removet a subjecto Petro simpliciter et in omni suppositione. Aequali igitur vel simili ratione falsa est propositio: Deus non generat, quia removet subjectum a Deo simpliciter vel in omni suppositione, quare sensus est: Nullus habens naturam divinam generat, cum tamen unus habens

hanc naturam generet, quamvis ceteri duo pariter eandem habentes non generent.

Conferatur de his aliisque regulis loquendi S. Thomas. s. th. 1. p. q. 39. tota.

2. Conclusio. — Jam huic tractatui finem imponere 87.
liceat verbis, quibus inter alia *S. Augustinus* opus suum insigne et pretiosum de SS. Trinitate concludit: „Domine Deus noster, credimus in te Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum . . . Ad hanc regulam fidei dirigens intentionem meam, quantum potui, quantum me posse fecisti, quaesivi te et desideravi intellectu videre, quod credidi, et multum disputavi et laboravi. Domine Deus meus, una spes mea, exaudi me, ne fatigatus nolim te quaerere, sed quaeram faciem tuam semper ardenter (Ps. 104, 4.). Tu da quaerendi vires, qui invenire te fecisti, et magis magisque inveniendi te spem dedisti. Coram te est firmitas et infirmitas mea: illam serva, istam sana. Coram te est scientia et ignorantia mea: ubi mihi aperuisti, suscipe intrantem; ubi clausisti, aperi pulsanti. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Auge in me ista, donec me reformes ad integrum . . . Sed multae sunt cogitationes meae, tales quales nosti, cogitationes hominum, quoniam vanae sunt (Ps. 93, 11.). Dona mihi non eis consentire, et si quando me delectant, eas nihilominus improbare, nec in eis velut dormitando immorari. Nec in tantum valeant apud me, ut aliquid in opera mea procedat ex illis, sed ab eis mea saltem sit tuta sententia, tuta conscientia, te tuente . . . Cum ergo pervenerimus ad te, cessabunt multa ista, quae dicimus, et non pervenimus; et manebis unus omnia in omnibus; et sine fine dicemus unum laudantes te in unum, et in te facti etiam nos unum (1. Cor. 15, 28.). Domine Deus une, Deus Trinitas, quaecunque dixi in his libris de tuo, agnoscant et tui; si qua de meo, et tu ignosce et tui. Amen.“



Index thesium

De Sanctissima Trinitate.

Prooemium:

Pagina

1. Tractatus argumentum atque gravitas 3
2. Methodus in hoc praesertim tractatu servanda . . 4
3. Divisio tractatus 5
4. Auctores insigniores 6

Quaestio prima.

De existentia mysterii SS. Trinitatis.

Articulus primus.

De propositione hujus mysterii per regulam fidei facta.

Thesis I.: Mysterium SS. Trinitatis inde ab exordiis religionis christianae tamquam dogma fidei clarissime propositum est 9

Declaratio: 1. Argumentum et divisio quaestionis 9
2. Praevia et nominalis mysterii SS. Trinitatis explicatio 10
3. Conspectus haeresum mysterio oppositarum . . . 14
4. Argumentum praesentis articuli vel thesis 19

Demonstratio: 1. Ex regula fidei Deus essentia absolute unus est . 19
2. Ex eadem regula fidei una eademque natura divina in tribus personis realiter distinctis subsistit 21
3. Ex regula fidei monarchia cum oeconomia sive unitas naturae cum personarum trinitate componitur 24
4. Ad rationem SS. Trinitatis, prout a fidei regula proponitur, rite percipiendam duplex conceptus spectat alter absolutus alter relativus 35

Scholion: 1. De divisione theologiae in unitam et distinctam . 41
2. De nomine Trinitatis 42
3. De multiplicatione nominum de tribus personis praedicatorum 43

Articulus secundus.

De testimonio scripturae.

		Pagina
Thesis 2.:	**Dogma SS. Trinitatis imprimis a scriptura N. T. clare proponitur**	51
Declaratio:	Momentum et ratio demonstrationis instituendae	51
Demonstratio:	1. Probatur argumento generali	52
	2. Ex forma baptismi	58
	3. Ex verbis Christi: Ego et Pater unum sumus	63
	4. Ex pluribus aliis testimoniis	70
Scholion:	1. De commate Joanneo	76
	2. De connumeratione et subnumeratione	80
Thesis 3.:	**Scriptura V. L. non solum non exludit sed multipliciter indicat tres personas realiter distinctas, quae sint unus Deus**	84
Declaratio:	Obvia notatio de V. L. hac in re doctrina	84
Demonstratio:	1. Pluralitas personarum, imo distinctius etiam Trinitas exprimitur	85
	2. Disertis verbis quoque Filius et Spiritus Sanctus nominantur atque ut personae distinctae exhibentur necnon earum processio significatur	88
	3. Nominatim in libris sapientialibus secunda persona divina ut distincta et genita clare exhibetur	93
	4. Theophaniis quoque V. L. distinctio unius personae divinae ab alia exhiberi videtur	98

Articulus tertius.

De doctrina traditionis.

Thesis 4.:	**Trinitatis fides inde ab Apostolis in ecclesia semper viguit**	102
Declaratio:	Demonstrationis scopus atque ordo	102
Demonstratio:	1. Fides antenicaena demonstratur	103
	2. Fides Patrum, qui inde a saeculo 4. floruerunt	110
Corollarium:	Terminus ὁμοούσιος primitus et per se quidem solam diversitatem naturae excludit; verumtamen, ut a Patribus Nicaenis symbolo adjectus et ad Trinitatem relatus est, non tantum diversitatem, sed etiam distinctionem naturae excludit	121
Scholion:	Difficultates quaedam expediuntur	124

Quaestio secunda.

De processionibus divinis.

Articulus primus.

De Filii generatione.

Pagina

Thesis 5.: Dei Filius vera generatione ex substantia Patris procedit; quae generatio est operatio intellectualis . . 138

Declaratio: 1. Quaestionis argumentum et divisio 138
2. Processionis notio atque diversa ratio 139
3. Doctrina catholica de processione Filii haeresi Arianorum opposita 142

Demonstratio: 1. p.: Filius per generationem a Patre procedit . . . 142
1. Probatur ex scriptura 142
2. Ex traditione 151
2. p.: Dei Filius per operationem intellectualem a Patre procedit, quae processio rationem verae et proprie dictae generationis habet 152
1. Dei Filius per operationem intellectualem a Patre procedit 152
2. Haec Filii processio vera et proprie dicta generatio est 166

Corollaria: 1. Filius sive Verbum aeterna generatione procedit . 168
2. Filius tamquam secunda SS. Trinitatis persona procedit 169
3. Verbum in divinitate tantum personaliter, non vero essentialiter dicitur 170
4. Verbum quidem, nomine sapientiae non essentialiter sed personaliter sumpto, Sapientia Patris dici potest; nullo tamen modo est Sapientia Patris, qua ipse Pater formaliter sapiens est 172
5. Per intellectionem divinam unum tantum Verbum procedere potest 177
6. Cum a processionibus divinis quaevis imperfectio desit, Verbum divinum neque procedit ut operatio, neque ejus generatio proprio sensu actio vel effectio vel productio est 179
7. Distinctio inter actum intellectus et verbum ab aliquibus Thomistis in intellectionem humanam invecta nihil confert ad Verbi divini generationem explicandam 181

Pagina

Scholia: 1. Qua ratione Filius Dei conceptus et partus dici queat 183
2. Num verbum dici possit sermo? 186
3. Obiectiones solvuntur 188

Thesis 6.: Verbum divinum procedit intellectione omnium, quae Pater cognoscit, ideoque non solum intellectione essentiae, sed personarum quoque divinarum et rerum creatarum saltem possibilium 196

Declaratio: Status quaestionis definitur 196

Demonstratio: 1. p.: Verbum divinum procedit per se et necessario per omnem intellectionem, quae in Deo Patre est 198

2. p.: Verbum procedit per intellectionem non tantum essentiae divinae, sed etiam personarum divinarum atque rerum creatarum tum possibilium tum existentium 201

1. Verbum divinum procedit per intellectionem essentiae divinae sive ipsius divinitatis et omnium attributorum absolutorum 201
2. Verbum divinum etiam per intellectionem personarum divinarum procedit 202
3. Verbum divinum procedit etiam per scientiam simplicis intelligentiae sive per cognitionem omnium possibilium 205
4. Verbum etiam per scientiam visionis seu per cognitionem creaturarum existentiam procedere probabilius dicitur 207

Articulus secundus.

De Spiritus Sancti processione vel spiratione.

Thesis 7.: Praeter Patrem et Filium tertia credi debet persona divina ab utraque distincta, quae nominibus Spiritus, Spiritus Sancti, Paracliti in scripturis christianisque documentis insignitur atque vero proprioque sensu Deus est 211

Declaratio: Argumentum atque ratio hujus thesis 212

Demonstratio: omnes partes simul probantur:

1. Ex formula baptismi 212
2. Ex aliis scripturae testimoniis 212
3. Confirmatur ex SS. PP. auctoritate 213

1. p.: Spiritus Sanctus, de quo ss. litterae loquuntur, persona subsistens est 214
2. p.: Spiritus Sanctus secundum scripturam item a Patre et Filio realiter distinctus est 216

Pagina

3. p.: Personae huic tertiae a Patre et Filio distinctae velut propria accommodantur nomina: Spiritus, Spiritus Sancti, Paracliti 217
4. p.: Spiritus Sanctus verus Deus est 219
1. Probatur ex scriptura 219
2. Ex traditione 231
Scholion: Obiectiones quaedam repelluntur 240

Thesis 8.: Spiritum Sanctum non a Patre solum, sed a Filio quoque procedere, manifesta scripturarum doctrina est 244
Declaratio: 1. Argumentum hujus ac sequentis thesis 244
2. Notitia historica de controversia inter Latinos atque Graecos circa processionem Spiritus Sancti ex multis saeculis agitata 244
Demonstratio: 1. Probatur scripturae effatis, quibus Spiritus Sanctus de Filio audire atque accipere exhibetur 247
2. Ex eo, quod Spiritus Sanctus Spiritus Filii vocatur 253
3. Ex ordine in connumeratione divinarum personarum a scriptura servato 258
4. Ex testimoniis, quibus Spiritus Sanctus a Filio mitti dicitur 261
Scholia: 1. Objectiones quaedam solvuntur 272
2. De convenientia visibilis missionis Spiritus Sancti 277

Thesis 9.: Eadem fidei veritas traditione comprobatur, quae tum Patrum occidentalium necnon occidentalium testimonio tum ex liturgiis atque conciliis variis manifesta est 279
Declaratio: Ratio atque divisio demonstrationis 279
Demonstratio: 1. Probatur ex fide Patrum occidentalium 280
2. Ex doctrina Patrum orientalium 286
3. Ex liturgiis orientalibus 306
4. Ex declaratione variorum conciliorum schisma Photianum praecedentium 311
Scholia: 1. De vocabuli ‚Filioque' ad symbolum adjectione . . 312
2. Aliae quaedam objectiones Graecorum solvuntur . 316
3. De nominibuus causae et principii personis Patris et Filio tributis relate ad processiones immanentes 320

Thesis 10.: Spiritum Sanctum a Filio quoque procedere etiam rationibus theologicis demonstratur 322
Declaratio: Argumentum atque ratio hujus thesis 322
Demonstratio: Argumentis septem demonstratur 322
Sholion: De Scoti opinatione 326
Corollarium: Pater et Filius, cum una sit utriusque et virtus spirandi et spiratio, unum sunt principium Spiritus Sancti 333

Articulus tertius.

De habitudine inter processionem Spiritus Sancti et Filii generationem.

		Pagina
Thesis 11.:	**Spiritus Sanctus a Patre et Filio per operationem voluntatis procedit**	342
Declaratio:	Argumentum et divisio hujus articuli	342
Demonstratio:	1. Probatur per exclusionem	343
	2. Ex eo, quod caritas et alia dona supernaturalia speciali modo Spiritui Sancto adscribuntur . . .	344
	3. Ex eo, quod Spiritus Sanctus peculiari modo donum vocatur	345
	4. Ex nomine Spiritus	346
	5. Ex eo, quod sanctitas speciali modo tertiae personae adscribitur	346
	6. Ex auctoritate SS. Patrum et theologorum . . .	347
Scholion:	1. Obiectiones solvuntur	351
	2. Utrum Pater et Filius recte dicantur Spiritu Sancto se diligere	353
	3. Ex quarum rerum amore Spiritus Sanctus procedat	354
	4. De variis nominibus Spiritus Sancti	356
Thesis 12.:	**Spiritus Sanctus non est Filius neque ejus processio generatio est, quia per voluntatem ut amor procedit**	358
Declaratio:	Argumentum thesis	359
Demonstratio:	1. p.: Spiritus Sanctus non est Filius neque ejus processio generatio	360
	2. p.: Processio Spiritus Sancti generatio non est, quia per voluntatem tamquam amor procedit	362
Corollaria:	1. Alia discrimina inter generationem et processionem a theologis notata magis secundaria sunt atque ad essentialem differentiam explicatam accedunt . . .	370
	2. Spiritus Sanctus non est Patris Filiique imago . .	372
	3. In Deo processiones reales tantum duae sunt nec plures esse possunt	373
	4. Processiones divinae non sunt immediate per naturam, sed per intellectum et voluntatem	374
	5. Essentia divina non procedit	376
	6. Deus Pater non procedit ideoque tamquam nomine proprio ingenitus et principium totius divinitatis recte appellatur	379
Scholion:	Recapitulatio	385

Quaestio tertia.

De relationibus divinis sive de personarum divinarum differentia.

Articulus primus.

De relationum divinarum existentia.

Pagina

Thesis 13.: Dogma fidei est, in Deo esse relationes ad intra . . 389

Declaratio: 1. Quaestionis argumentum et divisio 389
2. Argumenti gravitas 390
3. De relationalibus generatim 391

Demonstratio: 1. p.: Substantia divina rationem habet tum absoluti tum relativi ideoque in Deo relationes ad intra existunt 398
2. p.: Relationes divinae ad intra reales sunt . . . 402

Scholion: Objectiones quaedam solvuntur 407

Articulus secundus.

De relationum divinarum ab essentia divina et ab invicem distinctione.

Thesis 14.: Relationes divinae ad intra ab essentia non quidem realiter sed virtualiter tantum distinguuntur; ab invicem autem, quatenus sibi opponuntur, realiter differunt 409

Declaratio: 1. De variis circa hanc quaestionem erroribus atque opinionibus 409
2. Doctrina catholica 411

Demonstratio: 1. p.: Nulla est quaecunque realis inter essentiam divinam et relationes distinctio 413
2. p.: Relationes ab essentia divina virtualiter distinguuntur 417
3. p.: Relationes divinae, quatenus sibi invicem opponuntur, realiter distinguuntur 420

Corollaria: 1. Relationes divinae non sunt de ratione essentiae, essentia vero est de ratione relationum divinarum 421
2. In Deo praeter relationes originis aliae relationes reales esse nequeunt; quare quatuor solum relationes divinae reales numerantur 423
3. Origo sive processio atque relatio in divinis non solum realiter, sede tiam formaliter sunt simpliciter idem adeo, ut non differant nisi secundum modum significandi 426

Scholion: Praecipua Rationalistarum sophismata examinantur et expediuntur 430

Articulus tertius.

De personarum divinarum per relationes constitutione.

Pagina

Thesis 15.: Personae divinae constituuntur et distinguuntur proprietatibus nequaquam absolutis sed relativis; cum autem per origines constitui aliqua ratione dici queant, verius tamen per relationes constitui dicuntur . . . 445

Declaratio: 1. Quid sint proprietates et notiones 445
2. De ratione hypostasis et personae 453
3. Diversae de personarum divinarum constitutione theologorum sententiae 454

Demonstratio: 1. p.: Personae divinae per proprietates non absolutas sed relativas distingunntur et constituuntur . . 456
2. p.: Quamvis personae divinae aliqua ratione originibus distingui et constitui dici possint, melius tamen per relationes constitui et distingui dicuntur 459

Scholion: 1. Solvuntur objectiones 462
2. De triplici modo concipiendi personas divinas per relationes constitutas 469

Corollaria: 1. Nomen personae in Deo non quidem formali attamen materiali significatione dicit relationem seu relativum 472
2. Nomen personae est commune communitate rationis, non sicut genus vel species, sed sicut individuum vagum 475
3. Nulla est in Deo subsitentia absoluta, neque essentia divina, ut distinguitur a relationibus, subsistere recte dici potest 477
4. Paternitas immediate ex natura divina ut tali consequitur; innascibilitas autem, quae quodam sensu privatio dici potest, in paternitate fundatur . . . 481

Articulus quartus.

De relationibus, ut sunt actus notionales.

Thesis 16.: Cum actus notionales, qui personis tribuuntur, formaliter ipsae sint personarum relationes atque ab iisdem nonnisi modo significandi differant; tamquam potentia sive principium quo produtionum consideranda est essentia connotata relatione; terminus autem adaequatus productionum est persona; formalis vero terminus essentia est 484

Declaratio: Argumentum thesis et notio actus notionalis 484

Pagina

Demonstratio: 1. p.: Actus notionales formaliter sunt ipsae personarum relationes ita, ut ab iisdem nonnisi modo significandi differant 485

2. p.: Principium quo sive potentia productionum divinarum sive actum notionalium est essentia divina connotata relatione 488

3. p.: Terminus adaequatus actuum notionalium persona est; terminus formalis autem non est relatio sive proprietas personalis, sed natura . . 494

Corollaria: 1. Essentia divina in processionibus divinis nulla ratione ad instar materiae se habet 496

2. Cum essentiae divinae operationes ad intra tribui nequeant, eidem operationes ad extra recte tribuuntur 499

Scholia: Objectiones duae residuae solvuntur 499

Quaestio quarta.

De divinarum personarum convenientia.

Articulus primus.

De una personarum divinarum operatione ad extra.

Thesis 17.: Operatione re et numero una eademque divinae personae ad extra operantur 501

Declaratio: 1. Quaestionis argumentum et divisio 501

2. Güntherianorum opinio de operationis divinae ad extra unitate vel divisione 502

3. Doctrina catholica 503

Demonstratio: 1. Probatur ex s. scriptura 504

2. Ex SS. Patrum doctrina 507

3. Ex conciliorum decretis 509

4. Ex ratione theologica 511

Scholia: 1. Objectiones solvuntur 511

2. De appropriationibus 515

Articulus secundus.

De circumincessione divinarum personarum.

Thesis 18.: Tribuenda est personis divinis etiam circumincessio sive mutua ipsarum in invicem existentia vel immanentia 527

Declaratio: Argumentum hujus articuli 527

Pagina

Demonstratio: Probatur ex scriptura 528
Ad rationem circumincessionis magis explicandam dicitur:
1. Circumincessio fundatur in substantiali trium personarum unitate 529
2. Praeterea circumincessio fundatur in immanente processione alterius et tertiae personae 531
3. Denique circumincessio quadam ratione fundatur etiam in relationibus, quatenus scilicet personae divinae tamquam correlativa se invicem inferunt ac inseparabiles sunt 533

Corollarium: 1. Circumincessio non continetur in praesentia divinarum personarum ad invicem secundum immensum ubi 535
2. Conceptus circumincessionis adhuc paulo accuratius efformatur 537

Articulus tertius.

De personarum divinarum similitudine et aequalitate.

Thesis 19.: Inter divinas personas ea tantum similitudo intercedit, quae idem est cum earundem secundum essentiam identitate atque perfecta aequalitate; haec vero aequalitas in absolutis solum perfectionibus non autem in relationibus fundatur et spectanda est 539

Declaratio: 1. De rationibus similitudinis, aequalitatis identitatis 539
2. De haeretica Arianorum assertione et duplici catholicorum loquendi ratione 540
3. De alia et alia hujus divinarum personarum aequalitatis explicatione, quam alii et alii theologi catholici proposuerunt 551

Demonstratio: 1. p.: Cum divinae personae perfecte aequales sint, nihilominus etiam similes dici possunt similitudine autem omnino absoluta et perfecta . . . 544
2. p.: Asserta personarum divinarum aequalitas in una eademque absoluta essentiae perfectione, non autem in diversis relationibus personalibus fundatur atque spectanda est 550
1. Sententia Suarii aliorumque relata gravibus incommodis laborat 550
2. Doctrina S. Thomae magis declaratur et confirmatur 552

Corollarium: In divinis personis est quidem ordo secundum originem, sed nulla in eisdem invenitur alia quaecunque prioritas sive posterioritas 559

Quaestio quinta.

De cognitione SS. Trinitatis naturali.

Articulus unicus.

De ratione mysterii SS. Trinitati convenienti.

Pagina

Thesis 20.: Dogma SS. Trinitatis est mysterium proprie dictum; quare vana et inania sunt argumenta, quibus aliqui eandem Trinitatem divinam ex sola ratione demonstrare conati sunt 562

Declaratio: 1. Argumentum quaestionis 562
2. De notione mysterii 562
3. Doctrina catholica 564
4. Opinatio semirationalistarum 564
5. Divisio thesis 564

Demonstratio: 1. p.: SS. Trinitatis dogma rationem habet mysterii stricte dicti 565
1. Probatur ex s. scriptura 565
2. Ex SS. Patrum doctrina 567
3. Ex communi theologorum consensu 570
4. Ex declarationibus magisterii authentici . . . 572
5. Ex ratione 574
6. Ex solutione quarundam difficultatum confirmatur 577

2. p.: Vana et inania sunt argumenta, quibus aliqui SS. Trinitatem philosophice demonstrare conati sunt 582
1. Demonstratio a Lessing proposita 584
2. Ratiocinatio absurda Hegeliana 585
3. Demonstratio Güntheriana 586
4. Demonstratio a Kuhn proposita 592
5. Declaratio dogmatis a Schell conficta 595

Corollaria: 1. Revelatione dogmatis supposita ratio naturalis perfectiorem aliquam mysterii SS. Trinitatis cognitionem assequi potest 602
2. Mysterium SS. Trinitatis convenienter generi humano revelatum est 616

Scholia: 1. De regulis loquendi circa SS. Trinitatem 617
2. Conclusio 623



